

Thomas


FRANCISCVS PRAEPOSITVS CANN. REGG. IN POLLING. Anno 1744
SVSCEPISTI ME
EXALTABO TE
Jungwierth delin. Sc. M.

<36634770230011



HISTORIA ECCLESIÆ LUSITANÆ.

HISTORIA
ECCLESIÆ
LUSITANÆ.


Per ſingula ſæcula ab Euangelio promulgato:

AUCTORE

D. THOMA AB INCARNATIONE


Canonico Regulari Lateranenſi Congregationis Reformatæ S. Crucis, in Academia Pontificia Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Profeſſore publico, & Doctore Theologo Colimbrienſi.

TOMUS III.



COLIMBRIÆ: M.DCCLXII.

EX PRÆLO ACADEMIÆ PONTIFICIÆ.
Superiorum permiſſu.



EXCELLENTISSIMO
AC
REVERENDISSIMO
DOMINO
D. JOANNI
A' DOMINA N. DE PORTA
Canonico Regulari
ARCHIEPISCOPO EBORENSI
Supremo Regiæ Urbis Prætori
A' Consiliis Statùs.

EN *Lusitanæ Ecclesiæ Historia sæculi duodecimi*, EXCELLENTISSIME DOMINE, REVERENDISSIME ARCHI-PRÆSUL, *Tuo præsidio in lu-*

cem emittitur. Nihil ego umquam vehementius optaveram, quam ut ad hujus operis auſpicium nomen Tuum longe Principis uſurparem. Et quo illuſtriori nomine illud inſcriberetur ſæculum, quo Luſitana Eccleſia, extirpata Maurorum barbarie, eorumdem peſſimis eradicatis moribus, errorum congerie diſſipata, felicius adolevit, niſi Tuo, cujus Maioribus ſuarum felicitatum debet incrementum, columen, firmitudinem. Guterrum illum in Luſitaniæ annalibus ſæpe exſcriptum Gothorum Regum clariſſimam prolem, & Tuæ gentis ſtirpem ſufficeret meminiſſe, ne ſplendido, ac palmari mendacio fallerentur qui aſſererent. Heroas alios Maiores Tuos non tam Comites, Marchiones, aut Duces, quam Reges Legionenſes antiquiſſimæ non prætermittunt Hiſtoriæ. Regiam iſtam proſapiam de Luſitana Eccle-

ſia bene merentem quis non prædicet, non extollat? Jure Cadavallenſes Duces Regii vere Principes Gentilitatem ſuam Tuis imaginibus exornare, ac Tuo ſanguine purpurare gloriantur. Verum animadverto diu me verſari non debere in ſole illuminando, in ea ſcilicet declaranda nobilitate, quæ non eget aliena luce, ut ſplendeat. Opera enim Tua in Eccleſiæ, ac Regni utilitatem aſſidua, numquam intermixta amplitudinem Tuam meridiana luce teſtantur. Hæc recte facta quocumque ſtudio abſconderentur, humaniſque ſubtraherentur conſpectibus, non magis latere in Te, quam ſub cœli axe poſſunt ſolis radii. Omnium in lucem iſtam, quam ubique regni, & ultra longe, lateque diffundis, converſi ſunt oculi: hæc Tua virtutum pro Patria, & Eccleſia exempla omnium ore celebrantur: hæc pauper, cu-

jus Pater es, hæc orphanus, cujus Adjutor; hæc vidua, cujus Vindex, hæc proceres, quorum Magnitudo, hæc ſapientes, quorum Gloria, prædicare non ceſſabunt.

Virtutes iſtæ admirabiles iis, quibus Leirienſis Epiſcopatus circumſcribitur, terminis olim contineri non peterant: non una ſed plures Diæceſes; provinciæ, & Metropolis amplitudo Tibi Paſtori ſuo parere exigebat. Eborenſis illa Eccleſia tot Præſulibus ex regio formatis ſanguine, Alfonſo, Henrico, Alexandro, ac Theotonio quondam ditata Te Antiſtite ſuo fruitur meritiſſimo: ſed ambitu iſto illæ nondum poterant circumſcribi. Quem locum notiſſima Tua capacitate dignum occupares, niſi prope regium ſolium, unde Prudentia, Juſtitia, & Sapientia Tibi germanis regno conſuleres: ad ſanctiora Patriæ conſilia à Joſe-

Josepho Rege adsumeris, ab ipso suprema urbis Regiæ prætura ampliaris, inter Lusitanos Dynastas summam obtines auctoritatem. En uberrimus honorum cumulus Canonicorum Regularium Congregationi his Tuis insignitæ infulis, his Tuis fascibus exornatæ. Utinam in me tantum esset ingenii, & facultatis, quantum in Te erga Ecclesiam, erga Regem, erga Patriam virtutis est, & meritorum, sperarem quidem facturum me satis nonnulla saltem ex parte publicæ nostrûm alacritati, quam præse omnes ferunt ex isto non tam Tibi collato; quam meritis Tuis honore.

Liceat nobis Tuam in nos, ne ingrati videamur, magnitudinem extollere, qui cum totus in omnes affluas humanitate, singularem nobis vere Tuis semper exhibuisti. Accipe igitur hosce meos Academicos labo-

res quantum de ſua tenuitate ſolicitos, tantum de Tua benignitate ſecuros. Reformidant illi ſerium iſtud, quo maxime polles, caſtigatumque natura judicium, in ipſa quoque limatum cura Eccleſiæ, & regni; ſed præſto eſt benevolentia: ad quam cum provocem, in ſpem venio, ut Tu qui artem intelligis, tuearis artificem, & officinam, in quà laboratur, Canonicorum videlicet Congregationem omnibus modis Tuam, quæ Te & Filium, & Protectorem appetit immortalem.

Humillimus Servus

D. Thomas ab Incarnatione
Canonicus Regularis.

FACULTAS ORDINIS.

Judicium D. D. Thomæ à Conceptione Canonici Regularis.

ILLUSTRISSIME PRÆSUL.

MAndato Tuo obtemperans tertium tomum perlegi Historiæ Ecclesiasticæ Lusitanæ duodecimum sæculum cōplectentem;nihil in eo quod non extollere,quod non prædicare fas sit,inveni: Auctoris diligentiam in evolvendis antiquitatum monumentis, nimiam ejusdem, tum sacræ, tum profanæ scientiæ lectionem, miram in separando pretiosum à vili dexteritatem, Tullianam denique eloquentiam, qua vivis velut coloribus exprimit tot casus, & eventus à nostra ætate tam longe dissitos. Itaque omni præconio digum arbitror opus istud, & cum in eo non parum habeat Congregatio istæc nostra, cui tanta cum Tui Nominis laude præes, & cujus incrementis maxime invigilas, facultatem facias ut in lucem exeat, & ita quod cupis eveniet, quod optas ex typis assequeris. In Regali Monasterio S. Crucis die 15. Junii anni 1761.

D. Thomas à Conceptione.

Judicium D. D. Marcellini ab Incarnatione Canonici Regularis.

REVERENDISSIME PATER.

TErtium hunc tomum Ecclesiæ Lusitanæ continentem historiam, quem literatissimus Mag. ac Doctor D. Thomas ab Incarnatione, nostræ Reformatæ Congregationis Canonicus Lateranensis, atque Historiæ Ecclesiasticæ in Academia Liturgica egregius Professor in rem om-

nium prælo submittere satagit (vel curat) avidis inspexi oculis. Mira in eo elucet ingenii dexteritas , nitida refulget ibi scribendi methodus , orbemque literarium opera sua juvandi flagrans apparet desiderium. Tantum abest ut in eo aliquid repererim , quod ipsius vulgationem impediat , aut fidem lædat ; quin potius hanc quammaxime illustret , & sui editionem jure postulare mihi videatur. Sic censeo. In Regali Monasterio S.Crucis die 13. Junii anno 1761.

D. Marcellinus ab Incarnatione

DOmnus Franciscus ab Annuntiatione à Consiliis Regiæ Majestatis, Prior Monasterii S. Crucis, Generalis Canonicorum Regularium Lateranensium per Lusitaniam, Antistes in suo Territorio exempto nullius Diœcesis cum jurisdictione quasi Episcopali immediata Sedi Apostolicæ, Cancellarius Academiæ Colimbriensis &c.

Facultatem facimus, ut tertius tomus Historiæ Ecclesiæ Lusitanæ à D. Thoma ab Incarnatione Canonico Regulari Historiæ Ecclesiasticæ Professore publico compositum , & ab ejusdem Congregationis Canonicis doctis approbatum typis mandetur, in cujus rei testimonium hujusmodi literas dedimus Congregationis sigillo munitas. Ulysipone in Regio Monasterio S. Vincentii die secunda Julii anno millesimo septingentesimo primo.

D. Franciscus ab Annuntiatione
Prior Generalis Cancellarius.

D. Emmanuel ab Annuntiatione
Collega Secretarius.

FACULDADE DA ACADEMIA LITURGICA PONTIFICIA.

LEmos, e examinámos o terceiro volume da Hiſtoria da Igreja de Portugal, e por nos parecer digno de publico damos faculdade para ſe imprimir. Coimbra 30. de Julho de 1761.

D. Bernardo da Annũciaçaõ
Lente dos Sagr. Ritos.

Jozé de Sá e Menezes
Cenſor.

Fr. Jozé da Trindade
Cenſor.

Fr. Franciſco de Azevedo
Cenſor.

LICENÇAS DO S. OFFICIO.

Judicium R. P. M. D. Antonii Aloyſii Villares Cl. R. Sancti Officii Cenſoris, &c.

ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI DOMINI.

ECcleſiæ Luſitanæ Hiſtoriæ volumen tertium, quod immenſo labore concinnè elaboravit D. Thomas ab Incarnatione Canonicus Regularis Lateranenſis Congregationis Reformatæ S. Crucis, libenter, Dominationis veſtræ juſſu, attentaque diſcuſſione, perlegi. In eo reperi bene multa, quæ tantum virum, ſuæ Congregationis decus maximum, vere Magiſtrum prædicant, vereque Doctorem: cui nanque in inveſtigando, ſectandoque veritatem fideliter, cedat ille? Quis in docendo, quæ vera invenit, illo clarior? Quis exactior in ſcri-

bendo? quis elegantior? quis tandem maiori cum suavitate suadere poterit? quis efficacitate maiori? Hoc in opere facili methodo, stylo brevi, collegit ille, benemeritus de Lusitana gente, quæ 12. sæculo à Servatore nato, & à Lusitaniæ Regibus, & ab aliis viris illustrissimis peracta fuere, illustriora facta, ut, quæ in Monasteriorum archivis abdita, tantum privata erant, conservabanturque reposita, plura, & maxima virtutum exempla, publici juris faciat. Unde cum nihil in eo appareat non discussum, non probatum, non sanum; immo omnia regulis Fidei non adversa, honestatique morum consona; si vobis, Illustrissimi, necnon Reverendissimi Domini, publicæ utilitati consulentibus non displiceat, mihi dignissimum, quod imprimatur, hoc videtur opus. Ulyssipone, in hac Domo à Domina Nostra de Divina Providentia nuncupata, die 4. Septembris anno 1761.

D. Antonius Aloysius Villares
Cl. R.

Judicium R. P. M. ac D. Fr. Joachim à S. Anna Eremitæ D. Pauli, S. Officii Censoris, & Academiæ Pontificiæ Socii.

ILLUSTRISSIMI DOMINI.

OPus, quod inscribitur, *Historia Ecclesiæ Lusitanæ, Auctore Domno Thoma ab Incarnatione Canonico Regulari Lateranensi Congregationis Reformatæ S. Crucis, tomus*; jussu Dominationis vestræ, mihi discutiendum commissum, avidè, attenteque perlegi. Nihil utique ab Orthodoxa Fide alienum in eo reperi, bonisvè moribus adversum, opus sanè perpolitum, absolutissimum, suo Auctore dignum, & à Republica litteraria haud parum desideratum. Ita censeo, in hoc Lisbonensi Monasterio Ordinis S. Pauli primi Eremitæ, 5. Octobris anno Domini 1761.

Fr. Joachim à Sancta Anna.

VIstas as informaçoẽs, póde-se imprimir o livro de que se trata, e depois voltará conferido para se dar licença que corra, sem a qual naõ correrá. Lisboa 6. de Outubro de 1761.

Sylveiro Lobo. *Mello.*

DO ORDINARIO.

Judicium R. P. M. ac Doct. D. Michaelis ab Incarnatione Canonici Regularis.

EXCELLENTISSIME PRÆSUL.

MAgno cum animi oblectamento Voluntati Tuæ morem gerens tertium Historiæ Ecclesiasticæ Lusitanorum volumen oculis perlustravi. Quid enim Religioso, ac Lusitano Viro jucundius; quam propriam, in qua natus est, Ecclesiam per longas annorum series doctrinæ firmitudine, ac morum sanctitate rutilantem intueri! recordari Viros pietate insignes, sapientia plenos; Synodos pretiosissimum Fidei depositum servantes; & sanctos ac puros Ecclesiæ mores suis Canonibus communientes!

Magnum in hoc opere profert Auctor dexteritatis indicium: emicat in eo sermonis nitor, eruditio non vulgaris, prudens, & moderatum Criterium; quo nec pro veris falsa venditat; nec vera atque certa (quo vitio solent in hoc sæculo viri intemperantioris Critices laborare) ad vanum ingenii specimen exhibendum, in dubium tentat revocare. Unum præ aliis in Tanto Viro mihi placere fateor: Indefessus labor in scriniis perscrutandis; cujus juvamine plurima monumenta, quæ hactenus in occulto latuerant, prodeunt in apertum; magno sane Historicis emolumento. Ob tantum erga se præstitum benefi-

cium talem Virum de ſeipſa benemerentem Reſpublica literaria jure proclamabit: ſic opinabar. Ex Muſæo noſtro, in hoc Regio Sanctæ Crucis Cœnobio Pridie Nonas Septembris Anno reparatæ ſalutis MDCCLXI.

D. Michael ab Incarnatione.

PO'de-ſe imprimir, e depois de impreſſo tornará para ſe conferir. Coimbra 14. de Setembro de 1761.

Biſpo Conde.

DO PAÇO.

Cenſura do Sñr. Diogo Barboza Machado Socio do numero da Academia Real, e da Liturgica Pontificia.

SENHOR.

COm o mais profundo reſpeito agradeço a V. Mageſtade a repetida honra que recebo, ordenando-me que examine o Terceiro Tomo da Hiſtoria Eccleſiaſtica deſte Reyno, tendo ſido Cenſor do ſegundo. Eſta grande Obra heroicamente intentada, e indefeſſamente proſeguida por ſeu eruditiſſimo Author lhe tem com merecido premio elevado o nome ao Apogeo da univerſal admiraçaõ; compenſando-lhe a eternidade em aplauſos os diſvelos, que diſpendeo em cada inſtante de tempo. A immenſa circumferencia de taõ ſublime esféra ſómente ſe podia ſuſtentar ſobre os robuſtos hombros de taõ agigantado Athlante, o qual declarando perpetua guerra ao ocio, occupa com inceſſante applicaçaõ eternizar as Memorias Eccleſiaſticas deſte Reyno em cuja liçaõ ſe deſcobrem felizmente unidas a profundidade do eſtudo com a piedade do animo. Por taõ glorioſa em-

preza

preza he acrédor, que V. Mageſtade como benéfico Fautor dos Sabios naõ ſómente lhe faculte a licença que pede para a ſua publicaçaõ, mas lhe ordene, que com a brevidade poſſivel a corôe com o ultimo complemento para immortal gloria deſta Monarchia da qual he V. Mageſtade Soberano Arbitro. Lisboa 15. de Outubro de 1761.

Diogo Barboza Machado.

QUe ſe poſſa imprimir viſtas as licenças do S. Officio, e Ordinario, e depois de impreſſo tornará á Meza para ſe conferir, e taixar, e dar licença para que corra, que ſem ella naõ correrá. Lisboa 24. de Outubro de 1761.

Carvalho. Emaûs. D. Velho.

PROLUSIO AUCTORIS.

Ad Auditores in Academia Pontificia.

AD Lusitanæ Ecclesiæ sæculum duodecimum, ad Lusitani imperii initium tandem devenimus, Optimi & Religiosissimi Auditores: quid magis optandum? quid viris antiquitatum avidissimis dignius? tot rerum eventus, quarum fœcundissimum tempus illud floruit, mentes nutriunt, voluntates recreant; & vestras maxime, utpote qui religionem, quam profitemur Canonicam, in hoc ipso Monasterio sub primo Lusitanæ Monarchiæ Fundatore id temporis perfectius restauratam videbitis. Vos ipsi Lusitanæ Ecclesiæ pars estis nobilissima. Quot Præsules, quot Episcopi ex his, quibus circumscribimur claustris, prodierunt? Quot viri aut literis, aut sanctitate insignes? Quot triumphatores Reges? Non mentiar, si Lusitanam Ecclesiam sæculo duodecimo diffusam dicam Maiorum nostrorum opera, & studio: videbitis quidem, exultabitis; & eorum exempla sectantes videre vos videor omnium virtutum, ac scientiarum amore inflammari, quibus Ecclesia ipsa temporibus nostris per nosmetipsos efflorescat. Scitis enim quænam sit virtutum, & scientiarum utilitas; quænam ignorantiæ mala: Sapientes Ecclesiæ propugnacula appellavit Antistes ille Alexandriæ Cyrillus, cum ait: *Sanctos Mystagogos pulchritudine intelligentiæ resplendescentes, tamquam propugnacula impiis sectarum inventoribus, & scurrilibus hæreticorum nugis acriter obstitisse.* Omnis adversus Ecclesiam conjuret orbis, præparentur in cædes tyrannorum agmina, excitentur perditissimorum hominum cogitationes, una non desit sapientia, quæ iis hostibus obviam fiat, eorum omnia evanescent stratagemata. De vestri medio tollite, quos non lactat Virtus, & Sapientia. Vos igitur sapientes homines, antequam propositi sæculi res exponam, monendos, ac instruendos duxi, de quibusdam, quæ ve-

luti ex oblivione primo, & ſecundo volumine notata ſunt ſcitu quidem digna, nec contemnenda; in proluſione tamen iſta, quod alii etiam inſtituerunt ſcriptores, declaranda. Morariæ Monaſterium ad ſæculum 9. in oppido de *Gontaõ* extructum, & ad ſæculum 11. in locum, quo extat, translatum vobis expoſui. Alii tamen quaſi mordicus objecerunt ex Era LxVIII. floruiſſe, anno ſcilicet Chriſti 60. & in hoc fundati ſunt monumento.

Magnum eſt enim nobis titulus dotis haut vel confirmationis, in quà nemo potens eſt hactus largitatis irrumpere, & hun factum noſtrum ... infringere, ſed paveat firmitate. Obinde Ego Senior, & proles Felgiæ acceſſit nobis bonæ pacis voluntas, aſto animo ſana mente, integroque noſtro conſilio, & ſpontanea noſtra voluntate per numlius quoque gentis imperio, nec numlis ſuadendis artigulum, pro nullius quoque pertimeſcentis metum..... ſed & nobis magna, & perfecta memoria, & benigniſſima mea voluntate, ut facere ego.. jam dicta ſenior, ſicut facere nexitus noſtro Hodorco Presbytero Kartula... firmitatis... remedium animæ noſtræ, ut aveas de anima noſtra cura poſt ovitum noſtrum, etſi damus tivi illa in vita noſtra, quo modo, & poſt ovitum dò, & dono tivi IIII. de villa Lauridelo ..... damus, & confirmamus vobis pro remedium animæ noſtræ, & nos in mente intus, & in tua oratione, & in omni tua memoria, in qua pro me potueris... vel pro me apligare in Sacerdotibus bonis, in omnibus ſervis, vel ancillis Dei ... aveas, & uſque in perpetuo ſemper. Amen. Et ſi aliquis homo, vel ex propinquis tuis te proinde inquietare voluerit tam in vita noſtra, quo modo, & poſt noſtrum ovitum imprimis ſiat excommunigatus, & cum Juda traditore aveat participio, & inſuper pro tua parte pariet illa dublata, vel tripata. Facta Kartula firmitatis pridie Idus Marci... Era LxVIII. Senior in hanc ſcripturam firmitatis manu mea confirmo. Id ex Morariæ archivo.

Credetis ne id eſſe ſæculi primi monumentum? Credat Judæus Appella, & non ego: credat, qui objecit,

non credamus nos: Critices enim regulas ob oculos habere non desinamus. Vidistis ne umquam barbariorem latinitatem? impolitiorem dicendi methodum? Sæculo 1. Strabone teste, Lusitani, imo Hispanienses omnes in Romanorum ritus, & mores erant transformati, ut nec propriæ linguæ memoriam servarent amplius, sed Latini facti erant. A' sæculo igitur illo, quo Latinitas in eam barbariem non dum declinaverat, monumentum illud relegate ad sæculum undecimum ad Eram scilicet 1048. literam quippe L inversam sic ⅂ millenarium numerum expressisse alibi vidimus: & in monumento ipso inversam fuisse certo habetote. Itaque numerales characteres attentius inspicite, ex quibus tot errores in Historia circa epochas duxerunt originem.

Ad sæculum sextum in volumine primo ex sæculo undecimo retro veniamus. Arguebar ipse quod in sæculi 6. cap. 8. Latinam linguam Græcæ filiolam dixerim. Dixi quidem, Viri Religiosissimi, & sensum quo protuli ibidem expressi, nec bene ab amico viro, qui censuit, incusabor. Latinam linguam unam esse, quæ in dispersione Babelica Italiam adventavit, ibique sua tentoria fixit, non renuam. An propterea Græcæ non filiola, non discipula? Minime fatebor. Angelus Roca Eremita Augustinianus vir apprime eruditus Latinam linguam à Græca duxisse ortum asseruit tom. 2. pag. 232. Rocæ sententiæ non est opus ut adhæream; non originem suam omnino ex Græca traxisse contendam, sed filiolam prædicabo, plurima scilicet verba, voces, sententias ex ea esse mutuatam.

Quis in Latium primus literas attulit? Græcus. Quis literas, & characteres docuit? Græcus. Plinius lib. 7. cap. 56. ait *In Latium attulerunt litteras Pelasgi* idem lib. sect. 8. *Umbros (in Italia) exegere antiquitus Pelasgi.* Etiam Cornelius Tacitus lib. 11. Annalium: *In Italia Etrusci ab Corinthio Demorato, Aborigines Arcade ab Evandro didicerunt.* Varronem prætereo, qui plurimas latinorum voces à Græcis acceptas exposuit; legite Nonium Marcellum: si Itali à Græcis litteras didicerunt,

quare eorum lingua non Græcæ filiola, ac discipula? Si tot voces Græcæ à Latinis adoptatæ fuerant, cur arguar? cur incusabor? Infinitus essem si Græcorum voces in Latium transmutatas exponerem. Nonne origine Græca sunt verba, quibus veteres usi sunt Latini: *Ephippium*, *triclinium*, *propola*, *bibliotheca*, *exantlo*, *plecto*, *pater*, *mater*, *Pinacothece*, *feretrum*, *Genealogus*, *&c.* Horatius ipse, qui aureo Latinitatis sæculo floruit, de Arte Poetica v. 52. ita cecinit

Et nova, fictaque nuper habebunt verba fidem, si Græco fonte cadant.

De Scientiarum, & Artium nominibus, quænam genuit Latium? quænam protulit? nutrivit sane, sed quæ Græcia produxerat. Quintilianus lib. 2. cap. 15. inquit non habuisse Romanos vocem, quà Rhetoricam dicerent, licet non defuerint, qui copiam Romani sermonis augere tentaverint. Et lib. 12. cap. 10. *Latina mihi facundia, ut inventione, dispositione, consilio, ceterisque hujus generis artibus similis Græcæ, ac prorsus discipula ejus videtur.* Marcus Tullius ex lib. 1. Academicorum cap. 2. amicos suos, in quibus erat studium, in Græciam mittebat, ad Græcos ire jubebat, ut scientias à fontibus propius haurirent, quam rivulos consectarentur. Is Aratum Romano carmine retulit, is nobilissimas Æschinis, & Demostenis orationes, Timæum Platonis, ejusdem Protagoram, Xenophontis Œconomium, Epicurum, aliorumque locos complures Latine reddidit: à Græcis Latini artes, scientias, leges, cetera politiora, ipsis fatentibus, didicerunt; viros suos scientiarum amantes Græciam mittebant; nec creditis Latinam linguam Græcæ filiolam, ac discipulam? An Græcia Latinum sermonem ante Magni Constantini tempora plurimi fecit, sicut Italia Græcum? Aliquid pretiosius, æstimabiliusque erat Græcorum, quod Latini discerent: si quidquam pretiosius antea non habitum non invenerint, ad quid apud Latium Græcismi studium tam vehemens, tam cultum, tam exornatum?


Marcus Tullius lib. 1. de Finibus Latinam linguam

non modò non in opem, ut vulgo putabant, existimavit, sed locupletiorem esse Græca: si Tullius Latinam locupletiorem ait, quia est una; Græca vero multiplex, idest Attica, Æolica, Jonica, Dorica, & communis, dexteram porrigo; si alio sensu profert; non annuam. Ipse in Oratione pro Cæcina fassus est neque in sua Romana lingua tantam esse verborum copiam, quapropter inopem esse dicebatur. Aulus Gellius lib. 2. Noctium Atticarum cap. 26. inquit: *Eam vocum inopiam in lingua magis Latina video, quam inGræca*; en Auli causam, „Quip-„ pe qui rufus color, à rubore quidem appellatus est, sed „ cum aliter rubeat ignis, aliter sanguis, aliter ostrum, a-„ liter cocrum, has singulas rufi varietates Latina oratio „ singulis, propriisque vocabulis non demonstrat, omnia-„ que ista significat una ruboris appellatione„. Si Latina lingua est inops, Latinis ipsis dicentibus, à Græca necesse est locupletari, cujus studium Romæ, Cicerone teste, vehementius colebatur. Fateor tamen linguas omnes coarctari, suamque inopiam aliquando sustinere, unde aiebat Hieronymus in Ep. ad Ephesios cap. 1. „Multa verba sunt, quæ nec „ de Græco in Latinum transferri valent, nec de Hebræo „ in Græcum, & reciproce nec de Latino in Græcum, nec „ de Græco in Hebræum„. Romani à Græcis didicerunt tempore aureo, quo nondum barbarorum devastantium milites vitiaverant. Si Lusitanam linguam Græcæ, Gothicæ, ac Latinæ filiolam, utpote quæ ab iis plurima vocabula susceperit, vellitis vocitare, per me liceat, sponte feram. Delete ex lingua nostra Græcas, Gothicas, Latinas, Hebræas phrases, tot gentium vocabula, quæ cum earum imperio introducta fuerunt; quid supererit natum, non mutuatum, non acceptum? Fortasse dicitis: ergo & Gallicæ filiolam, à qua ætate nostra tot verba, tot sententias in se vertit, & exprimit; & nemo curiosus qui Gallice non studeat, non sciat. Si Lusitana Gallicis phrasibus indigeret quibus nunc augetur; si non superfluerent; ac necessariæ evaderent, sicut aliæ Græcæ, Latinæ &c. annuerem. Nec novum opinamini quid me dixisse; plurimos patronos ha-

beo, eruditos quidem. Insignis Alfonsus Garcias Matamorus patria Hispalensis, Rhetor Complutensis in Narratione Apologetica de Academiis Hispanorum Pomponii Læti persuasionem edifcendi numquam literas Græcas, ne sermonis Latini puritatem cum alieno deturparet, stultam, & scrupulosam appellavit, nam *cum lingua Latina Græcæ filiola sit*, divinare utique nequibat quonam modo Pomponius ad istam Romani sermonis proprietatem, & arcana linguæ Latinæ pervenire potuerit, nisi plus ille suo tempore videret, quam Tullius, & Marcus Varro, quos Latinæ linguæ Deos Roma coluit, & qui Græcis etiam vocabulis in sermocinando utebantur.

Hæc est omnium scriptorum indoles omnibus non placere; unumquemque in suo sensu abundare iterum dico: vobis interim gratulor, despicatui, quæ dixero, non habeatis; modo labores meos in Dei, & Beatissimæ Virginis Protectricis nostræ laudem, & gloriam referam.

INDEX CAPITUM
SÆCULI XII.



HISTORIA ECCLESIÆ LUSITANÆ. SÆCULI XII.

LUSITANAM Ecclesiam à Saracenorum potestate immunem, restauratam, sub novo Lusitaniæ regno suarum ovium fruentem pace, duodecimo sæculo germinantem, florentem, Pastoribus, Sacerdotibus, Regibus, Principibus Dynastis non in angulo, non in tenebris, sed publicè Christi vexillum evehentibus locupletatam mirabimini. Hinc Portugaliæ regnum, hinc novæ Lusitaniæ Reges, hinc Portugalensis populus, quorum vires remotissimas orbis plagas, ultimas terrarum appendices ad Orientem, Occidentemve Solem positas pene-

trarunt. Genus Deo electum, regale Sacerdotium usque ad hæc tempora errore nullo, hæresi nulla, secta nulla infectum, inustum, conspurcatum. Quid regno dignius? quid æstimabilius? Alia in fide omnino defecerunt, alia mixtam novarum sectarum congeriem cum veteri, & vera religione servarunt, quæ à prioribus sæculis soli Romanæ Sedi mancipabantur; Lusitaniam sui dogmatis integram, maiorum veritatis amantem, & tenacem posteriora, quæ producemus in testimonium, sæcula demonstrabunt.

CAP. I.

De Episcopis.

§. I.

De Episcopis Bracarensibus.

MOrtuo Giraldo Bracarensi Archiepiscopo anno 1108. unanimi populi, & cleri consensu in ejus locum suffectus est Mauricius Burdinus Colimbriensis Episcopus; sed cum id temporis Episcoporum translationes absque Romani Pontificis consensu non fierent, Romam petiit confirmandus: ubi à Paschali 2. Romano Pontifice per manus Joannis Caetæ Romanæ Ecclesiæ Cancellarii, & postea Papæ Gelasii 2. pallium accepit. (*a*) Bracaram cum corpore S. Jacobi intercisi, quod in Sede Bracarensi collocavit, reversus, cum Episcopo Compostellano diuturnam litem composuit circa limites, quos intra Bracarensem Diœcesim Compostellanus ipse possederat. Tum Regina Tharasia Comitis Henrici conjux Bracarensem Ecclesiam Bracaræ jurisdictione, ac dominio eodem decoravit, quo antea Alphonsus V. Legionis Rex donaverat. Sedis suæ dignitatem sedulus obtinebat Mauricius, cum Bernardus Toletanus Præsul Vicaria Romani Pontificis per Hispanias auctoritate abusus primatiali suæ potestati Bracarensem Antistitem subjicere prætendit: eum ad Concilium vocavit, ipsique Lucensem novum Episcopum Bracarensis

(a) *Ep. Gelasii 2. ad Gallos.*

Ecclesiæ suffraganeum eligenti adversatus est. Mauricius Bernardo restitit suæ Sedis jura vindicaturus. Sed Paschalis 2. Toletani Antistitis querelis deceptus, & inclinatus ad Mauricium ita scripsit: *Inter querelas alias, quæ de Te ad Sedem Apostolicam delatæ sunt, Legionensis Ecclesiæ invasio, & contritio nos gravius contristavit. Super quæ ex nostris litteris monitus, & à Vicario nostro Bernardo Toletano ad Concilium vocatus, venire, & satisfacere contempsisti. Ad hæc pro hujusmodi nequitia, & inobedientia per eum tam à Sacerdotali, quam ab Episcopali officio interdictus, eadem officia celebrare pertinaciter præsumpsisti. Nos igitur, auctore Deo, tantum nequitiæ, & superbiæ facinus ulciscentes, & eadem tibi officia, & Bracarensis Ecclesiæ obedientiam interdicimus, donec resipiscens obedias, & plenius satisfacias. Datum Laterani* 14. *Kalendas Maii Indictione* 7. In Palentino Concilio, de quo Cardinalis de Aguirre, (a) anno 1114. Bernardus Epistolam hanc legit, & lecta, Mauricium excommunicatum declaravit, sententiæque executionem ad Didacum Compostellanum Episcopum direxit; Petrum Reginæ Capellanum ab eodem Mauricio in Lucensem Episcopum ordinatum, ab Compostellano Antistite cum Mindoniensi, Tudensi, & Auriensi ejus vice fungentibus benedicendum, & consecrandum edixit, quasi ab Mauricio 1. Romanæ Ecclesiæ inobediente valide non esset consecratus.

(a) *Tom. 5. Conciliorum.*

Mauricius à Toletano Præsule ita vexatus Romam anno 1115. properavit Paschalem 2. de illata injuria certiorem redditurus, & crimen falso sibi objectum impugnaturus. Paschalis de justis Mauricii querelis certus ad Bernardum literas misit ipsum monens, & corrigens, quod Colimbriensis Episcopi obedientiam Mauricio contra Romanæ auctoritatis privilegia subtraheret, item in Lucensi Ecclesia ad ejus Metropolim pertinente, Episcopo præter judicium ejecto, subordinari alium præciperet, Bracarensis Ecclesiæ bona ab aliis distrahi consentiret, & ipse cum familiaribus suis mora diutina consumeret, & per totam provinciam in-

vito, & ignorante eo, poteſtatem ſuæ voluntatis exerceret: quamobrem Bernardum ipſum ab injuncta ſuper Archiepiſcopum, & provinciam Bracarenſem cura legationis abſolvit, ut Mauricius in ſua provincia juſtitiam exerceret.

Romæ adhuc erat Mauricius Paſchali gratus, & nimis acceptus anno 1117. quo Henricus Imperator in Concilio Vienenſi ob inveſtituras extortas excommunicatus congregato exercitu Romam advenit: quod ubi Paſchalis didicit, Urbem dereliquit, & Mauricium Bracarenſem cauſa tractandæ pacis cum Cæſare legatum inſtituit: interea, Auctore Petro Diacono lib. 4. cap. 57. Imperator civitatem ingreſſus, cum Pontificem diſceſſiſſe cognoſceret; Conſules, Senatores, & Proceres partim donis, partim promiſſis ad ſe traxit: & cum peteret coronari, Eccleſia quæ erat in Urbe inhoneſtum, ac indignum arbitrata eſt cum excommunicato communicare, & ſuis intereſſe comitiis, præſertim, dum contingeret abeſſe Papam, qui omnium primus deberet intereſſe, & è cujus manibus ille diadema ſuſciperet. Diffiſus Henricus accivit Mauricium Bracarenſem Paſchalis Legatum, & ab ipſo ante corpus B. Gregorii coronari ſe fecit, ſicque ab Urbe comitatus abſceſſit. Paſchalis, Mauricii geſtis erga Cæſarem cognitis, eum in Concilio Beneventano excommunicavit. Poſt Beneventanam ſynodum morbo correptus Pontifex die 18. Januarii anno 1118. è vivis exceſſit. Romanam Sedem duodecim vacantem dies omnium Cardinalium ſuffragiis aſcendit Joannes Caeta Romanæ Eccleſiæ Cancellarius, & Caſſinenſis Monachus, & Gelaſius ſecundus dictus eſt. Henricus Imperator, dum Padanis regionibus immoraretur, audito Paſchalis tranſitu, Romam adiit, & primo in electione Joannis aſſenſſum præbens, poſtea eodem à ſua ſe communione ſubtrahente, non ſine quorumdam Romanorum favore, Guibertinorum, ſcilicet Romani de S. Marcello, Cencii de S. Chryſogono, & Teutonis, Mauricium Burdinum Apoſtolicæ Sedi impoſuit; ſicque ſchiſma, quod jam ſperabatur emortuum, crudeliter revixit. Eodem Burdino Gregorii VIII. nomine Romanæ Cathedræ libere potito, Gelaſius cum his

Cardinalibus, ceterisque Catholicis, quos congregare potuit, Caetam se contulit, ubi Romanus Pontifex consecratus est: apud Capuam in Concilio Cæsarem cum Idolo suo Mauricio damnavit.

Ad Bernardum Toletanum scripsit Gelasius de Burdino in Apostolicam Sedem intruso, ut ad novam electionem in Bracarensi Ecclesia faciendam operam omnem, & opem præberet. Per literas Gallos monuit, ut à Mauricii communione averterentur, & ad Matris Ecclesiæ ultionem se accingerent. Romanis etiam commendavit constantiam adversus intrusum Pseudo Pontificem. Mauricius Romæ commoratus Pentecostes die Henricum coronavit, diplomata sua ad Ecclesias direxit, sed in Germania, & Anglia tantum parebant quidam, qui Gelasium verum Romanum Pontificem non credebant. In Alemaniam Henrico jam redeunte, Papa Gelasius in propria Sede in Campaniam venit, Romam intravit, latuit potius, quam hospitatus fuit in Ecclesia quadam, quæ S. Maria in secundo Cereo dicebatur; ibi de imminentibus periculis, præsertim de Burdino intruso cum tota simul Ecclesia conferebat: sed cum Schismatici, qui Henrico Imperatori adhærebant, ejus vitæ insidias struerent, in Galliam tanquam in asylum tutissimum secessit auxilium contra Antipapam, & schismaticum Imperatorem à Ludovico Grosso Rege Christianissimo rogaturus; ibique lætitia ineffabili, summa charitate, & honore immenso exceptus est, ut testatur Sugerius Abbas in vita Ludovici 6. Galliarum Regis. Verum Gelasius postquam multas Galliarum urbes perlustrasset, gravissima ægritudine correptus Cluniacum se perferri jussit, quo asportatus, summaque reverentia susceptus in medio fratrum circunstantibus Cardinalibus verus Pastor in pace Cluniaco quievit. Gelasio post inter-Pontificium duorum dierum Guido Viennensis Archiepiscopus in Pontificatu electione canonica successit, & Callistus II. appellatus est. Romam anno 3. Pontificatus sui, seu anno 1121. cum adventasset Callistus, Romanorum, ac Normannorum collegit exercitum, & apud Sutrium urbem Romæ conterminam obsedit, cepitque Mauricium, qui jam trien-

nio elapſo, Eccleſiam turbaverat, & Sutrii, quo confugerat, ſedens ad limina Apoſtolorum tranſeuntes genuflectere compellebat. Sic captus Mauricius Burdinus, & multis opprobriis à militibus, & populo affectus, Auctore Falcone in Chronico Beneventano, & Petro Diacono, Romam in triumphum indutus piloſa veſte vervecis pro clamyde rubea, poſitus ex adverſo ſupra camelum, dataque ei in manibus pro fræno cauda cameli adductus eſt: & Calliſtus Romanos veteres imitatus, qui ſubjugatorum regum, ac populorum nomina, tituloſque lapidibus inſcribere conſueverant, hanc hiſtoriam in antiqua Camera Palatii Lateranenſis depingi juſſit hac inſcriptione, quam ſua ætate ſuperfuiſſe ait Onuphrius Panvinius.

Ecce Calliſtus honor patriæ, decus imperiale
Burdinum nequam damnat, pacemque reformat.

Ita in Urbem introductus eſt in exemplum aliorum, ne ſimilia quis ultra auderet tentare. Inde in arcem Fummonis primùm, inde vero eſt in Monaſterium Cavenſe translatus ad pœnitentiam, ſed in ſua rebellione perſeveravit in cunctis. Sic miſerè periit Mauricius Burdinus Bracarenſis Archiepiſcopus, & Antipapa. Aſt Bracarenſis Eccleſia vix Archiepiſcopum ſuum in Petri ſolium intruſum agnoverat, ab eo defecit, Gelaſio proprio Paſtori adhæſit, & Pelagium Menendes filium D. Menendi Gondiçalvi da Maja, ex D. Lorgunda Soarii natalibus ſuis illuſtrem ejuſdem Bracarenſis Eccleſiæ Archidiaconum populi, & univerſi cleri conſenſu in Mauricii locum ſuffecit.

Antiquus Bracarenſium Præſulum catalogus initium Pelagii Epiſcopatus refert ad annum 1116. quo Mauricius nondum à Paſchali 2. pro Henrico Imperatore defecerat: quapropter exſcribentis error ibidem cenſebitur ſimul & circa annum 1115. quo Ovetenſe Concilium ex Mſſ. Eccleſiæ Toletanæ apud Eminentiſſimum de Aguirre tom. 5. convocatum legitur, & à Bracarenſi Pelagio ſubſcriptum; nam Gelaſius II. anno 1118. ad Bernardum Toletanum Epiſcopum ſcripſerat de novo Bracarenſi Antiſtite in Mauricii locum eligendo; & eruditus Herrera veteres Toleti annales, Chronicon Mailezaes, & recentiores Aragonenſes Scriptores ſequutus Ove-

tense illud Concilium sub Bernardo Toletano Præside, & à Bracarensi Pelagio firmatum ad annum 1121. exscripsit. Pelagius in Archiepiscopum electus Segoviam accessit à Bernardo Toletano per Hispanias Apostolicæ Sedis Legato ordinandus, & sacrandus, quod Gallæcia id temporis Episcopis careret; & à Callisto II. per literas pallium suscepit. Eo Præsule, Bracarensis Ecclesia privilegia à Paschali II. concessa retinuit; & Callistus II. anno 1123. recordatus Bracarensem Metropolim insignem quondam fuisse, atque inter Hispaniarum regna multis, & dignitatis, & gloriæ titulis claruisse, & postea irruentibus Mauris esse imminutam, Parochiarumque terminos confusos, pristinam dignitatem, quam Paschalis II. redintegraverat, literis ad Pelagium datis ex Cardinali de Aguirre tom. 5. confirmavit: illius jurisdictioni Metropolitanæ designavit integram ipsam urbem Bracaram cum *Cauto* illo integro, quod Comes Henricus, & uxor ejus Tharasia eidem Ecclesiæ contulerunt, & Gallæciam provinciam, Asturicam, Lucum, Tudam, Mindonium, Auriam, Portugale, Colimbriam, *&* Episcopalis nominis tunc oppida Viseum, Lamecum, Egitaniam, Britoniam cum Parochiis suis. Adeo erat Callisti benevolentia erga Bracarensem Pelagii Ecclesiam, ut anno 1122. Bernardi Toletani per Hispanias legationem confirmans, quam ipse à Paschalis tempore commendatam habuerat, Bracarensem, & Emeritensem Metropoles exceperit, & à Bernardi potestate exemerit.

Eodem anno Callistus Compostellanam Ecclesiam Metropolitano jure, & majestate adauxit, atque Emeritensis Ecclesiæ, quæ in ditione Maurorum erat, jura, & potestatem omnem, quo maior esset auctoritas, Compostellam transtulit. Didaco Compostellano Antistiti ob S. Jacobi reverentiam, & ob fidelem, quam Romanæ Ecclesiæ assidue exhibuerat obedientiam, vices suas in duabus provinciis Bracarensi, & Emeritensi exequendas commisit, & in iisdem provinciis, quam Toletanus habuerat, legationem subtraxit, quapropter non modica dissidia inter Compostellanum, ac Toletanum exorta sunt, quæ exscripsit Aguirre tom. 5. Concilior. Hispaniæ.

Anno 1124. cum Didacus Compostellanus Concilium Compostellæ convocaret Apostolici Legati munus obiturus, Pelagius Bracarensis ad illud accessit, & paruit; & quos ibi decreverit Canones non apparent, cum Concilii acta in lucem non prodierint: nec audiendus est D. Rodericus da Cunha p. 2. historiæ Bracarensis cap. 12. dum scripsit Pelagium à Didaco in Concilium vocatum adire, & parere noluisse, cum non tantum huic ipse, imo & alii Compostellanæ synodo per Vicarium subscripserit, ut Compostellanæ Ecclesiæ historia testatur. (*a*)

(a) *Histor. Compostellana lib.* 2.

Inter alia, quæ Pelagii indolem tenacem indicant, fuit dissidium cum Regina Tharasia Comitis Henrici uxore; Pelagius enim Urracæ Reginæ adversus sororem Tharasiam bellum indicenti adhæserat; quamobrem Portugaliæ Domina, & Comes eum in vinculis teneri jussit; & retinuit donec Callistus II. ei excommunicationem minatus est à Didaco Compostellano Episcopo exequendam, nisi ipsa pareret, & à custodia Pelagium expelleret. A' custodia liber Pelagius in Tharasiæ gratiam acceptus est, & ab ipsa Capellanus, & Cancellarius institutus donationis monumento, qua Monasterium Montis *de Ramo* in Auriensi Episcopatu fundavit, anno 1124. subscripsit: *Pelagius Bracarensis Archiepiscopus Capellanus, & Cancellarius Reginæ.* De Regis quoque Alfonsi Henrici benevolentia bene est meritus, qui ab ipsomet Rege in Capellani, ac Cancellarii dignitatibus confirmatus, & anno Christi 1128. piissimus Rex civitatis Bracaræ jurisdictionem, ac dominium Bracarensi Episcopo jam antea concessum his munificentissimis verbis ratum habuit: *Et in civitate tua Bracarensi nullam potestatem habeam, præter voluntatem tuam, & præter voluntatem successorum tuorum.* Ad annum usque 1136. vixisse creditur, nam anno 1136. Era 1174. librum *Senæ* censualem suo nomine roboravit, ut ex eodemmet libro constat in Regii Monasterii S. Crucis archivo custodito.

Pelagii ab humanis sublati locum tenuit anno 1137. Joanes Peculiaris Canonicus Regularis Monasterii S. Crucis Colim-

limbriensis, & Episcopus Portugalensis. Joannem fuisse natione Gallum tenuere Fr. Antonius Brandaõ tom. 3. Monarchiæ Lusitanæ lib. 9. cap. 29. & D. Rodericus da Cunha 1. p. Historiæ Bracarensis cap. 14. nituntúrque iis verbis antiqui libelli de Monasterii S. Crucis fundatione apud ejusdem Monasterii archivum: *Venerat siquidem Juvenis quidam Joannes nomine, Peculiaris agnomine, quod evidenti ostendit indicio se Dominicum esse peculium, siquidem in suo de Galliæ partibus adventu quoddam suo ducatu, & doctrina statuit Monasterium apud Sanctum Christophorum.* Ac si de Lusitania in Gallias prius non discederet aut studii, aut alia de causa, quàm ad ipsam inde adveniret, firmant illi. Enim vero Petrus Alvares Canonicus Ecclesiæ Colimbriensis in Catalogo Colimbriensium Episcoporum de gestis D. Joannis Anaiæ Episcopi cap. 6. ait Joannem Peculiarem puerum à Canonicis Regularibus Sedis Colimbriensis primis literis instructum fuisse, & jam maioribus scientiis maturum de Episcopi, & Sedis Prioris consensu Galliam petiisse studiis vacaturum. Inde reversus in patriam ex bonis paterno jure sibi adquisitis S. Christophori Monasterium condidit, quod ex veteri libro Monasterii S. Crucis archivi pag. 8. fuerat Clericorum.

Hæreo hìc in limine, cum S. Christophori Monasterium Clericorum fuisse lego; & monumentum aliud ob oculos habeo fide quidem dignum in archivo Monasterii S. Christophori custoditum, cui maximè credidit Fr. Antonius Brandaõ tom. 3. Monarchiæ Lusitanæ lib. 10. cap. 5. ut Eremitas ibi degentes ostenderet: *Facio cautum firmissimum per hujus scripturæ firmitatem, Ecclesiæ S. Christophori de Lafoẽs*, ait venerabilis Rex Alfonsus Henricus, *& ipsis Eremitis, qui ibi habitant, scilicet Joanni Ciritæ ejusdem loci Priori, & omnibus aliis, qui ibi Eremiticum ordinem in præsentiarum tenent, per manus Joannis Portugalensis Episcopi, præfati loci fundatoris.* Hærerem sane, nec deciderem, si verba illa: *Qui Eremiticum ordinem in præsentiarum tenent per manus Joannis Portugalensis Episcopi,*

non indicarent poſtea, decurrente jam aliquo à conditione tẽpore, Joannẽ Portugalenſem factũ Epiſcopũ degentes ibi Eremitas approbaſſe in loco quem fundaverat. Joannem ipſum Colimbrienſis Eccleſiæ fuiſſe Canonicum Magiſtrum ſcholæ, antequam Canonicis noſtris adſcriberetur, teſtatur Anonymus Canonicus, Auctor Synchronus in vita S. P. Theotonii referens duodecim inſignes viros, qui in hoc Monaſterio Canonicum inſtitutũ erexerũt: *Secũdus autem fuit Domnus Joannes cognomento Peculiaris, qui eo tempore Colimbriæ Magiſter ſcholarum erat; qui poſtea Portus Gayæ factus Epiſcopus poſt mortem Domni Pelagii Bracaræ præficitur Archiepiſcopus.* Palam etiam id fit ex Epiſtola S. P. Theotonii ad Abbatem, & Canonicos S. Rufi in Gallia, per Petrum Presbyterum Salomonis filium pag. 6. cujus meminit Magiſter Domnus Petrus Alfarde in libro, quem Sanctum appellare conſuevimus: *Quantas Deo, veſtræque ſanctitati pie perſolvemus grates pro benevolentia, & charitate devota, in Dominicum Diaconum, & Joannem tunc Magiſtrum, nunc autem Archiepiſcopum, & in Tellonem Archidiaconum, cujus anima requieſcat in pace.*

Ex Magiſterio ſcholæ Colimbrienſi à Tellone Archidiacono ad novum Canonicorum Monaſterium S. Crucis exſtruendum invitatus, cum S. Theotonio, aliiſque novem inſignibus, ac illuſtribus viris novum inſtitutum ſuſcepit. Hinc cum eodem Tellone Romam profectus eſt à Romano Pontifice Innocentio II. recens conditi Monaſterii confirmationem petitum; cujus Apoſtolicis indultis, & gratiis conceſſis cumulati per Gallias Colimbriam reverſi ſunt. Cum Theotonii, & ſociorum fama volitaret, odorque bonarum virtutum undique diffunderetur, Eccleſiolæ Monaſterii Canonici eos impenſe rogarunt, vellent ad ipſos mittere duos viros, qui in Canonica doctrina reformarent, ac ducerent. Joannes, ac Domnus Petrus Rabaldis S. Theotonii juſſu id muneris obierunt. Monaſterii reformationi totus vacabat Joannes, cum Portugalenſis clerus, & populus eum in Epiſcopum poſt Hugonis mortem deſignarunt. Portugale cum Petro Rabal-

dis, quem suæ Sedis Archidiaconum instituit, profectus qua diligentia, qua solicitudine suas pascebat oves, & quid in Portugalensi Episcopatu gesserit, in illius Ecclesiæ Episcoporum catalogo descriptum erit.

Archiepiscopus Bracarensis Joannes jam factus Romam se contulit pallium à Summo Pontifice suscepturus, socio adjuncto D. Petro Salomone de S. Crucis Canonicis, ut ab eodem Romano Antistite indultorum acciperent firmitudinem, quibus venerabilis Rex Alfonsus Henricus idem Monasterium ditaverat. Romæ commoratus Concilio Lateranensi 2. interfuit, indeque multis privilegiis, ac gratiis cumulatus Bracaram venit. Cum Lucius II. & Eugenius III. in Epistolis ad Raymundum Toletanum Antistitem ejus Primatum per Hispanias firmarent, Joannes Bracarensis suæ Ecclesiæ jura, & antiquitates vindicaturus Toletano subjici recusavit, quapropter Eugenius ad Joannem literas minarum plenas scripsit, ut Raymundo debitam præberet obedientiam, aut Apostolico conspectui se præsentaret, & Archiepiscopi nuntiis de sua justitia responderet, & si infra tres menses post acceptas literas adimplere comtemneret, ab Episcopali officio esset suspensus. Ad Romani Pontificis literas paruit Joannes, Toletano Primati cessit; quod eidem Joanni per Epistolam gratulatus est Eugenius anno 1150. & in eâdem Epistola Raymundum incusavit, quod Bracarensem Præsulem exasperaret, suæque provinciæ terminos invaderet, & contra justitiam in Ecclesia Zamorensi intra Bracarensis provinciæ limites constituta Episcopum ordinaret. De Episcopatu enim Zamorensi, qui pars fuerat Asturicensis Diœcesis Joannes Bracarensis cum Toletano contenderat; & Eugenius III. eorum auditis rationibus, & plenius intellectis prædictam Zamorensem Ecclesiam Bracarensi Sedi perpetuò subjectam fore decrevit. Ex Lucii II. Eugenii III. Anastasii IV. & Hadriani IV. literis ad Joannem Bracarensem, quas exscripserunt Labæus, & Aguirre, constat quæ inter ipsum, & Toletanum Antistitem circa Primatus Hispaniarum jura fuere dissidia.

Venerabili Regi Alfonso adeo fuit acceptus Joannes, ut

in regni arduis ejus consiliis uteretur. Literis, quibus Venerabilis Rex ad Lucium II. Romanæ Ecclesiæ hominium fecit, & regnum B. Petro obtulit sub annuo censu quatuor unciarum auri singulis annis persolvendo, subscripsit Joannes anno 1144. Constitutiones quoque regias Eboræ Era 1204. & de Linhares Era 1207. quæ in Regii Monasterii S. Crucis archivo custodiuntur, suo nomine roboravit. Anno Incarnationis Dominicæ 1147. in obsidione Olyssiponis Mauris ademptæ Venerabilis Rex Joannem Bracarensem Archiepiscopum accersire fecit, & ei advenienti ait, juxta Indiculum antiquissimum fundationis Monasterii S. Vincentii apud nostros asservatum: *Contemplor Barones istos fortissimos de terris suis ad has fuisse ingressos, & venisse, ut his moriantur pro Christo ejus bella bellando contra hostes fidei dimicando viriliter. Qui nihil curantes de vita præsenti ipsos, & per enses infestos conantur delere paganos. Nam zelus domus Dei tantus fervet in illis: unde ut Martyrum Christi eorum exequias dignis prosequamur honoribus: non enim hæsito eos fore Dei dignatione Sanctis viris asociandos in cœlis, quorum vestigia tanto studio sequi comprobantur in terris. Quare Pater Pontifex ultra non differat consignare illis loca cunctis congrua, & à castris eorum non valde remota: ad vestrum quippe spectat officium hoc ordinare ..... Tum Sanctus Archiepiscopus tantam in rege commendat pietatem, votumque collaudat.* Eodem anno Gilbertum natione Anglum in Olyssiponensem Episcopum ordinavit Joannes; & anno 1166. Soarium in Eborensem, & ab iis tanquam Metropolita debitam reverentiam suscepit. Hinc Bracarenses Antistites Olyssiponensem, & Eborensem Episcopatus sibi suffraganeos respexerunt: hæc fuit origo contentionum inter Compostellanum, & Bracarensem Præsules tempore Innocentii III. (ut suo loco agam) circa sua jura in Olyssiponensem, & Eborensem Episcopatus, quos uterque sibi vindicare suffraganeos conabantur.

Comitiis Lamecensibus, de quibus infra, ab Venerabili Rege convocatis interfuit, & Regis solio sedentis capiti dia-

dema impofuit. Coram ipfo Piiffimus Rex juramento teftatus eft Chriftum Dominum apud Oriquium ob oculos habuiffe; & licet inter feveriores critices profeffores monumentum illud incertum, nimifque dubium proferatur, interim miffum facio, alibi ex induftria explorandum. Anno Chrifti 1169. cum aliis Epifcopis Portugalenfi, Lamecenfi, ac Vifenfi Ecclefiam S. Joannis de Tarouca Ordinis Cifterciensis in Lamecenfi Diœcefi dedicavit. Ætate jam gravis Joannes (centefimum enim annum fuperabat) meritis, virtutibus, & honoribus plenus obiit die 3. Decembris anno 1175. ut in antiquo libro Monafterii S. Crucis, quem *Obituum* appellamus, eft infcriptum: *Tertio Nonas Decembris obiit Dominus Joannes Bracarenfis Epifcopus Canonicus S. Crucis in Era* 1213. In Archiepifcopatu ferme 36. annos vixit, & in Bracarenfi Ecclefia loco tamen ignoto fepultus eft.

In Joannis locum fuffectus eft D. Godinus Canonicus Regularis antiqui Monafterii de Balneo, quod intra Villam de Barcellos, & oppidum de Efpofende fitum erat. Ex virtutibus, quibus decorabatur Godinus omnibus in Monafterio factus in exemplum, Bracarenfis clerus, & populus eum in Paftorem fuum optaverunt. Archiepifcopus jam electus Romam ivit pallium à Summo Pontifice Alexandro III. & non à Callifto IV. feu III. ut fcripfit D. Rodericus da Cunha p. 2. Hiftor. Bracar. cap. 17. fufcepturus: inde Hierofolymas profectus eft facra loca veneratum. Ab Alexandro III. & non à Callifto IV. aut III. Godinum pallium fufcepiffe nemo non credet; nam univerfa Hifpania cum fuis Epifcopis Alexandro III. canonicè electo adhæfit, ut ex ejufdem literis ad Hifpaniarum Epifcopos conftat, & Pfeudo-Pontifices Victorem IV. Pafchalem III. & Calliftum III. aut IV. qui anno 1178. Pfeudo-Pontificatum depofuit, nunquam ceu legitimos agnovit, fed Antipapas à fchifmaticis Alexandro III. male adverfantibus electos abhorruit. Breviarium antiquum Bracarenfe ad diem 4. Maii lect. 3. ait: *Præfidente Bracaræ Archiepifcopo Godino, quem Omnipotens Pater initio fui Archiepifcopatus, evidentibus virtutum miraculis honorare di-*

gnatus est per eundem Archiepiscopum ab eodem Rege (Alfonso) summo studio , & ardentissimo amore impetratæ , & translatæ sunt reliquiæ S. Vincentii Levitæ , & Martyris in Ecclesiam Bracarensem anno 1176. Inter Bracarenses Antistites dignus fuit , qui à posteris Beatus vocaretur ; & tot meritis conspicuus diem suum ultimum clausit anno Domini 1188. ejus memoria remanet in antiquis Constitutionibus regiis de Melgaço , Palmela , & Abrantes à Venerabili Rege Alfonso latis , quibus ille subscripsit Era 1217. 1219. & 1223. quæ in S. Crucis archivo asservantur. Falluntur quidem , qui Bracarensem hunc Godinum eundem fuisse Lamecensem Episcopum ex Lameco Bracaram translatum , cum uterque Bracarensis , & Lamecensis Era 1219. municipales leges de Melgaço supradictas nominibus suis subscriptas firment.

Godinus in Pontificatu successorem habuit Martinum cognomento Pires ex Portugalensi Sede ad Bracarensem translatum. D. Rodericus da Cunha in catalogo Bracarensium Præsulum ait primam de Martino Bracarensi jam facto Episcopo inveniri notitiam anno 1197. sed inter vetusta Regii Archivi monumenta asservatur donatio Sanctii I. de Castro Abemaneci erga Alcobatiæ Monasterium anno 1191. Era 1229. (*a*) cui Martinus hic Bracarensis Antistes nomen suum adhibuit firmaturus. Statim , ac Bracarensi Ecclesiæ præfuit, magnopere intendit sub Metropolitica potestate eos retinere Episcopatus, qui obedientiam præbere consueverant. Inter ipsum, & Petrum Compostellanum Episcopum exarsit dissidium circa Episcopatus Olyssiponensem , ac Eborensem. Quapropter Romam confluxerunt ad Innocentium III. nuper electum causam tuituri. Compostellanus querebatur , quod ante barbarorum invasionem Olyssipo, & Ebora ad Emeritensem Metropolim pertinerent ; sed ea postmodum captivata , & ipsæ cum ea fuere captæ , donec ejus dignitas cum omni jure suo in Compostellanam Ecclesiam fuit translata : eas quoque civitates Christianorum cultui jam restitutas nullum esse dubium ad Compostellanam Ecclesiam adtinere : Regem Portugaliæ ad suggestionem Bracarensis Antistitis jus Compo-

(a) *Apud Brandaõ tom. 4. Monarch. Lusit. in append.*

stellanæ Sedis pluries impediisse, pro cujus prohibitione secundus Eborensis Episcopus electus in tantum distulit consecrari, quod sine consecratione decesserit, cujus etiam successor, & tertius Olyssiponensis electus, præfato Rege vivente, non fuerant consecrati.

Respondebat Archiepiscopus Bracarensis Martinus se Episcopatus illos tunc possidere, & ab eo tempore possedisse, quo per virtutem Alfonsi Henrici Regis Portugalensis duæ civitates prædictæ de paganorum manu fuere liberatæ, atque ad cultum Fidei Christianæ per Bracarensis Archiepiscopi prædicationem reductæ; & sic suo jure usum nullam Compostellano inferre injuriam: etiam adjiciebat omnes Episcopos ab earum civitatum libertate per Bracarensem Archiepiscopum fuisse consecratos, qui ei quoque tanquam suo Metropolitano reverentiam, & obedientiam impenderunt, euntes ad Bracarensia Concilia tanquam suffraganei, & querelas suas coram eodem Archiepiscopo proponentes. Et falsas esse, nec per testes approbatas professiones, quas adferebat Compostellanus, quibus Olyssiponenses Episcopi in scriptis, aut verbis reverentiam sibi veluti suo Metropolitæ promiserant; aut clam ignorante Bracarensi Archiepiscopo, & Olyssiponensi Episcopo exulante. Quod Compostellano majores augebat vires, erat; interrogatum olim in jure Bracarensem Antistitem Godinum Martini antecessorem, si credebat aliquem suorum prædecessorum hos possedisse Episcopatus, respondisse: *Quidam dicunt sic, quidam non, & ideo nescio, quibus credam.* Hæc constant ex Epistola Innocentii III. ad Petrum Archiepiscopum Compostellanum. Ad Urbanum III. latum est dissidium, qui causam cognoscendam commisit Vice-Domino Brixiensi, & Magistro Joanni Bergonensi in Hispaniam destinatis. Verum Urbano è vivis sublato, ad Innocentium III. qui successerat, delata est causa, & lite composita, Innocentius Compostellano Archiepiscopo designavit in suffraganeos Episcopatus Eborensem, Olyssiponensem, Lamecensem, ac Egitaniensem, & eosdem à debita Bracarensi Antistiti obedientia absolvit: ceteros Episcopatus Colim-

brienſem, Viſenſem, Tudenſem, Aurienſem, Mindonienſem, Lucenſem, & Aſtoricenſem ad Bracarenſem Metropolim pertinere declaravit; hinc Compoſtellanus coram Romano Pontifice prædictos Epiſcopatus Bracarenſi Epiſcopo in perpetuum renuntiavit.

Circa Epiſcopatus ſuffraganeos à Romano Pontifice Innocentio III. inter Bracarenſem, & Compoſtellanum Archiepiſcopos lite compoſita, ſuper quæſtione inter Martinum, & Petrum de uſu crucis ventilata eoſdem ad concordiam duxit invitandos, qui ejus adquieſcentes conſiliis, in hunc modum convenerunt, ut uterque per provinciam alterius univerſam crucem ante ſe faceret ſine contradictione deferri; & hanc concordiæ formam Sedis Apoſtolicæ auctoritate confirmavit. Martini tempore iterum excitata eſt contentio inter ipſum, & Compoſtellanum Archiepiſcopum de Zamorenſi Epiſcopatu. Alexander III. ac Lucius III. Compoſtellano Antiſtiti Zamorēſem Eccleſiam literis ſuis deſignaverant in ſuffraganeam; licet Eugenius III. olim contra Toletanum pro Bracarenſi aſſereret. Aſt Innocentius III. ſtatuens ut Alexandri, & Lucii ſententia in nullo prorſus Bracarenſi Archiepiſcopo obſiſteret, Oxomenſi, Portugalenſi, & Placentino Epiſcopis juſſit, ut cauſam inter Archiepiſcopos motam agnoſcerent. Ad eundemmet Innocentium III. conqueſtus eſt Martinus Bracarenſis ſe ignorante Priorem S. Martini de Craſto Monaſterii Canonicorum Regularium à Cæleſtino III. Papa privilegium impetraſſe, quo ei debitam, ac conſuetam reverentiam exhibere denegabat. Innocentius ad Portugalenſem, & Lamecenſem Epiſcopos ſcripſit, ut Priorem prædictum Bracarenſi Præſuli obedire cogerent, ſicut & ceteri ſuæ Diœceſis conſueverant. Circa Miſſarum ritus, Jejuniorum, Vigiliarumque obſervationem, ac Excommunicationis pœnam incurrendam Martinus Innocentium III. conſuluit, cujus reſcripta infra cum de Romani Pontificis auctoritate per Luſitaniam latiori calamo exponam. Sanctio I. Portugaliæ Regi gratus ejus conſiliis ſæpè interfuit, & municipales leges de Penamacor Era 1227. de Leirena Era 1233. & de Cizimbria Era 1238. ab eodem-

eodemmet Sanctio latas, & in hujus Monasterii archivo asservatas nomine suo subscripto ratas habuit. Anno 1209. obiit dignus, qui inter clarissimos Bracaræ Præsules memoretur. Omnia, quæ de Martini Episcopatu descripsi ex Innocentianis ferè Epistolis, quarum meminit Aguirre, deduxi.

§. II.
De Episcopis Eborensibus.

EBora à Christianis sub duce suo Giraldo illo *Impavido* recepta, omnem operam dedit, qua erat pietate, Alfonsus Rex; antiqua Episcoporum Sedes, ut antea, erigeretur. Eruditus Resendius de antiquitatibus Eboræ cap. 14. ait se in anniversariorum Eborensis Sedis libris comperisse primum Eborensem Antistitem ab urbe Christianis reddita fuisse Pelagium, cujus corpus conditum erat ad Divi Joannis Baptistæ altare. Tanti Viri de Lusitaniæ antiquitatibus optimi pace, Severum, aut Lusitano idiotismo Suarium ante Pelagium Eborensem rexisse Sedem antiqua monumenta indicant. In hujus Regii S. Crucis Monasterii archivo Eborensis constitutio asservatur à Rege Alfonso Henrico data Era 1204. cui subscripsit Suarius Eborensis Episcopus, nec non alia de Linhares Era 1207. ejusdem Suarii testimonio firmata. Quid clarius? Resendius quidem non agnovit, non vidit, non audivit. Igitur primus Eboræ Episcopus ab civitate Mauris erepta floruit Suarius, quem Joannes Peculiaris Bracarensis Antistes ordinavit. Per universam ferè Transtaganam provinciam suæ Diœcesis limites excurrebant. Licet Callistus II. anno 1124. Emeritensis Ecclesiæ jura ad Compostellanum transferret; Suarius Gilberti Olyssiponensis exemplum sequutus Bracarensi Archiepiscopo tanquam Metropolitæ parebat, reverentiamque præbebat; idque Venerabilis Regis Alfonsi consensus probaverat. Quatuordecim annos in Episcopatu vixit, & Creatori suo animam tradidit anno Domini 1180.

Mortuo Suario, Venerabilis Rex Alfonsus D. Menendum Canonicum Regularem, ac secundum Priorem Mona-

sterii S. Vincentii Olyssiponensis in Eborensem Episcopum designavit; verum Vir ille tot virtutibus prædìtus religiosæ solitudinis magis amans, quam dignitatum, de quibus merebatur, totus renuit, nec ad consensum cogi potuit. Rex illius votis annuens cessit, ipsumque rogavit, quem vellet, Eborensem Episcopum indicaret. Adeo Menendo credebat Alfonsus. Menendus Regi Pelagium ejusdem Monasterii Priorem claustralem, sive Vicarium sacris literis apprimè instructum indicavit; nec Regi displicuit. Menendus ab Episcopali onere immunis Monasterio regendo totus incubuit, & optimi Prioris munus exercuit omnium virtutum exemplar: & transactis octo in prioratu annis obiit 15. Kalendas Novembris anno 1182. ut in libro defunctorum ejusdem Monasterii legitur: 15. *Kal. Novembris obiit D. Menendus secundus Prior hujus Monasterii*, & in Indiculo Monasterii fundationis ejus extat memoria: *Post Godinum autem rexit ferè annos octo bonæ memoriæ Menendus.*

Itaque Suario successit Pelagius maiorum sanguine perillustris: Vir iste ex Galliis, quò studiorum causa confluxerat, in patriam reversus dignitatum culmina ambiebat, sed S. Theotonii doctrinis, ac exemplo instructus, sæculo renuntiavit, & in S. Crucis Monasterio in Canonicum indutus est anno 1152. Hinc in S. Vincentii Monasterium nuper erectum à primo ejusdem Priore Godino accersitus claustralem Priorem, sive Vicarium omnium Canonicorum votis egit, donec Eborensem Episcopatum suscepit anno 1180. Die 28. Augusti Magno P. Augustino dicata Eboram ingressus est, & tanti Parentis exemplum sequutus, quod Augustinus gesserat Hipponiæ, Pelagius Eboræ non omisit. Eruditus Emmanuel Severim de Faría licet falleretur, (*a*) dum Pelagium Canonicum de Balneo fuisse existimaverit, à vero non deflexit, cum ipsum Eborensium Canonicorum in communi degentium auctorem scripserit. Canonicos igitur sub Augustiniana regula, quam ipse profitebatur, adunavit, qui hac vivendi methodo usque ad annum 1210. perstiterunt. Cathedralem Ecclesiam erexit, jactis fundamentis 22. Maii Era Cæsaris 1224.

(a) *Discur. polit.* 4.

& Christi 1186. primum lapidem posuit sub basi altaris S. Mantii : dum ædes sacra extruebatur, sacra agebat in ædicula vicina ei usui consecrata; quæ postea urbis curia fuit, ubi forenses actiones fierent. Reges Alfonsus, & Sanctius I. ejus consiliis sæpè usi sunt; qua de causa municipalibus legibus de Melgaço Era 1219. de Coluchi 1227. ac de Cizimbria 1238. nomen suum adhibuit roborandis. Sed Melgacienses constitutiones firmavit Pelagius adhuc electus; nam, Rege Alfonso vivente, consecratus non fuerat propter dissidium inter Bracarensem, & Compostellanum Archiepiscopos in Eborensem Episcopum suffraganeum jura suæ Metropoleos vindicantes; id ex Innocentii III. Epistola ad Compostellanum satis fit. Meritis tandem clarus octava die Septembris anno 1204. è vivis excessit. In libro defunctorum Monasterii Ecclesiolæ legitur: *Sexto Idus Septembris obiit D. Pelagius Eborensis Episcopus Canonicus S. Crucis in Era* 1242.

§. III.
De Episcopis Colimbriensibus.

CResconio universæ carnis viam ingresso, anno circiter 1099. Colimbriensem Episcopatum suscepit Burdinus. Bernardus Toletanus Archiepiscopus Roma Toletum rediens, per Gallias transiit, ubi eligens de diversis locis viros honestos, ac literatos, nec non & juvenes dociles, quos habere potuit, in Hispaniam secum duxit. Inter eos erat Burdinus de Lemovicis, quem ille primo Archidiaconum Toletanum instituit, & postea Colimbriensem Episcopum, qua fruebatur, Apostolici legati auctoritate ordinavit. Burdinus, ut vitæ exitus jam supra ostendit, erat astutus, & versipellis, qui cum vocaretur Burdinus, factus Colimbriensis Episcopus fecit se Mauricium appellari. Anno circiter 1103. cum Tellone Archidiacono Colimbriensi, qui ei erat charus, Hierosolymam petiit sacra loca visurus; triennio ab Ecclesia absuit, Hierosolymis jam reversus Bisantium appulit, ubi fermè per medium annum commoratus ad propria remeavit. Colimbriæ jam

receptus ad Palentiam profectus est anno circiter 1105. Concilio Fusselensi interfuit, & postea defuncto S.Giraldo Bracaræ Archiepiscopo, in illius locum subrogatur. Quæ in Archiepiscopatu Bracarensi gessit, dicta jam sunto. In Colimbriensis Sedis archivo asservatur Epistola Summi Pontificis Paschalis II. ad eundem Mauricium eandem Sedem adhuc moderantem, qua Colimbriensis Episcopatus limites designavit, à Colimbria usque ad Castrum antiquum, ad Durium scilicet: sicut sub Theodomiro Rege ab Episcopis divisio facta erat, Ecclesia Colimbriensis perseveravit; & præterea Episcopalium quondam Cathedralium Ecclesias, Lamecum, & Viseum ei, & suis successoribus commisit, donec Episcopos suos haberent.

In Mauricii locum sublectus est Gondisalvus, cujus cor, ait Magister Petrus Alfardus, fuisse Tellonem Archidiaconum. Cum inter Bracarensem, & Toletanum Antistites circa suffraganeos ortum esset dissidium, Toletanusque Colimbrienses limites invaderet, Paschalis II. Mauricio Bracarensi instante, ad Gondisalvum literas misit, ut Mauricio tanquam suo Metropolitæ reverentiam, obsequiumque impenderet, & ipsum Bracarensis Ecclesiæ jura contemnentem, Toletanoque Præsuli adhærentem correxit, & nisi intra quadraginta dies ab acceptis literis debitam obedientiam præsentaret, ab Episcopali officio esset suspensus. Paschalis monitis stetit Gondisalvus. Anno Christi 1121. ad Concilium Lusitaniæ, & Hispaniarum generale à Toletano Archiepiscopo, & Romanæ Sedis legato Bernardo convocatus septimo loco post Pelagium Asturicensem subscripsit. Anno Domini 1124. adhuc Colimbriensem Ecclesiam moderabatur; nam id temporis Callistus II. ob S. Jacobi reverentiam Compostellano Episcopo legationis partem in Hispaniis Toletano subtractam contulit, & vices suas in Bracarensi, ac Emeritensi provinciis commisit, unde Toletanus ira succensus ad Gondisalvum scripsit, ne Compostellano obediret. Ex libro veteri Erarum Monasterii S. Crucis constat Gondisalvum ultimum clausisse diem Era 1165. anno Domini 1127. & licet regius Academicus Francis-

cus Leitaõ Ferreira illius obitum ante annum Christi 1125. contigisse autumet propter alia donationum monumenta Era 1163. à Tellone Archidiacono, & ceteris Canonicis Colimbriensibus sine Episcopo subscripta; quid novæ rei ut sine Antistite Sedis capitulum disponeret, firmaret, conferret?

Cum Gondisalvus cœlo redderet spiritum, Tello Archidiaconus, ut ait Alfardus (a) *honestior vita omni clero, & moribus* quærebatur precibus à clero, & populo Episcopus; quod fieret, Regina Tharasia, & Comite Ferdinando in id nitentibus, nisi ejus filius Alfonsus principatum susciperet, qui à quibusdam persuasus Bernardum Monachum S. Benedicti in Episcopum ordinari curavit, Deo ad tantum, tantæque sanctitatis opus in novo Monasterio condendo reservante, ac stimulante Archidiaconum. Bernardum ex Monasterio Moysaico Ordinis S. Benedicti in Gallia secum duxerat in Hispanias Bernardus Toletanus: inde ad Archidiaconatum Bracarensem assumptus, tandem ad Episcopatum Colimbriensem evectus est. Venerabili Regi Alfonso Henrico nimis gratus de illius benevolentia, largitateque erga Colimbriensem Ecclesiam fuit meritus. Nec minus Canonicis Regularibus charus, qui Era 1167. die 13. Kalendas Januarii suæ Sedis Canonicorum consensu terrenum istud juxta civitatem in valle, quæ dicebatur *Ribella* circa balnea regia, quod Susanna Sesnandi Comitis mater Colimbriensi Sedi testamento reliquerat, Telloni Archidiacono vendidit novum Monasterium S. Crucis ibidem condituro: die 24. Februarii anno 1132. in novi Monasterii Canonicos induit, quos Tello ad recens perfectionis opus invitaverat. Eodem anno Ecclesiolæ Monasterio omnem immunitatem, ac exemptionem, qua adhuc fruitur, ab Episcoporum potestate elargitus est: quapropter ejusdem Monasterii Canonici singulis annis in suo Neucrologio commemorant: *Sexto Kalendas Februarii obiit D. Bernardus Colimbriensis Episcopus.*

(a) *In lib. fundat. Monast. S. Crucis.*

Ex libro antiquo, quod *Testamentorum* dicitur Monasterii S. Crucis tẽpore Domni Joannis Theotonii 2. Prioris scripto, & in ejusdem archivo asservato constat Bernardum Colimbri-

ensem Antistitem cum Joanne Bracarensi composuisse dissidium inter Canonicos S. Crucis, & Monachos de Charitate, qui in S. Justæ Ecclesia commorabantur circa suarum Parochiarum terminos: en veteris scriptoris verba: *Habuimus quoque* (Canonici S. Crucis) *non minimas altercationes cum Monachis de Charitate, qui morabantur in Ecclesia Sanctæ Justæ super terminos Parochiæ nostræ, & suæ. Donec venit Archiepiscopus Bracaræ Domnus Joannes, qui eam nobis prius determinaverat cum Episcopo Colimbriæ Domno Bernardo.*

Circa annum, quo Bernardus obiit, Petrus Alvares Canonicus Colimbriensis, & Emmanuel Severim, ac Fr. Antonius Brandaõ adversantur. Petrus annum fuisse 1147. existimat, Emmanuel annum 1146. Brandaõ verò annum 1142. Ast librum Erarum Monasterii S. Crucis præ manibus habitum sequi non pudet Era 1183. anno Christi 1145. ab humanis excessisse Bernardum sic commemorantem: *Era* 1183. *obiit Bernardus Colimbriensis Episcopus.* Anno Christi 1144. Era 1182. ille subscripsit literis, quas Venerabilis Rex Alfonsus ad Lucium II. misit Lusitaniæ regnum Romanæ Ecclesiæ patrocinio commissurus. Stephanus Balusius Alfonsi Epistolam scriptam refert Idibus Decembris, Era 1180. anno Christi 1142. (*a*) sed juxta Eminentissimum Aguirre ea temporis notatio est corrigenda: nam Era 1180. id est anno Domini 1142. imò & toto sequenti nondum Summum Pontificatum susceperat Lucius usque ad mensem Martium anni 1144. quo obiit Cælestinus II. quare scripta fuit Idibus Decembris ejusdem anni, Eræ scilicet 1182. qua adhuc Bernardus Colimbriensis in vivis agebat.

(a) *Lib.* 2. *Miscellan.*

Causa Bernardi Monachi Benedictini ex iis, quos nigros Monachos nominare consueverunt, fortasse inventa est historia de Toleyma Ethiope Colimbriensi Episcopo à Venerabili Rege Alfonso in illius Sedis Cathedram assumpto. Eduardus Galvanus in Alfonsino Chronico cap. 21. ait Colimbriensem Episcopum Roma Lusitaniam rediisse Apostolica facultate suscepta, ut Alfonsum excommunicatione feriret, nisi ma-

trem Tharasiam à vinculis, quibus tenebatur, solveret; & Regem Papæ sententiæ per Episcopum latæ renuentem in ipsius Antistitis Romam iterum confluentis locum Clericum Ethiopem sibi obvium Episcopali munere decorasse. De Piissimo Rege Alfonso quis sibi id habeat persuasum? Nec umbra, nec figura Ethiopiæ Episcoporum, qui postea sub Lusitaniæ Regibus Alfonsi posteris florerent, de quibus Galvanus ipse cap. 22. Regem virtutibus undique exornatum excusaret; licet ille prædicto loco totus excuset, & Sanctorum Virorum facta quædam in medium proferat, quæ in figura sine macula, sine noxa prædicantur. Hæc si fortè id temporis contingerent, Bernardo Colimbriensem Ecclesiam tunc moderanti obvenirent: Bernardus esset, qui à Papa missus anathema feriret in Alfonsum: Bernardum verò Romam eo tempore adiisse, quo monumento fulcitur? Tharasiæne Reginæ esset à partibus ille Antistes, qui, ipsa renuente, ac adversante, ab Alfonso fuerat designatus? ei gratus, & nimis acceptus?

Bernardi locum occupavit Joannes cognomento Anaia ex clarissima Asturiarũ gente oriundus, qui in Colimbriensi Sede Canonicorũ regulare institutum amplexus fuerat. Eo Episcopo inter Colimbriensis Sedis, & S. Crucis Monasterii Canonicos de Ecclesia de Quiaios ortum est dissidium; sed Joannes litem compositurus S. Theotonium Priorem cum aliis ex suis Canonicis adiit, & in medio nostrûm sedens pacem, ac mutuam inter ipsos concordiam firmavit his verbis ex lib. 15. testamentorum ejusdem Monasterii: *Hanc altercationem inter nos, & Episcopum, & Canonicos Dominus ex alto prospectans diremit sic cum ipse voluit. Tempore namque Domni Theotonii primi Prioris Monasterii S. Crucis veniens Episcopus Domnus Joannes Anaiæ ad capitulum nostrum postquam fuit promotus in Pontificali honore, & sublimatus in Cathedra, ipse, & quidam honestiores Canonici Sedis cum eo, videlicet Dominicus Joannes Archidiaconus, & Petrus Joannis Prior Sedis, & Suarius Zalame unus ex honoratis Sedis, & Domnus Christophorus similiter, & Petrus Ariei, qui erat maximus inter eos, & Archi-*

diaconus, nec non & multi alii cum eo venerunt tam Clerici, quàm Laici: veniens ergò ad capitulum nostrum, & sedens in medio nostri aperiens os suum hilari vultu, licet rubore suffusus coram omnibus sic cœpit affari. Ego fratres Reverendissimi propinqui, & noti mei, peccatis meis impedientibus, & quibusdam collactaneis meis suggerentibus, & ad odium utique me nimium compellentibus usquemodo multum fui injustè alienatus à vobis, & à domo ista; & non solus ego, sed & omnes Canonici ferè, qui eramus, & sumus in Sede illa Sanctæ Mariæ. Nunc autem pœnitet me egisse, quod egi nequiter & odii, & malitiæ, quam aliquando habui adversum vos, & adversus locum istum: hoc autem faciebam propter quosdam, qui mihi æmulatores erant, & mihi detrahebant, quos modo nolo enuntiare, defuncti sunt enim, sed nunc credite mihi in rei veritate, quia totum cor meum immutatum est in amorem vestrûm: & volo, atque inbianter cupio vestram dilectionem, nimiumque desidero, ut sit inter nos pax, & amicitia bona, & grandis qualis esse solet inter fratres, qui se multum diligunt, & rogo, ut simus confratres, & familiares vestri, & partem habeamus in orationibus, & beneficiis, quæ facta sunt in loco isto semper. Emmanuel Severim de Faria, ac Petrus de Maris ferunt in archivo Monasterii S. Crucis notitiam servari Joannis Anaiæ ab anno 1146. ad annum usque 1169. sed vetera ejusdem Monasterii monumenta excutiens in libro antiquissimo dos *foros* inveni anno Christi 1166. Era 1204. Michaelem Colimbriensem Episcopum constitutionibus regiis Eboræ subscripsisse, nec non aliis de Linhares Era 1207. id est anno Domini 1169. Inter cetera, quæ post se memoranda reliquit Joannes adhuc extat insigne Monasterium de Semide non longè à Colimbria sub S. Benedicti regula, primum Monachorum, & ex anno 1183. Monialium: *Offerimus vobis nostris sororibus, & consanguineis, videlicet Sanciæ Martini cum sororibus suis quatenus ordinem S. Benedicti, quem Deo vovistis, secundum quem vivere debetis, deligentissimè custoditis.*

Michael

Michael Joannis ſucceſſor in Colimbrienſi Sede regulare Canonicorum inſtitutum profeſſus ejuſdem Prior electus fuerat; inde, collapſa jam regulari vita, cum Archidiacono Tellone in novo S. Crucis Monaſterio ſe clauſit, ubi fermè per 26. annos meritis, ac virtutibus exornatus dignus extitit, qui Epiſcopus Colimbrienſis adſumeretur. Epiſcopus factus qua benevolentia, qua munificentia, qua animi largitate erga ſuum Monaſterium ſe prodidit. Ad Summum Pontificem Alexandrum III. ſcripſit, & poſtulavit: *Monaſterium S. Crucis, quod in ſervitio Dei fundatum, & in Cameram Sanctæ Romanæ Eccleſiæ eſt Deo gratias conſtitutum, modis omnibus propter vos toto mentis affectu honoro; & quia Dei munere ibi magis, ac magis quotidie ſanctam religionem vigere conſpicio, locum eundem ſpecialiter diligo: unde & ejuſdem loci quieti providens, gratia veſtri, ſervorumque Dei ibi commorantium, ſpontanea voluntate, cum conſenſu Canonicorum meorum libertatis literas illis dignum facere duxi: quapropter ſanctitatem veſtram ſuppliciter exoro, ut quæcumque ſcripta pro utilitate ejuſdem Eccleſiæ prædeceſſores veſtri ſuis privilegiis confirmaverunt, vos quoque confirmetis, & vigorem illarum literarum, quas illis feci, veſtro privilegio ſanciatis, & ſiquod beneficium ſuperaddideritis, gratum Domino erit, & ego, & Canonici mei Deo, & vobis inde grates inceſſanter perſolvemus.* Eccleſiæ, quas ab Epiſcoporum juriſdictione immunes Monaſterio contulit, erant in Caſtro Leirenæ, S. Marinæ de Sena, S. Joannis de Alcoba, S. Thomæ de Mira, & de Talavero, ut nullus Epiſcoporum, qui in ſua Sede poſt ipſum ſederet, à Canonicis noſtris decimas exigeret, nec poteſtatem imperandi, vel prohibendi, vel aliquam ordinationem quamvis leviſſimam faciendi haberet, niſi eſſet rogatus, ut ſemper in maiorum noſtrorum perfecta libertate maneremus: hæc data ſunt Era 1200. Venerabili Rege Alfonſo cum Colimbrienſis Sedis Canonicis, ac regni primoribus ſubſcribentibus. Ad annum uſque 1176. Epiſcopatum rexit, ſed ſolum æternarum rerum contemplationis deſiderio flagrans

onere ſe abdicavit, & Monaſterii ſui ſolitudinem repetiit, ubi Deo ſoli vacans dies finiit Nonis Auguſti Era 1218. cujus corpus in ejuſdem Monaſterii clauſtro ad parietem ſepultum eſt hoc inſcripto epitaphio adhuc extante: *Hic jacent oſſa Michaelis Colimbrienſis Epiſcopi Canonici hujus Monaſterii, obiit Nonis Auguſti* 1218. *corpus ejus integrum repertum eſt anno* 1630.

Michaeli Bermudum ſucceſſiſſe omnes, qui de Epiſcopis Colimbrienſibus ſeriem texuerunt, Petrus Alvarus, Emmanuel Severim, ac Fr. Antonius Brandaõ certo exiſtimarunt ex antiquiſſimo libro jam citato dos *foros*, qui in S. Crucis archivo aſſervatur. In Bermudi locum ſuffectus eſt Martinus, qui leges municipales de Melgaço Era 1219. & Palmelianas Era 1223. ſub Venerabili Rege Alfonſo Colimbriæ firmavit. Auctor coætaneus libri teſtamentorum S. Crucis ſub Domno Joanne Theotonio ejuſdem Monaſterii ſecundo Priore Colimbrienſium Epiſcoporum ejus ætatis ſeriem ſic deſcripſit: *Domnus Joannes Theotonius S. Crucis rexit Eccleſiam, præſidente in Colimbria Pontificatus honore Epiſcopo Domno Joanne Anaiæ, & poſt eum D. Michaele, & qui ei poſtea ſucceſſit Domno Bermudo, & poſt ipſum Domno Martino Gondiſalvi.* Egregium ſanè monumentum, quod ſi manibus ſuis evolveret Regius Academicus Franciſcus Pereira Leitaõ, non incuſaret Fr. Antonium Brandaõ, quod Martinum Bermudi ſucceſſorem crederet, nec inter eos Petrum quemdam collocaret, quem ille ſcripturarum notis fortaſsè deceptus collocavit.

Martino ſucceſſit Petrus cognomine Suarius, qui in Sede ſublimatus ad Innocentium III. ſcripſit protectionem Apoſtolicam petitum. Innocentius ad eum datis literis, non tantùm Colimbrienſem Eccleſiam in patrocinium ſuſcepit, verum & Eccleſias de Covilhan, & de terminis ejus, & omnes poſſeſſiones, quas ipſe, ac Deceſſores ſui in iis oppidis adquiſierant, ac juſtè poſſederant, confirmavit, & communivit. Anno 1200. Era 1238. legibus Cizimbriæ Municipalibus ſubſcripſit, quæ in hujus Monaſterii archivo cuſtodiuntur. Mo-

nasterii S. Crucis immunitates à Michaele Episcopo prædecessore suo datas ægerrimè ferens Romam petiit apud Romanum Pontificem Innocentium extincturus; in Apostolica præsentia constitutus conquestus est, quod quidam ex sua Diœcesi, cum in Canonicorum Sanctæ Crucis, vel aliorum privilegiatorum essent in fraternitatem recepti, jura Episcopalia non solverent; quapropter Innocentius auctoritate sua indulsit, ut quandiu confratres hujusmodi moram facerent in domibus suis habitu sæculari, & ab ejus Ecclesiis Sacramenta susciperent, sicut prius, Episcopalia jura persolvere tenerentur. Exemptionem à Michaele concessam absque suæ Sedis Canonicorum libero consensu fuisse proferebat, quo circa Innocentius Decano Ulixbonensi, & Prioribus de Alcobatia, ac Sanctæ Mariæ de Carcadi, aut de Seiça causam duxit committendam, qui plenius veritatem inquirerent, & usque ad definitivam sententiam, remoto appellationis obstaculo, procederent, ac gesta omnia sigillorum munimine roborata Romam mitterent. Cujus litis exitum cum de Monasterii hujusce conditione egero, non prætermittam.

Apud eandem Apostolicam Sedem retulit Petrus quæstionem dudum inter Colimbriensem Ecclesiam, & Fratres Templarios agitatam super Ecclesiis de Palumbario, Redina, & Ega. Id erat inter utrosque dissidium, ut Templarii milites Judicibus à Lucio II. antea delegatis Archiepiscopo Bracarensi, & Episcopo Portugalensi, quibus causa canonico fine, appellationis remedio sublato, terminanda commissa fuerat, appellationis obtentu ad sanctam Sedem parere recusarent, quamobrem Ecclesiastico interdicto eorum Ecclesiæ, ac Parochiani obstricti fuerant, christiana sepultura etiam interdicta: quam litem sedaturus Pontifex Summus Bracarensem Archiepiscopum, Priorem Ecclesiolæ, & F. Menendi Monachum de Alcobatia designavit judices, qui in prædictarum Ecclesiarum possessionem causa rei servandæ Colimbriensem mitterent Ecclesiam, & appellatione cessante, fine canonico deciderent.

Nec minus inter eumdemmet Petrum, ac Egitaniensem

Antistitem sæculo 13. ineunte, quo Egitaniensis Sedes restaurata est, exarsit dissidium circa Episcopatuum limites, cui finiendo Zamorensis, ac Portugalensis Episcopi, nec non Magister Florentius Zamorensis Archidiaconus ab Innocentio III. delegati sunt judices, qui Egitaniensem Præsulem compellerent, ut Colimbriensi restitueret, aut de restitutione facienda sufficientem præstaret, & idoneam cautionem. Anno 1231. suæ Ecclesiæ jura tutaturus ad Gregorium IX. Romanum Pontificem perrexit: in cujus præsentia constitutus suam agnovit culpam, qua interdicti Ecclesiastici sententiam, quam ab initio servaverat, temerè violaverat, & alios induxerat, imò non servare compulerat; & quos inducere monitis, & flectere minis, ac terroribus ad violandum nulla potuit ratione, post atroces injurias, bonorum amissionem, parentum spoliationem, dignitatibus, præbendis, & beneficiis spolians coegerat exulare. Hæc omnia recognoscens Petrus in Gregorii manibus spontè se Episcopatu abdicabat; cui tamen Papa veniam præbuit, & pepercit.

Exemptionis jura Monasterii S. Crucis iterum labefactare contendit, quocircà Apostolicis literis adversus ipsum Monasterium acceptis, Lusitaniam reversus Canonicos nostros tanquam eorum Præsul visitationis causa adire conabatur: & in itinere non longè à Colimbria ad Monasterii Priorem Magistrum Joannem scripsit, ut cum Canonicis paratus esset eum Antistitem suum veneraturus. Prior cum conventu ante Venerabilis Regis Alfonsi Monasterii fundatoris, protectorisque sepulcrum, effusis precibus, meruit, ut Regem telo obarmatum aspiceret, qui de Episcopi morte eos certos faceret. Petrus insperata morte perculsus, & pœnitentia tactus Bullas rumpi fecit, ac in Monasterio sepeliri petiit: cujus corpus in sacello S. Michaelis ejusdem Monasterii sepultum est, inde ad claustri parietem translatum, ubi permanet hoc inscripto epitaphio: *Hic jacet Petrus Suerii Episcopus Colimbriensis, obiit anno* 1233.

§. IV.
De Episcopis Portugalensibus.

EA est scriptorum fortuna, ut rerum eventus temporibus suis debitos aut errore, aut ignorantia, aut aliorum fide decepti prætermittant: sed ipsorum plurimi habenda est conditio, qui nævos suos inspicientes, aut retractant, aut supplent, aut declarant. Ante Episcoporum seriem, qui duodecimo sæculo in Portugalensi Ecclesia floruerunt, Sesnandi II. ejusdem Ecclesiæ Antistitis meminisse præstat, quem sæculo undecimo prætermisi, quod errorem in insigni Velini monumento apud Fr. Leonem à S. Thoma ex Eræ characteribus existimaveram; re tamen attentius jam explorata, duos Sesnandos Portugalenses Præsules distinxisse oportet. Post S. Sesnandum Martyrem Sesnandus alius Portugalensis Episcopus electus est, virtutibus quidem alii non impar. Eo Præsule, Munius Venegas, non ille, qui Gascus dictus est; sed alius sanguine etiam clarus cum in Saracenorum esset potestate, *dixit in corde suo, si reversus fuero in terram unde exivi, ego ad S. Joannem Baptistam de Penderoda præmitto defensionem, & de hæreditate mea, & de omni mea re ... rogatione facta exaudivit eum Dominus, & de Maurorum manibus liberavit*: quapropter bona sua eidem Monasterio de Pendorada contulit, ac tribuit, patronatus jus sibi, ac posteris suis assequutus est Era 1110. anno Christi 1072. in cujus donationis, & firmitudinis testem advocatus est Sesnandus II. Episcopus, ac subscripsit. (*a*) Post Sesnandum Portugalensis Ecclesia Archidiaconorum curæ commissa est, Pelagii scilicet, ac Roderici, & Pelagii tandem II. ad annum circiter 1107.

(a) *Fr. Leo à S. Thoma Benedict. Lusitan. tom. 2. Tract. 1. P. 4. cap. 1.*

Verum inter Portugalenses Antistites duodecimi sæculi, primus extitit Hugo, qui ex Archidiacono Compostellanæ Ecclesiæ ad Portugalensem Sedem evectus est anno 1114. Vix in solio sublimatus, Dioecesis limites, quos vicini Episcopi occupaverant, dividi, ac recuperari intendit: quam-

obrem anno Dominicæ Incarnationis 1115. 18. Kalendas Septembris literas Paſchalis II. habuit, quibus ſui Epiſcopatus fines deſcripti ſunt à fauce Aviæ fluminis, ubi fluit in Oceanum, per ipſum flumen ſurſum uſque ad Avicellam fluvium, & per Avicellam ad arcum Palumbarii: inde ad Antam de Temone, inde ad montem Ferrati, ad montem Marannis, inde ad Campeanam fluvium, & per ipſum fluvium, ſicut defluit in Bandugium, & per Bandugium, ſicut decurrit in Corgam, & per Corgam in Durium flumen, inde trans Durium ad Piſcarium per montem magnum ad Antoanam flumen, & per ipſum fluvium, ſicut deſcendit ad mare Oceanum; quæcumque etiam Eccleſiæ, vel Monaſteria infra hos fines continerentur, juſſæ ſunt, ut Portugalenſi Epiſcopo obedientiam debitam, ac juſtitiam perſolverent. Monaſteria, quæ Hugonis tempore ex Calliſti II. literis in Portugalenſis Sedis archivo aſſervatis, Eccleſiæ illius Præſuli ſubjiciebantur, perhibentur Monaſterium S. Tirſi de ripa Ave, Monaſterium de Burgaes, Monaſterium de Roderitis, Monaſterium de Villarinho, de Palumbario, de Antines, de Arnoyo, de Villacova de Telonis, de Frauxino, de Mancellis, de Sancio, de Reale, de Varzio, de Villabona Epiſcopi, Monaſterium de Palaciolo, Monaſterium S. Joannis, Monaſterium Ancedi, de Sualhaes, de Inter flumina, de Aquis ſanctis, de Macanariis, de Lecia, de Variano, S. Marinæ de Portu Dorii, & de Petrozo

De munificētiſſimis Reginæ Tharaſiæ, & ejus filii Alfōſi largitionibus erga ſuam Eccleſiā Hugo benè eſt meritus, quas Illuſtriſſimus Rodericus da Cunha de Portugalenſibus Epiſcopis meminit.(*a*) Cum Portugalenſes Antiſtites cum Canonicis ſuis ſemel in anno apud Monaſterium de Aquis ſanctis olim Canonicorum Regularium, & poſtea ordinis Militiæ Melitinenſis prandere conſueverint; hoc inter Hugonem, & Armirigum Priorem pactum fuit: *Hæc eſt conventio, quæ eſt facta per hujus ſcripturæ firmitatem inter Epiſcopum Hugonem Portugalenſem, & Armirigum Priorem, & Clericos S. Mariæ de Aquis ſanctis pro parato, quod vulgò dicitur*

(a) *Part. 2. cap. 1.*

jantar : *ſcilicet, ut Epiſcopus accipiat pro illo jantare omnem illam terram, quam habebat Eccleſia S. Mariæ, in Villa, quæ dicitur Paramos tam in regalengu, quam in ganancia, & inſuper ſex bragales per unumquemque annum : & iſta conventio placuit Epiſcopo, & Priori, & Clericis, ut ſuper ſit firma, & numquam evaneſcat. Facta charta Era* 1168. *octavo Kalendas Martias.* Aliud quoque hujuſce rationis pactum inter Eccleſiam Portugalenſem, & Monaſterium de Lecia ſub Domno Martino Priore firmavit, quod legat, qui velit, apud citatum Rodericum.

Inter plurima, quæ Hugonem prædicant, nihil memorandum magis, quam commune, ac regulare Canonicorum inſtitutum, quod eo Præſule, in Portugalenſi Sede maximè floruit : & palam fit ex monumento conventionis inter Hugonem, ac Reginam Tharaſiam de Eccleſia de Campanham Era 1168. cui ſubſcripſerunt Elias Monachus Sanctæ Sedis Portugalenſis, & Pelagius Monachus : Monachi enim nomen Canonicis quoque regularibus adaptatum olim fuiſſe alibi ſcripſi. Pluribus Gallæciæ Conciliis interfuit, Compoſtellano I. anno 1114. Saguntino anno 1121. Præſide Bozono Cardinali Romani Pontificis per Hiſpanias legato, cujus acta, licet hodie non extent, Compoſtellanus Archiepiſcopus ad Calliſtum II. per Hugonem miſit; alii quoque adfuit Compoſtellanæ ſynodo anno 1122. de quibus agit Compoſtellana Hiſtoria ab Hugone incepta, ut teſtatur ita Vaſæus Hiſpaniæ Chronico cap. 4. *Vidi Salmanticæ in Bibliotheca Collegii S. Salvatoris, quod magno reipublicæ bono inſtituit D. Didacus Muros Ovetenſis Epiſcopus .... hiſtoriam Compoſtellanam in duos libros digeſtam juſſu D. Didaci primi Archiepiſcopi Compoſtellani, in quibus primordia, ſucceſſus, incrementa Eccleſiæ Compoſtellanæ late deſcribuntur. In iis libris plurima ſcitu digna reperi, quæ ſuis locis ponentur. Prioris libri Auctores fuiſſe dicuntur Munio Mindonienſis, & Hugo Portugalenſis Epiſcopi.* Eodem anno 1122. inter Hugonem, & Gondiſalvum Colimbrienſem Epiſcopum circa Diœceſeon ſuarum limites compoſitum eſt. *Gon-*

disalvus Colimbriensis Episcopus, & Hugo Portuensis Episcopus faciunt inter se firmissimam amicitiam, remota omni deceptione, ita scilicet, ut Hugo Portugalensis Episcopus nullo modo inquietet, id est, neque per se, neque per alium, nec per suum ingenium, honorem, quem tenet hodie Colimbriensis Episcopus, vel tenuerit à flumine Dorii usque ad flumen Tagum, quandiu præfatus Colimbriensis Episcopus Colimbr. Ecclesiam tenuerit. Gondisalvus verò Colimbriensis Episcopus similiter promittit, ut nullo modo inquietet neque per se, neque per alium, neque per suum ingenium, honorem, quem tenet, vel tenuerit Portugalensis Episcopus à flumine Dorii usque ad Tudem, quandiu præfatus Portugalensis Episcopus Portugalen. Ecclesiam tenuerit. Et hæc amicitia est firmata in præsentia Reginæ Domnæ Tharasiæ, & Comitis Domni Fernandi, & Baronum Portugalensium, & hoc totum sancitum in fide, puritate, & sui ordinis sanctitate Nonis Aprilis Era 1160. quod monumentum ex Colimbriensis Sedis archivo transcriptum est.

Hugoni in Portugalensi Sede successit Joannes Peculiaris Canonicus Regularis S. Crucis, & postea Bracarensis Præsul, de quo jam dictum est. Joannis avunculi sui in Bracarensem Ecclesiam translati locum tenuit Petrus Rabaldis Canonicus etiam Regularis S. Crucis, quem Joannes comitem suum duxerat ex Monasterio, & in suæ Sedis Archidiaconum assumpserat. Portugalensis Episcopus jam factus sui Monasterii non immemor fuit; in libro antiquo Magistri Petri Alfardi hoc monumentum legitur ab ipso firmatum anno Christi 1140. *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Noscant, qui hanc legerint scripturam me Petrum Portugalensis Sedis Pontificem de omnibus hæreditatibus meis, quas habeo in confinibus Colimbriæ, id est in Mortede, & in Lavaasma, & in Arazede, & in Aimide, & in Maiora, & in Revellis, & quantum mihi adtinet de S. Eolalia, & illas terras de sub Traxede, & quas habeo in Ravanal, & in Avaladi, & in Exafanes, condonationem, & testamentum facere*

facere Canonicis Colimbrianæ S. Crucis Ecclesiæ, ut quantum in ipsis jam dictis hæreditatibus supereſt valentius, & melius LXX. nummis aureis, quos ipſi Canonici præſtaverunt mibi, ſit in remedio animæ meæ, & parentum meorum. Ita ut ex hac die ſint in poteſtate illorum, & faciant quidquid ex illis placuerit in perpetuum, ſi fortè ego, vel aliquis ex meis, vel extraneis contra hanc ſcripturam inſurrexerit, qui in aliquo conturbare, vel alienare quærat, quantum auferre temptaverit in duplum prædictis Canonicis componat, & pro ſola temptatione à liminibus S. Eccleſiæ ſit ſequeſtratus, & in ima inferni ſit præcipitatus, niſi ad ſatisfactionem venerit. Facta donationis ſerie menſe Decembrio Era 1178. Anno Domini 1145. vitam finiit, cujus memoria in Neucrologio Monaſterii S. Crucis ita permanet: *Tertio Kalendas Julii obiit Domnus Petrus Rabaldi Epiſcopus Portuenſis Canonicus S. Crucis Era* 1183.

Era 1184. Portugalenſem Sedem aſcendit novus Epiſcopus Petrus nomine ſecundus, & cognomine Pitoẽs, eadem Era donationem Pelagii Monis erga Eccleſiolæ Monaſterium ſuo nomine teſtis roboravit: difficile quis non exiſtimet certum hujus Petri vitæ in Epiſcopatu tempus præfigere, ac decidere, cum Petrus alius nomine 3. ac ſenior cognominatus ſuccederet, & in pluribus antiquitatum monumentis Petri tantum nomine ſubſcriberet? Enim verò anno ſalutis 1169. Portugalenſem Eccleſiam regebat Petrus III. qui Eccleſiæ de Tarouca dedicationi interſuit cum Joanne Archiepiſcopo Bracarenſi, Menendo Lamecenſi, & Gondiſalvo Viſenſi Epiſcopis, ut ex inſcripto lapide conſtat apud Fr. Bernardum de Britto: *Era* 1207. *Kal. Junii dedicata fuit Eccleſia iſta per manus Joannis Bracarenſis Archiepiſcopi, & Petri III. Portugalenſis, & Menendi Lamecenſis, & Gondiſalvi Viſenſis Epiſcoporum.* Petri hujus vita annum 1175. ultra non progredi à ſcriptoribus Luſitanis ferè omnibus traditur. Eccleſiolæ Monaſterium propter benevolentiam acceptam, ac amorem ſingulis annis in ſuo Neucrologio meminit: *Pridie Kalendas Septembris obiit Domnus Petrus III. Epiſcopus Portugalenſis.* E

Petro successit Ferdinandus Martini nepos ex sorore Joannis Peculiaris Archiepiscopi Bracarensis, & Canonici Regularis Monasterii S. Crucis. Eo Præsule, Portugalensis Ecclesia interdictum subiit, quod annuos census, quæ per Hispanias à Ranimiri Regis tempore vota dicebantur, S. Jacobo Compostellano non solveret: quamobrem cum Compostellano Antistite fœdus iniit Ferdinandus, ut pro votis iis singulis annis debitis, Portugalenses triginta *florenos* quotannis per Tudensem Episcopum exhiberent. Ea erat non tam per Lusitaniam, quam ceteras Hispaniarum provincias S. Jacobo persolvendi vota observantia, ut Innocentius III. literas mitteret ad Bracarensem, Toletanumque Archiepiscopum, ac eorum suffraganeos, necnon ad Religiosos omnes per Hispanias constitutos, ut sublato omni appellationis obstaculo Parochianos suos præscripta vota solvere compellerent. Era 1219. Municipalibus legibus de Melgaço, & Era 1223. Palmelianis, quæ in hujus Monasterii archivo asservantur, subscripsit Ferdinandus; nec ultra annum 1185. suos protraxisse dies ullo antiquitatum monumento quis inveniet. Canonicorum Regularium S. Crucis Neucrologium singulis annis illum commemorat: *Quinto Idus Novembris obiit Domnus Fernandus Martins Episcopus Portuensis confrater Sanctæ Crucis.*

In Ferdinandi locum fuit electus Martinus Petri Decanus Bracarensis; de quo in Portugalensis Sedis archivo hæc extat memoria à Joanne da Guarda: *Postquam fuit Episcopus factus, instituit in eadem Ecclesia noviter quatuor dignitates, scilicet Decanatum, Cantoriam, Scholastriam, Thesaurariam. Nondum erant in eadem Ecclesia supradictæ dignitates, sed erant omnes regulares sub regula Sancti Augustini, dormientes in una domo, comedentes in alia, & in claustro conversantes, & erant decem Archidiaconatus in Episcopatu Portugalensi, in quibus erant decem Archidiaconi, primus ultra Dorium, scilicet terræ Sanctæ Mariæ, secundus terræ de Madia, tertius in Restoriis: quartus terræ de Aquilari: quintus in Pe-*

nafideli : sextus terræ de Lausata, septimus in Gouvea; octavus Bemviver, nonus Bayaõ : decimus Penaguicõ. Et quia istæ dignitates, sive Archidiaconatus erant exigui ad onera suportanda, univit eos aliis dignitatibus isto modo. Archidiaconatus terræ S. Mariæ, & de Bayaõ, & Penaguicõ, mensæ Episcopali. Terræ de Madia, & Lusata mensæ capituli; Archidiaconatus de Aquilari Decanatui, Penafidelis Cantoriæ, Gouvea, & Bemviver Scholastriæ. Terra de Refloriis Thesaurariæ : instituit primum Decanum Fernandum Roderici : Cantorem Martinum Froilæ; Scholastricum Dominicum Michaelis, Thesaurarium Martinum Roderici, qui fuit postea Episcopus : divisit & Canonicis omnes reditus, & proventus totius Episcopatus, scilicet duas partes Episcopo, *tertiam verò Canonicis, ad exemplum Bracarensis Metropolis, quæ est mater Ecclesiæ Portugalensis. Sedit in Ecclesia Portugalensi quasi quinque annis, & factus est Archiepiscopus Bracarensis, cui successit in Ecclesia Portugalensi Martinus Roderici, Thesaurarius Ecclesiæ Portugalensis.*

Hactenus Joannes de Martino Petri; & de Martino Roderici ejus successore hæc addit: *Martinus Roderici postquam fuit Episcopus nullo modo voluit dividere Canonicis reditus Episcopatus, sed tantum providere eis in victu, sicut alii antecessores sui faciebant, pro qua causa fuit citatus per capitulum coram supradicto Archiepiscopo Bracarensi.* Sed dissidium compositum est, ac in concordiam cum Canonicis suis ita venit Martinus, ut duæ proventuum partes ad Episcopum pertinerent, & tertia ad capitulum, quod Innocentius III. Apostolicis suis literis communivit. Sanctio I. Portugaliæ Regi adeo erat gratus Martinus, ut illius extent literæ grati animi plenæ. *Sancius Dei gratia Portugalensis Rex Reverendissimo amico suo Martino eandem Portugal. Episcopo salutem, & sinceram dilectionem, sicut illi, quem multum diligit, & de quo plurimum confidit. Grates vobis refero copiosas pro eo, quod benè custodistis Villam vestram de Portu, & per hoc benè video, & intelligo, quod me,*

& regnum meum diligitis, & talem fiduciam habeo ego in vobis, quod semper circa ea intendatis, quæ meum respexerint commodum, & honorem. Præterea sciatis, quod consuprinus noster Petrus Poyares est meus inimicus, & attinet se cum meis inimicis, qui destruunt mihi meam terram, & faciunt ibi multa mala: unde rogo vos multum pro amore mei, & rogatu, non recipiatis illum in domo vestra, nec in civitate Portugalensi, quod, ut mihi dicitur, voluit, & vult vobis furari; & dicatis, & defendatis hominibus vestris, scilicet habitatoribus vestræ civitatis Portugalensis, quod non recipiant illum in domibus suis, nec in civitate vestra Portugalensi, & si ibi intervenerit, dicent in illum, aut apprehendant eum, & mittant mihi in manum, quia ego bene scio, quod si vos hoc firmiter mandaveritis, ipsi facient pro vobis, quantum eis dixeritis. Et propter hoc mitto vobis istam meam chartam, ut monstretis eis illam, & videam qualiter ipsi faciant pro mandato vestro. Fuit facta apud Colimbriam 9. die Octobris per meum mandatum. (a)

(a) *Archiv. Sedis Portug.*

Diu tamen inter Martinum, ac Sanctium non intercessit consuetudo; nam à Rege, ac ejus Ministris diutinas persecutionis angustias sustinuit, & bonis suis derelictis, cum Decano suo, & aliis, quamvis paucis, tribulationis propriæ participibus pro commissæ sibi Ecclesiæ libertate ad Sedem Apostolicam confugere quasi nudus compulsus est. Canonici quoque sui, quos ejus oppressionibus compati decebat, non solum compassionis ei subtraxerunt solatium, quin imò tanto nocentiores aliis, sæviendi adversus ipsum temeritate sua incentivum extraneis præbuerunt. Contempto temerè interdicto primo, ac secundo per eumdem Episcopum promulgato, Canonici ipsi, & Portionarii excommunicationi subjecti Divina Officia celebrare non erubuerunt. Quibus auditis, Innocentius III. ad quem Martinus confugerat, ne illorum præsumptionis audaciam relinqueret incorrectam, Episcopo, ac Archidiacono Zamorensi III. Idus Maii anno sui Pontificatus 13. literis præcepit, ut inquisita, & cognita ve-

ritate, si rem invenissent ita esse, Canonicos, & Portionarios, sublato cujusvis appellationis obstaculo, beneficiis ecclesiasticis, & officiis spoliarent, nisi forte ad ejusdem Portugalensis Episcopi nutum temperandum ducerent canonicæ disciplinæ rigorem. Posteà cum inter Egitaniensem, ac Colimbriensem Episcopos dissidium circa Episcopatuum limites oriretur, Innocentius III. anno sui Pontificatus 16. Martinum Portugalensem Antistitem cum Zamorensi judices instituit, ut secundum æquitatem providerent, ac causam inter eos inductam terminarent.

Nec proditu indignum est dissidium, quod Martino Roderici Episcopo fuit cum Ecclesiolæ Monasterii Canonicis Regularibus propter Ecclesiarum exemptionem in Portugalensi Diœcesi. Canonici nostri Cardinalem Gregorium Apostolicum legatum apud Burgos in Hispaniis cômorantem per procuratores adierunt, qui jura sua proferentes in possessa jurisdictione confirmati sunt, & postea ab Honorio III. firmitudinis sententiam susceperunt. Triginta & quinque circiter annos in Episcopatu vixit Martinus: ex vetusto codice manuscripto Ecclesiolæ Monasterii constat anno 1227. ab humanis excessisse suæ Ecclesiæ libertatum vindicem strenuum.

§. V.
De Episcopis Olyssiponensibus.

Mauris erepta Olyssipone anno Christi 1147. Venerabilis Rgis Alfonsi Henrici potentissima manu, Salvatoris vexillum erectum est, fides plantata, sacer firmatus cultus, qui postea tot sæculorum tractu in suis Præsulibus auctus est. Primus restauratæ urbis Episcopus electus est Gilbertus natione Anglus, quem Auctor synchronus Indiculi fundationis Monasterii S. Vincentii Olyssiponensis Canonicorum Regularium, appellat Virum bene instructum literis sacris, & pia semper memoria dignum. A' Joanne Bracarensi Archiepiscopo consecratus eidem tamquam suo Metropolitæ debitam obedientiam his verbis juravit: *Ego Gilbertus S. Olixbonensis*

Ecclesiæ Episcopus subjectionem, ac reverentiam à Sanctis Patribus constitutam, secundùm præcepta Canonum Ecclesiæ Bracarensi, rectoribusque ejus, in præsentia Domni Joannis perpetuò me exhibiturum promitto, & usque sanctum altare propria manu confirmo. (a) Gilbertum Episcopum jam factum accivit Alfonsus, & ex eodem Indiculi Auctore ita est affatus: *Ego, bone Pontifex, cum adhuc essem in castris adversus civitatem istam expugnandam paratus, motus pietate super illis, qui hostili ense vulnerati cadebant in bello gratuito me voto constrixi apud Dominum nostrum JESUM Christum, amore cujus mori, & ipsi non dubitabant. Vovi siquidem in Basilicis, quas incboatas apud eorum sepulchrum videtis viros aggregare religionis, qui divinis obsequiis jugiter incumbentes, pro mea, eorumque defensione in conspectu Domini semper assisterent, si dumtaxat divina me pietate contingeret hostium frui victoria, ut est hodie. Nunc ego cupiens, quod pollicitus sum effectui mancipari, consilium Pontificis peto, pariter & auxilium; nam res hujusmodi effici non potest, nec debet absque Episcopi providentia, similiter & opere.*

(a) *Liber fidei Bracarensis.*

Ad hæc Episcopus inquit: *Votum, quod vovit Dominus meus Rex, saluberrimum est, Deoque gratissimum, ac perfecta indiget consummatione. Scriptum est enim: vovete, & reddite Domino Deo vestro: de suffragio verò dando in hoc opere tam sancto, tamque præclaro, quid servus debeo facere, nisi quod ipse imperare voluerit? indicet mihi servo tuo Dominus meus Rex, quid ipse me facere vult, & ego libenter suscipiam. Cui Rex; volo, ait, bone Pontifex, quatenus partem sancti tolerando laboris ad participationem recipiendam perveniatis tribuendæ mercedis, unius sane Basilicarum, quæ vobis placuerit, curam suscipiatis habendam; cedatque vobis, vestrisque successoribus hæreditario jure cum omnibus, quæ possidet, & possessura est in omne tempus, alteram verò mihi, meæque posteritati cum omni jure suo possidendam libere relinquatis. Eam quippe, quæ mihi cedet, volo liberam, semperque ab omni manere immu-*

nem cum omnibus facultatibus, quæ ibi collatæ fuerint à me, ceterisque fidelibus ad sumptus in ea degentibus necessarios. Respondit Episcopus: si Regi placet, quod sibi respondeamus, ad hæc det inducias consulendi capitulum, meosque fratres, quorum consilio talia agere debeo. Ait Rex, mihi placet omnino, eatis, vestrosque consulatis Canonicos, & certum de re mandare responsum non differatis.

Perrexit igitur Gilbertus,*convocatisque in unum universis Clericis suis* (ait) *hoc, & hoc mihi locutus est Rex: convocavi ergo vos, ut in communi decernatis, quid illi respondere debeamus: & respondentes dixerunt Episcopo: quod Regi placet, faciendum est: omnes sui sumus, de suo accepimus quidquid possidemus: ipse, Christo favente, gladio suo paganos expulit à terra, quam incolimus; verum quia nobis optio data est, Basilica S. Mariæ ad Martyres potius est eligenda, quippe vicinior est urbi, & largiores ibi fiunt oblationes. Altera verò, quæ S. Vincentii est, ut libet Regi, libera relinquatur. Hoc Episcopus accepto consilio, mox ad Regem adtulit idem; & Rex libenter annuit; & ex eo tempore Olixbonensis Episcopus cum Clericis suis capit ad integrum possidere Basilicam S. Mariæ ad Martyres, quam Rex Alfonsus concessit illis ob perpetuam libertatem Basilicæ S. Vincentii, quam semper possidendam cum omni jure suo tali conditione sibi retinuit.* Hactenus Indiculi Auctor: ex quo etiam conjectari non pudet Ecclesiam S. Mariæ ad Martyres primam Olyssiponensium Antistitum fuisse Cathedralem, indeque ad aliud maius templum translatam, postquam S. Vincentii corpus ex Promontorio sacro ab eodemmet Rege Alfonso fuit asportatum.

Inter alia digniora, quibus in augenda Ecclesia Olyssiponensi vacavit Gilbertus, id constat ex monumento hoc à Domno Roderico da Cunha edito: (a) *In nomine Sanctæ, & individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Ego Gilbertus Dei gratia Olixbonensis Ecclesiæ humilis Minister, primusque ejusdem Ecclesiæ consecratus Epis-*

(a) *Hist. Episcopor. Olyssipon.*

copus, postea quam præfata civitas erepta est ex manibus Saracenorum, & Christianorum potestati tradita anno 1147. *ab Incarnatione Domini, venerando Alfonso Portugalensium Rege, & Regina Mathilda regnantibus, una cum Canonicorum nostrorum consideratione, quos nostri laboris participes vocaveram, nec non etiam cum prædicti Regis, & Reginæ assensu, & Religiosarum personarum nostræ Diœcesis favore de prædictorum Canonicorum victu, & vestitu in posterum providens, do, & concedo, & jure proprio confirmo triginta, & unam domum cum suis hæreditatibus, & omnibus pertinentiis suis ubicumque sint, & medietatem Marvillæ, & medietatem omnium decimarum Ecclesiarum totius Episcopatus, quæ ad me pertinent tali scilicet distinctione, ut domus præfatæ in suis hæreditatibus, & pertinentiis pacificatæ, & medietas Marvillæ sint ad vestitum cum suis hæreditatibus, & pertinentiis, & medietas Marvillæ dividatur in triginta, & unam portionem, & ex illis portionibus tres personæ, scilicet Decanus, Præcentor, & Thesaurarius duplicem habeant integre portionem tam in victu, quam in vestitu, unam pro Canonica, alteram pro dignitate personatus, duo autem Archidiaconi Marvillæ duplicem habeant portionem in Marvilla tantum. Decanus verò decimam totius Marvillæ tam ex parte Episcopi, quam ex parte Canonicorum, & decimam hæreditatum domus meæ propriæ habeat, quæ fuit Absech filii Assubli, duo autem prædicti Archidiaconi jus suum, & dignitatem integram habeant. Thesaurarius verò in Ecclesia supra hoc, quod dictum est suum habeat jus, & dignitatem juxta Constituttonem Colimbriensis Sedis. Ad victum autem Canonicorum, & personarum, sicut dictum est, do, & concedo medietatem omnium decimarum Ecclesiarum totius Episcopatus, & Regis, & Potestatum, & Comitum, & aliorum proborum virorum donec refectorium honestè ad usum, & morem Francorum præparetur. Siqua igitur in futurum Ecclesiastica, sæcularisve persona hanc meæ donationis chartam sciens contra eam temerè venire*

venire tentaverit, aut usurpare voluerit secundo, tertiove admonita, si non satisfactione digna emendaverit potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à Sanctissimo Corpore, & Sanguine Domini nostri JESUS Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat; & hæc charta semper suum habeat robur, cunctis autem servantibus hanc chartam sit pax Domini nostri JESUS Christi quatenus & hic fructus bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Facta charta donationis, & firmitudinis Kalendis Januarii Era 1188. Quid clarius, amabo, dicant pro communi Olyssiponensium Canonicorum vita, ac regula primo Olyssiponis restauratæ sæculo?

Gilberti beneficiis cumulatum Colimbriense S. Crucis Monasterium gratis suorum Canonicorum animis memoriam servat: nam Gilbertus Era 1194. Venerabilis Regis Alfonsi rogatu Leirenæ Ecclesiasticum, quod ante Maurorum in Lusitaniam ingressum Diœcesis Olyssiponensis fuerat, Monasterii Canonicis dimisit, ut visitur in charta, quæ in ejusdem archivo asservatur: ,, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen. Ego Gilbertus Dei gratia Olixbonensis Episcopus cum consensu Canonicorum meorum pro amore Dei, & rogatu Illustrissimi Regis Portugalensis Domni Alfonsi, & uxoris illius nobilissimæ Reginæ Domnæ Mahaldæ, & etiam amore religiosorum virorum, qui habitant in Monasterio S. Crucis, quod est situm in suburbio Colimbriæ, concedo, & concedendo confirmo prædicto Monasterio, & Canonicis ibidem degentibus in perpetuum illud testamentum de jure Ecclesiastico Leirenæ, quod præfatus Rex eidem Monasterio contulit, sicut in serie testamenti ipsius Regis continetur. Nulli ergo successorum meorum liceat hanc nostram firmam concessionem in aliquo perturbare, seu minuere, vel supra hoc Monasterium illud, aut personas illius aliquibus vexationibus fatigare. Sic omnia supradicta firma, & illibata in perpetu-

„ um permaneant usibus illorum, quibus à nobis, & à supra-
„ dictis personis concessa sunt. Siquis verò Ecclesiastica, sæ-
„ cularisve persona hujus nostræ scripturæ paginam sciens
„ contra eam venire temptaverit, secundo, tertiove commo
„ nita, si non congrua emendatione emendaverit, ream se
„ divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat,
„ & à Sanctissimo Corpore, & Sanguine Domini nostri JESUS
„ Christi aliena fiat, Amen. Facta firmissimæ concessionis
„ scriptura mense Julio Era MCLXIV. scilicet 1194. „ Adrianus IV. Romanus Pontifex Gilberti donationem firmavit anno Christi 1157. Pontificatus verò sui 3. eo tamen imposito, ut Monasterium Romanæ Ecclesiæ annis singulis bizantios duos persolveret. Anno 1166. mense Martio universæ carnis viam Gilbertus ingressus est, & successorem Alvarum post se reliquit. Sed Antonius à clero, & populo fuit electus.

Antonius à D. Roderico da Cunha prætermissus est; ast acta Beatificationis S.Rodesindi Episcopi sub Cardinali Hyacinto Apostolico per Hispanias legato illum anno 1170. subscribentem ferunt apud Iepis, & Tamayum, (*a*) cujus vacantem Sedem Alvarus occupavit.

Alvarus unus ex septuaginta duobus, quos S. P. Theotonius in Monasterii S. Crucis Canonicos induerat, ejusdem Monasterii Præpositus à Priore Theotonio assumptus fuerat, sed Olyssiponem usque Alvari virtutum meritis volitantibus, Gilbertus in Olyssiponensis Sedis Magistrum Scholarem eum advocavit, elegitque; quam tamen dignitatem ille, nec susciperet, nisi Theotonii jussu teneretur. Alvarus magis, magisque de Episcopo suo, ac Ecclesia bene merebatur, quamobrem Canonicorum suorum consensu Gilbertus eum nominavit, ac ordinavit Episcopum, qui ætate illi provecto, dum viveret, ministraret, ac juvaret, & mortuo tandem succederet. Mortuo Gilberto, Olyssiponensis Ecclesiæ Canonici Alvarum deturbare intenderunt, quòd, proprio Episcopo superstite, contra Canones Episcopatus successor esset electus: & Antonium in Episcopum evexerunt: Alvarus verò non de-

(a) *Tom. 5. c. 2. Tom. 5. 1. die Septembris.*

ſtitit,Romanam Sedem appellans electionem de Canonicorũ conſenſu factam,& ab Archiepiſcopo Bracarenſi firmatá probaturus, à Romano Pótifice in ſua Sede poſt Antonii obitum confirmatus eſt.Canonicos Regulares Monaſterii S. Crucis comites ſecum habuit, & ad ſuæ Eccleſiæ dignitates evexit. Era 1217. Municipalibus legibus de Abrantes, ac Sanctarenæ ſubſcripſit.Hyacintus Cardinalis Summi Pontificis Alexandri III. per Hiſpanias legatus anno Dominicæ Incarnationis 1173. Olyſſiponem veniens Alvaro gratus eum Romanæ Eccleſiæ patrocinio affecit, judicavitque, ut *eo obeunte tunc ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopo, nullus in prædicta Eccleſia qualibet ſubreptionis aſtutia, ſeu violentia præponatur, niſi quem canonice ibidem ſecundum Deum elegerint, à Compoſtellano Epiſcopo conſecrandum.* Anno 1184. ab humanis Alvarus exceſſit, & in Neucrologio Monaſterii S. Georgii Canonicorum Regularium, illius extat memoria: *Tertio Idus Septembris obiit Domnus Alvarus Olixbonenſis Epiſcopus Canonicus Sanctæ Crucis Era* 1222.

In Alvari locum ſuffectus eſt Suarius, qui anno 1186. Olyſſiponenſis electus Epiſcopus ſcripturam ſuo nomine teſtis firmavit, qua Sanctius I. Portugaliæ Rex S. Crucis Monaſterii privilegia ab Alfonſo Rege parente conceſſa roboraverat. Sanctio eidem charus Suarius meruit, ut anno 1195. Rex has ederet literas: *Sciant omnes homines, qui hanc ſcripturam legere audierint, quod ego Sanctius Dei gratia Portugaliæ Rex una cum uxore mea D. Dulcia, & filiis, & filiabus meis amore glorioſiſſimæ Matris Domini, & ad reverentiam Beatiſſimi Martyris Chriſti Vincentii cauto univerſas domos Prælatorum Olixbonenſium, quæ de jure ſunt Eccleſiarum, & commune Clericis uniuſcujuſque Eccleſiæ, in quibus dormitoria, & refectoria conſiſtunt.* Ex iis equidem literis non prætermittam Canonicos, ſive Clericos in Olyſſiponenſi Eccleſia id temporis cómuni vita in dormitorio, ac refectorio degiſſe. Inter Suarium, ac Petrum S. Vincentii Monaſterii Olyſſiponenſis Priorem ortum eſt diſſidium circa ipſius Monaſterii libertates, ac exemptiones: cauſa ad Ro-

manum Pontificem Innocentium III. delata est, qui Abbatem, ac Cantorem Alcobatiæ judices delegavit sententiam prolaturos: indeque ipsorum judicium Monasterium liberum, ac exemptum declarantium anno 1205. sublato appellationis obstaculo inviolatè observari præcepit. Anno 1210. è vivis excessit Suarius, nam anno 1211. mense Januario alius Suarius electus Episcopus Olyssiponensis Sanctii I. Regis donationem erga Monasterium de Morervela Ordinis Cisterciensis in regno Legionensi testis suo nomine roboravit.

§. VI.
De Episcopis Lamecensibus.

PRimus Lamecensis civitatis à Maurorum jugo restauratæ sub Venerabili Rege Alfonso Henrico Episcopus fuit Menendus Canonicus Regularis Monasterii S. Crucis, ex duodecim, qui prima novi Monasterii fundamenta cum Tellone Colimbriensi Archidiacono condiderunt. Inclytus Rex de Menendi meritis certus eum ad Lamecensem Sedem Archiepiscopi Bracarensis, regni cleri, populique consensu anno 1144. Præsulem nominavit. Episcopus jam factus in suæ Sedis Archidiaconum assumpsit D. Rosardum ejusdem Monasterii Canonicum Regularem, quo comite, ac consanguineo Canonicorum Regularium institutum in Lamecensi Sede florere fecit. Eo Præsule, apud Lamecum Venerabilis Rex Alfonsus prima regni comitia convocavit, quibus Menendus ipse interfuit. Erga Monasteria S. Joannis de Tarouca, ac de Salzeda Ordinis Cisterciensis munificentissimo animo afficiebatur, Monachos de Salzeda Episcoporum Lamecensium jurisdictioni exemit; quo privilegio adhuc perfruuntur: S. Joannis Ecclesiam cum aliis regni Antistitibus dedicavit. Anno 1173. dignum Episcoporum exemplar Menendus universæ carnis viam ingressus est, & Godinum post se habuit in Episcopatu successorem.

Godinus Alfonsus ex Lusitaniæ primoribus, sub Theotonio in Canonicum Regularem indutus est. Anno 1132. Go-

dini virtutum fama eò volitabat, ut Canonici Regulares Monasterii de Balneo in Diœcesi Bracarensi Theotonium S. Crucis Priorem rogarent, Godinum mitteret, qui eos verbo, ac exemplo instrueret, ac ad regularem observantiam promoveret. Anno 1140. ad Monasterium de Balneo profectus ejusdem Canonicis perficiendis totus incubuit, & ad tantam perfectionis dignitatem evexit, ut postea Venerabilis Rex Alfonsus S. Vincentii Monasterio Olyssiponensi, quod nuper fundaverat, ex Balneo vocatum præfecerit. Anno Domini 1162. Era 1200. Prior agebat ex ejusdem Monasterii archivi monumento: *In Christi nomine hæc est charta venditionis, & firmitatis, quam jussi facere ego Pelagius Arias vobis Domno Godino Priori S. Vincentii, & fratribus vestris de casas, quas habeo in civitate Ulixbonæ in collatione S. Martini... mense Junio Era MCC.* Vincentinum Monasterium tredecim annos Prior rexerat, cum post Menendi Lamecensis obitum Lamecensis Episcopus fuit electus. Fr. Antonius Brandaõ ad annum usque 1188. in Episcopatu vixisse scripsit, sed D. Antonius Caetanus de Souza monumentum invenit in magno Olyssiponis archivo regio, quo Sanctius I. Portugaliæ Rex oppidum de Ota Alcobatiæ Monasterio donatione reliquit mense Martio Era 1227. anno Domini 1189. & subscripsit *Godinus Lamecensis Episcopus.* (*a*) Ejus cõmemoratio singulis annis fit in Neucrologio Monasterii Ecclesiolæ: *Tertio Kalendas Aprilis obiit in Domino Domnus Godinus Lamecensis Episcopus Canonicus S. Crucis Era* 1227. Nec Godini tantum, sed omnium parentum eorum ejusdem Monasterii benefactorum memoriam retinet Neucrologium: *Quarto Kalendas Julii obiit Alfonsus Pater Domni Godini Lamecensis Episcopi Canonici S. Crucis, & commemoratio omnium parentum ejus.* Decipiuntur quidem, dum Godinum primum S. Vincentii Priorem, & Lamecensem Antistitem unum, eundemque opinantur cum Zalame Godino Priore S. Thomæ de Mira, & S. Crucis Canonico Regulari: hic in suo Monasterio inter fratres die 1. Junii in Domino obdormivit: ille tertio Kalendas Aprilis anno 1189. in sua Sede.

(a) Tom. 1. Probat.

Godino successit Joannes, qui Era 1228. anno Christi 1190. Sanctii I. donationem erga Ecclesiolæ Monasterium testis firmavit. Era 1233. salutis anno 1195. cum Sanctius I. municipales Leirenæ leges à Venerabili Rege Alfonso concessas ratas haberet, in firmitudinis testem adhibitus est Joannes: eodem tamen anno vitam finivit; nam mense Aprilis ejusdem anni 1195. Petrus Lamecensis Episcopus constitutiones censuales de Ermelo suo nomine confirmavit. Petrus Joannis successor Lamecensem Ecclesiam non minus, ac decessores sui, optimis moribus decoravit, Regulare Canonicorum institutum à Menendo introductum servavit: Era 1238. cum Sanctius I. Colimbriæ commoratus Cizimbriæ censum ageret, Petrus, qui illuc accesserat, testimonio suo reddidit firmitudinem; nec ultra annum Domini 1200. quidquam ab eo gestum invenire potui.

Argumentum circa Godini in Episcopatum ingressum à Canonico Regulari D. Francisco à Jesu Maria expositum, & in veteri S. Vincentii Monasterii archivi monumento fundatum exscribere necesse habui. Objecit mihi ille Vir antiquitatum peritus: Godinus anno 1162. Era 1200. ex monumento jam proposito Prior erat Vincentinus; indeque ad Episcopatum translatus: post Godinum Menendus octo annos ejusdem Monasterii Prioratum habuit: ex Indiculo veteri anno 1172. Pelagius post Menendum in Prioratu successit; ergo, concludit ille: non in anno 1173. ex Vincentino Prioratu ad Lamecensem Episcopatum assumptus est Godinus. Pelagii regimem ad annum 1172. ad Eram 1210. ostendit ex monumento, quod in prædicto Monasterio invenit: *In Christi nomine. Hæc est charta venditionis, & firmitudinis, quam jussimus facere ego Maria Armigis una cum meis filiabus, & cum suis maritis, scilicet Michael Joannis, & Petrus Menendi, & Suarius Arias vobis Domno Pelagio Priori Ecclesiæ S. Vincentii, & fratribus vestris de una nostra hæreditate propria, quam habuimus juxta Ecclesiam S. Vincentii ... Facta charta mense Martii Era MCCX.* Adverteret, rogavi, numerales characteres, quibus Era notabatur; ad

literam x̄ adtenderet quodam supra notatam signo, quo non decem, sed quadraginta annos exprimeret, non Eram 1200. annum scilicet Domini 1172. sed Eram 1240. annum Salvatoris 1202. quo adhuc in humanis agebat Pelagius. Quibus animadversis, omnia secundum tempora benè conveniunt. Anno 1173. Lamecensem in Episcopatum ingressus est Godinus post Menendi obitum, quem in vivis egisse testatur anno 1169. Dedicatio Ecclesiæ S. Joannis de Tarouca Ordinis Cisterciensis. Ex 1173. ad annum usque 1181. octo annos suo Monasterio præfuit Menendus Prior; inde successit Pelagius, ad quem Lucius III. anno 1184. literas dedit, quas infra de Monasterio S. Vincentii exscribam.

§. VII.
De Episcopis Visensibus.

POst Gomesium Visensem Episcopum Ecclesia illa Colimbriensium Episcoporum curæ à Paschali II. commissa est; & per Priores vitam communem ibidem cum Canonicis agentes regebatur. Domnus Theodoricus inter Priores primus occurrit anno 1092. Vir sanè egregius, & Comiti Henrico gratus; anno 1098. in societatem suam S. Theotonium adscripsit; virtutibus clarus obiit anno 1112. cui in Prioratu successit S. Theotonius, cujus gesta loco suo diffusius pertractabo. Theotonio illius Ecclesiæ regimen abdicanti suffectus est Domnus Honorius, cujus nomen vetus Ecclesiolæ Neucrologium die septima Augusti anno 1119. commemorat. Honorii mortui locum tenuit Odorius, quem clerus, & populus in Episcopum sibi assumpserunt, sed cum Gondisalvus Colimbriensis Episcopus electioni obsisteret, anno 1120. Episcopatu se abdicavit, & Prioris tantum officio functus est: en Colimbriensis archivi monumentum: *In Era* 1158. *Visenses Clerici coram Regina Domna Tharasia & suis Baronibus dimiserunt, & abrenunciaverunt Episcopo Domno Gondisalvo electionem, quam fecerant de Domno Odorio tali modo. In primis Domnus Gonsalvus, qui Episcopus, &*

dominus eorum est, sine cujus voluntate electionem illam fecerant, dimisit illis mali violentiam, ut ab illo nullam læsionem eorum corporibus, vel rebus recipiant pro omnibus adversitatibus sibi nunc usque illatis; & ille Domnus Odorius abrenunciavit illam electionem, & juravit super quatuor Evangelia, ut illam electionem non requirat, nec Visensem Episcopatum recipiat, nec alteri consentiat ad recipiendum sine voluntate Episcopi Domni Gonsalvi, ipso permanente in felicitate Reginæ Domnæ Tarasiæ, sicut Episcopus fidelis debet esse suo Regi, & Domino terræ, & sic ipse juravit sine arte, & malo ingenio, ita & omnes Clerici Visenses juraverunt, & ei fidelem obedientiam promiserunt. In primis Tedon Presbyter, Didacus Presbyter, Stephanus Presbyter, &c.

Ad annum usque 1131. Dominicæ Incarnationis Odorius Prioratum habuit; eoque abdicato cum Tellone Archidiacono Colimbriensi Canonicorum institutum in novo Sanctæ Crucis Monasterio instauravit; meritis, ac virtutibus ibidem enituit: Venerabilis Rex Alfonsus Henricus cum Visensem Ecclesiam à Colimbriensi Episcopo separari, novumque Visensem Antistitem fieri intenderet, Odorium in Ecclesiæ Præsulem nominari curavit. Anno 1144. Episcopatum suscepit, anno autem 1160. municipalibus legibus de Lafoẽs subscripsit, Diœcesimque suam rexit ad annum usque 1166. quo ejus successoris Gondisalvi memoria reperitur. Malè confundunt aliqui Odorium istum cum Odorio altero, sive Honorio Canonico etiam Regulari, qui sub Theotonio Priore S. Crucis Monasterii Canonicorum omnium consensu Prior claustralis electus est: ad quem in ejusdem Monasterii archivo extant literæ Summi Pontificis Innocentii II. quibus & Odorii, & aliorum Canonicorum merita prædicantur. Odorii hujus, sive Honorii vita non excurrit annum 1160.

Gondisalvum Visensem Antistitem fuisse Alcobatiæ Monachum testatur vetus Neucrologium Monasterii S. Crucis: *Idibus Januarii obiit Domnus Gonsalvus Visensis Episcopus Monachus Sanctæ Mariæ de Alcobatia.* Eruditus Brandaõ

daõ non diffitetur in Alcobacienſi Monaſterio nullam de Gondiſalvo reperiri memoriam, fortaſsè quod id temporis Viri humiles, & ſanctitate conſpicui aliorum geſtis poſterorum memoriæ commendandis non incumberent. Alexander Papa III. anno Chriſti 1167. ad Gondiſalvum ſcripſit, ut Eccleſiam S. Stephani vi occupatam, ac detentam Monachis Rivipullenſibus, quorum juris erat, infra quadraginta dies reſtitueret. In Epiſcopatus regimine vixit ad annum uſque 1169. quo ſe abdicavit; & in ejus locum electus eſt Marcus, quem anno 1170. actis Beatificationis S. Rodeſindi Epiſcopi Dumienſis ſubſcripſiſſe refert Iepis. (*a*) Marco ſucceſſit Godinus Canonicus Regularis S. Crucis, ac ex monumento in Viſenſis Eccleſiæ archivo conſtat ad annum uſque 1179. eidem Eccleſiæ præfuiſſe. Eodem anno 1179. poſt Godini obitum ad Epiſcopatum aſſumptus eſt Joannes Pires; anno 1181. municipalibus legibus de Melgaço nomine ſuo indidit firmitudinem, & anno 1187. legibus aliis, quas Sanctius I. Viſenſi populo promulgavit; anno 1192. è vivis exceſſit die ſeptima Julii: cujus Sedem excepit D. Nicolaus patria Olyſſiponenſis, & Canonicus Regularis Monaſterii S. Vincentii. Anno 1173. in eodem Monaſterio in Canonicum indutus eſt, jam profeſſus ſtudiorum cauſa Pariſios petiit; unde reverſus Colimbrienſis Sedis Theſaurarium egit; de cujus meritis certus clerus, ac populus Viſenſis in Epiſcopum ſuum elegerunt. Cum de Innocentii III. electione, cujus conſuetudine Pariſiis olim uſus fuerat Nicolaus, Luſitaniam nuntius adventaret, ille Romam acceſſit Innocentio de Summo Eccleſiæ Pontificatu congratulatum. A' Summo Pontifice peramanter acceptus, confirmatus, ac conſecratus eſt in Epiſcopatu, quem inde gubernaſſe conſtat anno 1209. quo ſubcripſit legibus municipalibus de Penamacor.

(a) *Tom. 5. cap. 2.*

G

§. VIII.
De Episcopis Algarbiensibus.

ANno 1188. Algarbii regno à Sanctio I. Portugaliæ Rege Mauris armorum vi erepto Domnus Nicolaus Canonicus Regularis Monasterii S. Crucis præfectus est Episcopus, ac apud Sylvem Episcopalem Sedem fixit, quæ olim apud Ossonobam fuerat. Canonicorum suorum Regularium non immemor largitione munificentissima S. Vincentii Monasterium locupletavit; Sanctio Rege, ac Regina Domna Dulcia Portugalensi, eidem Monasterio Lacobricam ab omni Episcoporum jure immunem dedit, quod ex monumento fit certum in S. Vincentii archivo: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Ego Nicolaus Dei gratia Sylviensis Episcopus cum consensu Canonicorum meorum pro amore Dei, & rogatu Illustrissimi Regis Portugalis, Sylvii, & Algarbii, Domni Sanctii, & uxoris ejus nobilissimæ Reginæ Dulciæ, vobis Domno Pelagio Monasterii B. Vincentii, quod situm est in suburbio Olixbonæ Priori, & fratribus, & successoribus vestris in præfato Monasterio constitutis, & constituendis concedo, & concedendo trado, tradensque confirmo habendum in perpetuum omne jus Ecclesiasticum illius castri, nomine Lagos, quod prædictus Rex contulit vobis cum omnibus suis antiquis, & novissimis terminis, sicut in serie testamenti ipsius Regis continetur. Concedimus igitur vobis liberam facultatem ædificandi Ecclesias, erigendi Altaria tam in prædicto castro cum suis terminis, quam in aliis populationibus vestris, sepulturam quoque ejusdem loci ab omni jurisdictione Episcopali liberam esse concedimus, ut videlicet quicumque Clericus, sive Laicus, vel qualibet alia persona, sive in vita, sive in morte se illic converti, seu sepelire mandaverit, ejus voluntati nullus obsistat, facta de bonis suis parte suæ Ecclesiæ, chrisma quoque, & oleum secundum consecrationes Ecclesiarum, seu Altarium, ordinationes Clericorum gra-*

tis, & absque ulla pravitate tam nos, quam successores nostri, vobis, & successoribus vestris semper exhibere concedimus. Si verò gratis, & spontanea voluntate vel nos, vel successores nostri, hæc quæ diximus vobis concedere noluerint, liceat vobis quicumque volueritis adire Antistitem, qui ad petitionem vestram, nullius contradictione obstante, vobis omnia indulgeat, nec habeat ibi aliquis Episcopus potestatem imperandi, vel prohibendi, vel aliquam ordinationem, quamvis levissimam faciendi, nisi fuerit à vobis rogatus, quatenus omnes, qui ibidem fuerint constituti, semper permaneant exempti ab omni Episcoporum jurisdictione. Nulli igitur successorum nostrorum liceat nostram firmam, & spontaneam concessionem in aliquo perturbare, seu minuere, vel super hoc prædictum locum cum omnibus suis terminis, aut personas illius aliquibus vexationibus fatigare, sed omnia supradicta firma, & illibata in perpetuum permaneant usibus vestris, vestrorumque successorum, quibus à nobis, & à supradictis personis, spontanea voluntate concessa sunt. Sanè possessiones, & omnia, quæ Monasterium B. Vincentii potuerit adipisci in Episcopatu nostro largitione regum, donatione Principum, oblatione fidelium, seu aliis modis, vobis, vestrisque successoribus præsenti scripto confirmamus, & privilegium concessum supra, in eis similiter locum habere decernimus. Siqua igitur Ecclesiastica, sæcularisve persona hujus nostræ scripturæ paginam sciens contra eam venire temptaverit, secundo, tertiove commonita, si non congrua satisfactione emendaverit, ream se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à Sanctissimo Corpore, & Sanguine Domini nostri JESUS Christi aliena fiat Amen. Amen. Facta firmissimæ concessionis scriptura mense Martio Era 1228. Ego Nicolaus subscripsi Episcopus. Ego Willelmus Decanus subscripsi. Ego Petrus Tesaurarius subscripsi. Ego Lambertus Archidiaconus subscripsi. Largissima hac donatione, ac immunitate Vincentini Canonici usi non sunt, quòd ante possessionem habendam Saraceni Algarbium è Lusitanis caperent, ac dominio suo manciparent.

CAP. II.

Romani Pontificis Primatus per Lusitaniam.

§. I.
Paschalis II. literæ.

PRopter civitatum à Mauris factam desolationem, Visei scilicet, ac Lameci Paschalis II. ad Mauricium Colimbriensem Episcopum scripsit, & Diœcesis suæ limites sic statuit, ut quæcumque bona, quamque Diœcesim eadem Ecclesia Colimbriensis justè possideret, vel in futurum justè, & canonicè posset adipisci, firma Colimbriensi Episcopo, ejusque successoribus illibata permanerent: ut à Colimbria usque ad castrum antiquum, sicut Theodomiri Regis tempore ab Episcopis divisio facta fuerat, Ecclesia Colimbriensis perseveraret: prætereaque Episcopalium Cathedrarum Ecclesias Lamecum, ac Viseum Colimbriensium Episcoporum provisioni, curæque commisit, donec cardinales Episcopos habere possent.

Cum Gondisalvus Colimbriensis Episcopus Metropolitæ Bracarensi obtemperare detrectaret, & Toletanum Archiepiscopum solum agnosceret, Paschalis Summus Pontifex ad Gondisalvum scripsit literas Anagniæ datas, quibus monuit quanti criminis haberetur Ecclesiasticæ auctoritatis contemptus, quod Mauricio Bracarensi Præsuli tanquam Metropolitæ suo reverentiam, obsequiomque non impenderet; ac jussit, ut nisi intra quadraginta dies postquam has literas acciperet, debitam ei obedientiam præsentaret, ab Episcopali officio esset suspensus.

Anno Domini 1115. ad Hugonem Portugalensem Episcopum scripsit, ipsius Ecclesiam sub Apostolicæ Sedis tutella specialiter confovit, & ea libertate donavit, ut nullius

Metropolitani, nisi Romani Pontificis, aut legati, qui ab ejus latere missus esset, subjectioni teneretur obnoxius: (privilegium tamen istud non enituit, sed à Callisto II. sublatum est;) ut omnia prædia, quamcumque Diœcesim eadem Ecclesia id temporis possideret, vel in futurum justè, ac canonicè posset adipisci, firma Portugalensibus Episcopis, & illibata permanerent; & quod de antiquis Parochiarum terminis, dum prostrata sub Mauris jacebat Ecclesia, ab aliis fuerat occupatum, eidem redintegraretur: Portugalensis Ecclesiæ terminos distinxit. A' fauce Aviæ fluminis ubi cadit in mare Oceanum, per ipsum flumen sursum usque ad Avicellam fluvium, & per Avicellam ad arcum Palumbarii, ad Antam de Temone, inde ad Montem Ferrati, inde ad Montem Marannis, inde ad Campeanam fluvium, & per ipsum fluvium, sicut defluit in Bandugium, & per Bandugium, sicut decurrit in Corgam, & per Corgam in Dorium flumen, inde trans Dorium ad Piscarium per montem Magnum ad Antoanam flumen, & per ipsum flumen, sicut descendit ad Oceanum. Præcepit ut quæcumque infra hos fines Ecclesiæ, vel Monasteria continebantur, Portugalensi Ecclesiæ obedientiam debitam, justitiamque persolverent.

§. II.
Callisti II. literæ.

ANno 1120. Callistus II. ad Bracarensem Archiepiscopum Pelagium literas dedit, quibus suæ Ecclesiæ privilegia confirmavit. De Bracarensi Ecclesia ita exposuit insignem quondam fuisse Metropolim, atque inter Hispaniarum regna multis & dignitatis, & gloriæ titulis claruisse: & cum post longa temporum interstitia, quibus Mauris irruentibus, Metropolis dignitas erat imminuta, & Parochiarum termini confusi, divina miseratio rursus Metropolim restituere, ac ab infidelium tyrannide liberare dignaretur, Bracarensi Ecclesiæ integram urbem Bracaram cum *cauto* integro, quod Comes Henricus, & uxor ejus Tarasia contulerant, confirmavit,

& eidem Metropoli Gallæciam provinciam, & in ea Episcopalium Cathedrarum urbes redintegravit; item Asturiam, Lucum, Tuden, Mindonium, Auriam, Portugale, Colimbriam, & Episcopalis tunc nominis oppida, Viseum, Lamecum, Egitaniam, Britoniam cum Parochiis suis.

Ad eundem Pelagium Bracarensem scripsit Callistus, ut infra quadraginta dies postquam literas acciperet, Hugoni Portugalensi Episcopo Ecclesias restitueret, quas usurpaverat, sententiamque rescidit, quam in Burgensi Concilio Cardinalis Bosonus Apostolicæ Sedis legatus adversus Portugalensem Antistitem protulerat: omnesque Ecclesias, ac Monasteria Portugalensis territorii singulatim designavit. Callisto quoque debet Compostellana Ecclesia, quod jura Lusitaniæ Metropolis Emeritensis ad se transmutaverit; cujus privilegium in Concilio Palentino postea anno 1129. Alfonsus VII. Hispaniæ Rex legi fecit. Ea erat Callisti erga Hispanias benevolentia, ut in Concilio Lateranensi I. Generali ad universos Christi fideles Epistolam mitteret, qua pugnantibus in Hispaniis adversus Saracenos eandem peccatorum remissionem concessit, quæ Orientalis Ecclesiæ defensoribus concedebatur. Ex Paschalis, ac Callisti literis compertum est solius Papæ supremæ auctoritati esse facultatem reservatam dividendi, ac terminandi Diœceses: ac si quandoque Principes, inter quos fuit Henricus Portugaliæ, Ecclesiarum limites præscriberent, vel Ecclesia ipsa concessit, vel dissensit; & solius Ecclesiæ præscripto firmati sunt. Et cum aliquando Principes faciliores se præberent his innovationibus, Innocentius I. jam olim responderat Alexandro Antiocheno Episcopo Ecclesiarum statum divisionibus provinciarum à Principe immutari: *Nam quod sciscitaris*, inquit, *utrum divisis imperiali judicio provinciis, ut duæ Metropoles fiunt, sic duo Metropolitani Episcopi debeant nominari. Non ergò visum est ad mobilitatem necessitatum mundanarum Dei Ecclesiam commutari, honoresque, aut divisiones perpeti, quas pro suis caussis faciendas duxerit Imperator.*

§. III.
Innocentii II. ac Lucii II. literæ.

ANno Domini 1142. Alfonſus Portugaliæ Rex claves regni cœlorum agnoſcens Beato Petro à Chriſto fuiſſe conceſſas, ipſum Patronum, & Advocatum apud Deum habere diſpoſuit, & per manus Guidi Diaconi Cardinalis Apoſtolicæ Sedis legati Papæ Innocentio II. hominium fecerat, & regnum B. Petro, & S. Romanæ Eccleſiæ obtulit ſub annuo cenſu quatuor unciarum auri, ea conditione, ut omnes ejus ſucceſſores eundem cenſum annuatim B. Petro perſolverent: quod hominium literis ſuis ad Lucium II. anno 1144. firmavit: quibus acceptis, uterque Pontifex, Innocentius anno 1142. & Lucius anno 1144. reſponderunt ſe intra Apoſtolorum Principis hæredes ſuſcipere tam Alfonſum ipſum, quam filios, aut ſucceſſores, & per Epiſcopos Bracarenſes, qui pro tempore exiſterent, quatuor auri uncias ſingulis annis Apoſtolicæ Sedi perſolvendas conſenſit. In Toletanæ Eccleſiæ archivo reperiuntur hujuſmodi Epiſtolæ ſubſcriptæ à Joanne Archiepiſcopo Bracarenſi, Bernardo Colimbrienſi, & Petro Portugalenſi, quarum exemplaria amicorum cura tranſmiſſa ſunt ad Gaſparem Alvares Lozada, qui familiaribus communem fecit, & publico juri dederunt Brittus, & Brandaõ in Luſitaniæ Monarchia.

§. IV.
Decretales de Hiſpaniarum Primate.

PLurimæ quidem extant Romanorum Pontificum Epiſtolæ ad Archiepiſcopos Toletanos ſæculo duodecimo, quibus Primatus jura, privilegium dicam potius, ſuper Bracarenſem, & ceteros Hiſpaniarum Præſules ſtatuuntur. Eugenius III. anno Domini 1150. Raymundo Toletano Archiepiſcopo eſt gratulatus, quod Bracarenſis Antiſtes ejus Primatui ſe ſubjecerit, increpuit tamen, quod illius fines invaderet, duriuſque haberet. Ad Joannem quoque Bracarenſem

ſcripſit, ut Toletanum Primatum agnoſceret, & niſi debitam obedientiam ſatageret exhibere, ab officio Epiſcopali eſſet ſuſpenſus. Anaſtaſius etiam IV. anno 1154. & Adrianus IV. anno 1156. Bracarenſem monuerunt, ut Archiepiſcopo Toletano tamquam Primati obediret; haſce Epiſtolas ex archivo Monaſterii Rivipullenſis exſcripſit Illuſtriſſimus da Marca. Egregia ſanè monumenta pro novo Primatus privilegio, non pro antiquo jure Toletanæ Eccleſiæ, ut jam expoſui ad ſæculum 11. ad Epiſtolam Urbani II.

§. V.
Alexandri III. literæ ad Alfonſum Portugaliæ Regem.

INnocentius II. conceſſo privilegio Alfonſum titulo Regis munificentiſſime donaverat, & feudatarium Alfonſum ſub patrocinio ſuſceperat; inde curavit novus Rex à ſucceſſore confirmari. Præſtitit Alexander hujus nominis tertius publicato edicto, quod extat in arce *do Tombo*, ab Antonio Brandaõ jam in lucem editum. Inquit Alexander, ut attendens Alfonſi perſonam prudentia ornatam, juſtitia præditam, atque ad populi regimē idoneam, eum ſub B. Petri protectione ſuſciperet, & regnum Portugalenſe cum integritate honoris, regni dignitate, quæ ad Reges pertinet, necnon & omnia loca, quæ è Saracenorum manibus eripuerat, Alfonſo concederet, & auctoritate Apoſtolica confirmaret: & ad indicium, quod præſcriptum regnum Beati Petri juris exiſteret, ſtatuit duas marchas auri annis ſingulis Apoſtolicæ Sedi perſolvendas. Ex Innocentii II. ac Alexandri III. literis ſibi perſuaſum habent alii Portugaliæ regnum Romanæ Eccleſiæ temporale fuiſſe feudum: ſed falluntur.

Portugalenſis enim Rex Alfonſus temporalibus legitimis titulis diadema, auctoritatemque ſuſceperat: populus ſiquidem in Lamecenſibus comitiis Alfonſum Regem renuntiavit, qui tot de Mauris victoriis partis, Regem acclamari merebatur, & terrarum dominio fruebatur; Joannes Bracarenſis *Archiepiſcopus coram omnibus ſurgens tulit de manibus*

Abba-

Abbatis de Laurbano coronam auream magnam cum multis margaritis, quæ fuerat de Regibus Gothorum, & dederant Monasterio, & posuerunt illam Regi. Feudum quidem spirituale erat Lusitania: Feudatarii spiritualis interest præbere obsequium, & reverentiam spiritualem: id indicitur Regi Alfonso ab Alexandro III. *Ut autem ad obsequium B. Petri Apostolorum Principis, & Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ vehementius accendaris*: hoc devotionis internæ signum exprimi solet tributo externo; & idcirco Lusitaniæ Reges censum temporalem statuerunt ad devotionis spiritualis indicium. Quapropter numquam poterat Romanus Pontifex territorii Lusitani dare alii investituram: poterat quidem revocare gratias, indulgentias, jubilæa, indulta, & reliquos favores Ecclesiasticos, qui Apostolica auctoritate Regibus aliis concedi solent. Injurii sanè sunt Romano Pontifici ii omnes, qui asserunt eum titulos regiè temporales posse concedere, cujus auctoritas est spiritualis. Exposuit ita Caramuel in opere suo Philippus Prudens: *Alexandri III. litera non sonat jurisdictionem temporalem, sed spiritualem titulum: consulto enim Summi Pontifices non concesserunt Alfonso, quod largiri non poterant. Petiit is, fateor, coronam sæcularem, sed respondit illi Pontifex: argentum, & aurum (nempe temporalis potestas) non est mihi Papæ; quod autem habeo, (videlicet spirituale diadema) hoc tibi do.*

Nec Lusitani Reges tenebantur solvere singulis annis duas auri marchas Pontifici Romano: consulto enim Alfonsus marchas non promisit, sed obtulit: *Terramque meam*, ait, *B. Petro, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ offero sub annuo censu*, ut exprimeret se nolle promissione aliquam obligationem inducere, sed oblatione exponere internam animi devotionem. Sanctius I. post Patris obitum 16. annis sequentibus summam illam non solvit, & Alfonsus ejus filius duobus aliis, ut constat ex instrumento publico præstito à D. Gondisalvo Hispano familiari, & Nuntio Romani Pontificis Innocentii III. anno 1213. in Hispaniam destinati tam pro colligendis Ecclesiæ Romanæ censibus, quam pro aliis ne-

(a) Lib. 10. cap. 11.

gotiis, cujus exemplar clarissimus Brandaõ prodidit. (a) Creditu non est Regem pium, summè liberalem, atque divitem tam longo tempore aurum Romanæ Ecclesiæ retinuisse, nisi aut Pontifex concessisset, aut esset mera Regis devotio: oblationes enim Ecclesiasticæ solam devotionem sonant, & nisi promissione, voto, aut æquivalenti circunstantia firmentur, non obligant.

Innocentii quoque III. qui sæculo 12. exeunte Sancti Petri solium ascendit, plurimæ extant Decretales ad Lusitanam Ecclesiam circa disciplinam, quæ licet ineunte sæculo 13. scriptæ fuerint, Auctorem Pontificem sæculi etiam 12. habuerunt. Ad Bracarensem scripsit Innocentius, ut in diebus profestis cum Missarum solemnia in honorem Beatæ Virginis celebrantur, neque hymnus Angelicus, neque symbolum decantaretur, licet in Missa propria Præfatio caneretur, ut inter commemorationem, & solemnitatem esset differentia: circa jejuniorum observationem consultus Bracarensi respondit, quod omnium Apostolorum vigiliæ in jejunio observarentur, præter vigilias Apostolorum Philippi & Jacobi, & B. Joannis Evangelistæ, quoniam ipsorum solemnitas intra solemnitatem Paschalem, istius intra Natalem Domini agitur. Sanctorum vigiliæ, quorum festivitates secunda feria fierent, in præcedenti Sabbato jejunarentur: circa festivitatem S. Bartholomæi Apostoli Bracarensis Ecclesiæ consuetudo vigeret; apud quosdam enim dubium oriebatur; plerique cum Beda, Usuardo, & Adone die 11. Augusti celebrabant; Romæ autem 13. Kalendas Septembris esse consueverat.

Quæsitus, quæ pœnitentia esset injungenda iis, qui diebus Quadragesimæ, quo tempore tantæ famis inedia ingruebat, ut magna pars populi propter annonæ inopiam periret, carnes comedere cogebantur; rescripsit in tali articulo non esse puniendos; preces tamen pro illis, & cum illis effunderentur, ne ipsis aliquatenus imputaretur. De aliis, qui propter debilitatem in sabbato carnes sumebant contra Bracarensis provinciæ consuetudinem, hanc jussit observari, sic tamen ut debilibus, & infirmis propterea nullum periculum emer-

geret: & pro iis, qui in Quadragesima, aut in aliis jejuniis solemnibus infirmi sibi carnium esum indulgeri postulabant, ipsorum annuit desideriis, ut maius in eis periculum vitaretur. Hujusmodi literas fuisse scriptas anno 1206. referunt Spondanus in continuat. Baronii, Ordericus Raynaldus eodem anno n. 35. quamvis Decretalium Collector tit. de Jejuniorum observatione ad annum 1213. referat.

Contingebat interdum in Bracarensi provincia, ut Clerici siquem offendissent, & satisfacere vellent offenso, secundum morem, quem inter se laici observabant, corpora sua sponte supponerent triginta, seu pluribus, aut paucioribus percussionibus fustium: id improbavit Innocentius, & rescripsit, quod hujusmodi manus injectio, etsi non violenta, tamen esset injuriosa; cum Canon non tam in favorem Clerici ordinati, quam in ordinis Clericalis fuerit promulgatus. Et siquis Clericus post rescriptum hoc se subjiceret, excommunicaretur: proviso, ut Clericus injuriam passo sine injuria Clericali satisfaceret, quatenus inter ipsos pax firmaretur. Hæce Innocentii Decretales Juris Corpori inseruntur tit. de Celebrat. Missar. de Observat. Jejunior. & de sententia Excommunicat. Aliæ quoque extant Decretales, quæ infra suis locis exponentur.

CAP. III.

De Conciliis.

§. I.
De Concilio Fusselensi Lusitaniæ, ac Hispaniarum Generali.

ANno Christi circiter 1105. prope Palentiam apud oppidum *Husillos* dictum, convocata est synodus ex Episcopis per Lusitaniam, ac Hispanias ceteras id temporis florentibus. Adfuit Alfonsus Rex Hispaniarum, qui postquam magnam Castellæ, & Toletani regni partem cepit, Imperato-

ris titulo decorabatur: præfuit Richardus Vicarius Ecclesiæ Romanæ, ac legatus: interfuerunt Bernardus Archiepiscopus Toletanus, Giraldus Bracarensis, Petrus Aquensis, uterque Archiepiscopus: Episcopi Germanus Burgensis, Gondisalvus Mindoniensis, Adericus Tudensis, Arias Ovetensis, Osmundus Asturicensis, Raymundus Palentinus, Petrus Legionensis, Petrus electus Compostellanus, Mauricius Colimbriensis, Segifredus electus Naxarensis, Petrus electus Auricensis, cum Abbatibus, & regni Proceribus. In hac synodo de terminis dividentibus Oxomensem Episcopatum à Burgensi disceptatum est. De Officio Divino quædam tractata sunt: denique cautum fuit extirpandæ incontinentiæ Clericorum, quorum multi tamquam uxorati vitam ducebant; sed irrito pene conatu, cum id vitium altas radices egisset, donec sequentibus annis fuit eliminatum. Ibidem S. Giraldus Bracarensis Antistes, qui Roma venerat, & pallium, ac suæ Ecclesiæ privilegia à Paschali II. susceperat, Episcopis, Abbatibus, ac optimis Clericis, Romanum privilegium in omnium auribus recitavit, & juxta ipsius privilegii tenorem Bracaræ Metropolis suffraganei Pontifici Venerabili Giraldo Metropolitæ suo, justitia dictante, & Cardinali præcipiente, obedientiam, ac reverentiam promiserunt.

Concilii hujus mentionem fecit Sandovallius in annum Christi 1135.(a) sed circa annum plura prohibent decretoria, ut in gravissimis Præsulis sententiam concedam. Multis enim annis ante 1135. jam obierat Bernardus Toletanus Archiepiscopus; anno quippe 1129. Raymundus Bernardi successor Toletanam regebat Ecclesiam, & Palentino Concilio interfuit. Giraldus Bracarensis Præsul humana posuit anno 1108. Deinde anno 1135. legatus Sedis Apostolicæ in Hispania erat Guido Cardinalis missus ab Innocentio II. non Richardus, qui longe antea præcesserat à tempore Urbani II. & Paschalis II. quorum prior obiit anno 1099. & posterior anno 1118. synodus igitur Fusselensis non in anno 1135. ut Sandovallio placuit, cogi poterat; & licet certum tempus nequeat designari, videtur convocatam fuisse non longè ab anno 1105. regnan-

(a) Pag. 161.

te adhuc in Hispania Alfonso VI. qui dies suos clausit anno 1109. non autem Alfonso VII. ut ex Toletana Historia scripsit Sandovallius.

§. II.

De Concilio Palentino in causa Mauricii Bracarensis.

ANno Dominicæ Incarnationis 1114. Palentiæ facta est synodus, cui præfuit Bernardus Toletanus Archiepiscopus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ legatus; & ad Gallæciæ Episcopos direxit Epistolam, qua iis notum fieri voluit Lucensis Ecclesiæ clerum, & populum Petrum Reginæ Capellanum sibi Pastorem elegisse; sed quia ignorabatur utrum electio fuerit canonica, præcepit ut rem diligentius perquirerent: quod si electionem canonicam invenissent, quia Mauricius Bracarensis quandiu Romanæ Ecclesiæ inobediens, atque rebellis, & ab Episcopali suspensus officio neminem poterat consecrare, aut cum Antistite Compostellano benedicerent, aut ab eo dirigerent consecrandum. Mauricio autem dum in malitia sua perseveraret, nullus Episcopus, nullus provinciæ Bracarensis Abbas, sed nec Clericus, nec laicus obedientiam exhiberet.

Post hæc idemmet Archiepiscopus Toletanus coram venerabili Patrum congressu, monstratis literis Domini Papæ pro excommunicatione Mauricii Bracarensis adversus Apostolicam Sedem rebellis, decreto firmavit, ut Didacus Compostellanus exequeretur, & illum literis suis compellavit: *Bernardus Dei gratia Toletanæ Sedis Archiepiscopus, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ legatus, dilecto in Christo Fratri, & Coepiscopo Domno Didaco Compostellano, supernis civibus feliciter copulari. Magno mentis affectu, multo animi desiderio, vestram, si fieri posset, optarem videre amicitiam, de communi utilitate hujus regni maxime perturbati, vobiscum loquuturus. Sed quoniam tanta est perturbatio, quod mutuo visu præsentialiter fraudamur, jungat charitas, & Epistola, quos separat corporis absentia. Noverit igitur dilectio vestra, Mauricium Bracarensem,*

quoniam de invasione Legionensis Ecclesiæ satisfacere noluit, & exinde à nobis ab utroque officio suspensus, Episcopale, & Sacerdotale officium imprudenter celebrare præsumpsit, subjectas à Domino Papa accepisse literas. Et exscribit Paschalis II. Epistolam: *Inter querelas, quæ de te (Mauricio) ad Sedem Apostolicam delatæ sunt, Legionensis Ecclesiæ invasio, & contritio nos gravius contristavit. Super quæ ex nostris literis monitus, & à Vicario nostro Bernardo Toletano ad Concilium evocatus, & venire, & satisfacere contempsisti. Ad hæc pro hujus nequitia, & inobedientia per eum tam à Sacerdotali, quam ab Episcopali officio interdictus, eadem officia celebrare pertinaciter præsumpsisti. Nos igitur, Auctore Deo, tantum nequitiæ, & superbiæ facinus ulciscentes, & eadem tibi officia, & Bracarensis Ecclesiæ obedientiam interdicimus, donec resipiscens obedias, & plenius satisfacias. Datum Laterani 14. Kalendas Maii Indictione 7.* Easdem literas misit Toletanus ad Tarasiam Portugaliæ Reginam.

§. III.
De Concilio Ovetensi Lusitaniæ, ac Hispaniarum Generali.

ERa Hispanica 1153. Anno Christi 1115. Oveti convocata est synodus ex universæ Hispaniæ Episcopis. Præfuit Bernardus Toletanæ Sedis Archiepiscopus, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ legatus; adfuerunt Didacus Jacobensis Archiepiscopus, Pelagius Bracarensis, Hunius Mindoniensis, Didacus Asturiensis, Pelagius Asturicensis, Gondisalvus Colimbriensis, Didacus Legionensis, Petrus Palentinus, Petrus Segobiensis, Bernardus Segontinus, Paschalis Burgensis, Sanctius Abulensis, Munius Salmanticensis, & Bernardus Zamorensis provinciæ Lusitanæ: interfuerunt Alfonsus Rex, Raymundi Consulis, & Urracæ Reginæ filius; Alfonsus Henricus Portugaliæ Infans cum omnibus hominibus nobilibus, & Alfonsus Aragoniæ Rex. Omnes subscripserunt, constituta, & directa jurarunt, confirmarunt, ac stabilierunt

pro se, & posteris suis, ut usque in sæculi finem servarentur. Tria tantum decreta prolata sunt 1. Ut nullus deinceps domitos, vel indomitos pro aliqua causa pignoraret boves, nec auferret alicui extraneo, vel suo servo, vel mandatitio; quod si faceret, esset maledictus, & excommunicatus, & pro scelere perpetrato Judici terræ, & Episcopo 15. annis pœniteret, quinque ex his in exilio, & quinque sicut præciperet ei Episcopus suus; ceteros quinque foris Ecclesiam in terra sua redimeret. 2. Ut nullatenus furtum fieret, nec facientibus esset consensus, & si latro capi posset, pro modo furti judicaretur; & qui pro eo exoraret, ut sic emendaretur, secundum culpæ modum esset anathema. 3. Secundum Canones, ut nullus pro aliqua calumnia à dextris Ecclesiæ infra 70. passus per vim extraheretur, nisi servus naturaliter probatus, aut latro publicus, aut proditor de proditione convictus, aut publicè excommunicatus, aut Monachus, aut Monacha refugæ, aut Ecclesiæ violator, quibus proculdubiò illa nullo modo debet refugium. Qui verò abreptus à diabolo aliquid aliud per vim extraheret ab Ecclesia, ejusque porticibus usque ad 12. passus, in quadrupulum redderet, & secundum Canones ita pœniteret, ut in Monasterio esset Monachus sub regula Beati Benedicti, aut Eremita omnibus diebus vitæ suæ, aut se servum subjiceret servituti Ecclesiæ, quam læsit, aut summam peregrinationem arriperet omnibus diebus vitæ suæ.

Propter hujusmodi Canonem gravium criminum reis facilè persuadebant veteres Patres in pœnitentiam sæculo renuntiare. Multi enim memorantur antiqui viri, qui sanctorum virorum consilio eremum petierunt, cœnobiticam vitam sunt amplexi, ut peccatorum suorum agerent pœnitentiam. Peccatoribus etiam pœnitentiam publicam agere detrectantibus Monachatus professio aliquando consulebatur, sed non imperabatur, cum ad publicam pœnitentiam nemo cogeretur. Summa quoque illa peregrinatio aliud erat genus pœnitentiæ pœnitenti ob crimen impositum, quod mutationem status, & capitis imminutionem non absolutè comple-

ctebatur. Jubebatur enim domo recedere, patriamque, ac parentes deserere, & misere corpus affligens, & macerans in terra aliena, & peregrina vagari, nullibique certas sedes figere. Hoc pœnitentiæ genus nusquam apud Auctores Ecclesiasticos ante septingentesimum annum legitur. Illius meminit Beda Pœnitentialis 7. *Si Clericus homicidium fecerit, & proximum suum occiderit decem annos pœniteat: exul septem pœniteat, si odii meditatio fuit.*

Verum multi iis temporibus, quos inter Rabanus Maurus Pœnitentialis cap. 11. pœnitentium peregrinationem improbarunt; melius iis videbatur, ut in uno loco manentes pœnitentia districta semetipsos castigarent, si fortè à Domini bonitate indulgentiam facinoris sui percipere mererentur. Ast Lusitani Patres, ac Hispaniarum ceteri pœnæ hujus rationem ab exemplis, & præceptis scripturæ derivarunt; cum Dominus ad Cain fratricidam dixisset: maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua, profugus eris super terram. Labente tamen tempore mutata est illa peregrinatio antea indefinita in sanctam, ac religiosam: tantique denique facta est hæc, ut pro integra, longaque pœnitentia haberetur, sic decernente Urbano II. in Concilio Claramontano cap. 2. *Quicumque pro sola devotione non pro honoris, vel pecuniæ adeptione ad liberandam Ecclesiam Dei Jerusalem profectus fuerit, iter illud pro omni pœnitentia ei reputabitur.*

Optimates Lusitani, qui cum Venerabili Alfonso Henrico Concilio huicce interfuerunt, testesque subscripserunt, Pelagius Michaelis, Petrus Pelagii Rubens, Ordonius Martini, Petrus Pelagii, Ordonius Petri, Joannes Petri, Munio Petri, Didacus Petri, Martinus Petri, Petrus Michaelis, Joannes Michaelis.

§. IV.

§. IV.
De Concilio Compostellano Portugaliæ, ac universæ Gallæciæ.

ANno 1115. ineunte, Compostellæ adunati sunt Patres de Ecclesiæ disciplina tractatum. Præfuit Didacus Gelmires Compostellanus Episcopus, interfuere Episcopi Bracarensis Metropolitæ suffraganei Alfonsus Tudensis, Martinus Mindoniensis, Petrus Lucensis, Didacus Auriensis, Hugo Portugalensis, & provinciæ Bracarensis Abbates. Canones 29.ediderunt 1.ne quis Ecclesiæ terminos irrumperet, aut violenter ingrederetur. Siquis verò intra Ecclesiæ terminos quidpiam capere, aut sibi præsigillare exigente justitia vellet, Pontificis Vicarium, aut licentiam sibi dari prius expostularet 2. ut in nobilium domibus, aut ubicumque eorum uxores, aut filii essent inermes, Vicarii, & quicumque alii non pignorarent. In ceterorum quoque domibus id observaretur, nisi homicidii, aut violentæ fœminarum violationis, aut quadragesimalis tributi causa esset 3. ut hæreditatum, & Ecclesiarum causæ nonnisi ab Optimatibus, ac Apostolicæ Sedis Judicibus definirentur. 4. ut pauperes, & imbecilles misericorditer calumnias complerent, ut beneficiis suis penitus non privarentur. 5. ut proditores, ac latrones à nemine protegerentur, aut defenderentur; & eorum protectores damna, & calumnias, quæ ii sustinere meruerant, sustinerent. 6. ut fur postquam tertio esset reus convictus, Principibus terræ, atque justitiæ examinatoribus traderetur: qui secundum justitiam pro meritis ultionem in eum exercerent, sibique dati gladii causam animadverterent.

7. Characteres coram totius Ecclesiæ conventu, sive publico concilio fieri jubentur, aliter facti valere inhibentur. Characteres scilicet, de quibus Canon (apud Ducange notæ quædam erant, sive quædam sortes, quæ characteribus notabantur) si in Ecclesiæ conventu, aut publico fierent concilio permittebantur. 8. iis, qui servilis erant conditionis,

vel qui tributa ſolvebant quadrageſimalia, redditus ſoliti, qui *foſſataria*, & luctuoſa nuncupabantur, relaxarentur, ſi patrum, parentum, vel ſuorum hæreditates incolerent 9. ne in Dominica die ruriculæ ad civitatem irent negotiatum. 10. ut placita, vel cetera hujuſmodi ſcripta ab authenticis Clericis, ſive à Judicibus, vel ab Archidiacono, ſive ab ipſius loci Archipresbytero fierent, ſin autem, caſſa haberentur. 11. ſiquis potentum judicii cauſam tractare adverſus pauperem, vel definire haberet, ſimilem perſonam introduceret, quæ pro ſe cauſam ſuam definiret; ne forte cujuſpiam majeſtate pauperis juſtitia ſuffocaretur. 12. diebus Quadrageſimæ prohibitum erat characteres, calumniarum cauſas definire, judicia exercere, *foſſatoriam* dari, niſi magna expeditionis neceſſitas ingrueret, excepta furti, rauſi, homicidii, quadrageſimalis tributi cauſa. 13. ut Kalendarum die Archipresbyteri, Presbyteri, milites, ruſtici, in Kalendis anteceſſorum more convenirent. Tunc ſiquid querelæ, vel injuriæ oriretur, ab Archipresbytero, ceteriſque diſcretis viris veraciter perquireretur, ac emendaretur: quod ſi definiri nequiret, die ſequenti ſuper illius negotii cauſa vera indagine facta, Pontifici, atque Apoſtolicæ Sedis Primatibus referretur, determinareturque.

14. Ut in uniuſcujuſque hebdomadæ ſexta feria, Pontificalis palatii januis reſeratis, quidquid querelæ, quidquid injuriæ foret, in præſentia Pontificis, Judicum, & Canonicorum intimaretur, ac definiretur. 15. ut in unoquoque ſabbato, excepto Paſchæ, & Pentecoſtes, Presbyteri, milites, ruſtici, cujuſque negotii immunes, lupos exagitantes perſequerentur, & eis præcipitia, quod vulgus *fogios* appellat, præpararent. Quæque etiam Eccleſia ſeptem ferreas cannas perſolveret: ad hoc negotium quiſquis ire diſtuliſſet, ſi eſſet Sacerdos, niſi infirmorum viſitatione detineretur, vel miles quinque ſolidos, ruſticus verò ovem, vel ſolidum perſolveret. En venationes, & ſylvaticas vagationes Sacerdotibus permiſſas, imò præceptas contra Aurelianenſe Concilium, de quo Decretalium liber. 5. tit. 25. 16. ut milites, & qui-

cumque principatu præeminerent, & villicationibus suis eos Vicarios statuerent, qui, siquid contra decretorum justitiam egissent, calumniarum causas unde complerent, haberent, sin autem eorum domini perpetrati damni, & justitiæ calumnias sustinerent. 17. quicumque latronem comprehendisset, eum villico terræ traderet, & quæcumque villicus ab eo abstraxisset, horum tertiam partem haberet; sic & de proditoribus.

18. Quoties quis naturæ jura persolveret, illius hæreditates, ceteraque beneficia usque ad quadraginta dies integra, nullaque inquietatione labefacta, qualiter ille dimisit, consisterent. Finitis autem quadraginta diebus, possessionibus, ceterisque beneficiis sub eodem jure, sub quo qui mortis periculo ceciderat, qualiterve dimiserat, existentibus, siqua jurgia, aut siqua calumniarum schismata super his essent, ab Apostolicæ Sedis Judicibus, ceterisque disertis viris definirentur: ceterum nequis hæredipeta, nequis sycophanta usurpatione accederet, justitiæ argumentis plenius indagaretur. 19. ab hora nona sabbati usque in feriam secundam hora prima, nullus Saio haberet licentiam pignorandi, nisi homicidas, latrones, scilicet violatores virginum per vim, rausatores, & proditores: & si aliquis de extranea patria justitiam postulaverat, infra supradictum tempus justitiam sumeret.

20. Ne Saionum concilium, vel militum conventus in Ecclesia, vel ejus terminis fierent. 21. ne Clerici Clericorum villici efficerentur, aut eorum filiorum nutritores, neque à laica persona dehonestarentur, vel eorum bona caperent. Qui aliter egisset, canonicam institutionem componeret, & excommunicatus à fidelium conventu sequestraretur. 22. bona eorum, qui capiuntur à Mauris usque ad annum plenum intemerata, & integra conservarentur, ut si fortè fortuito captum possent redimere, redimerent; sin autem, completo anno, juxta arbitrium propinquorum eorum bona distribuerentur 23. ut Mercatores *Romarii*, sive Romani, ut advertit Ducange, & peregrini non pignorarentur; & qui aliter egissent, duplarent quæ tulerant, essent excommunicati,

ſolidos ſexaginta perſolverēt Domino illius honoris. 24.ut Clerici foſſatarium non darent. Abbates, & Clerici euntes ad ſynodum, aut votum, aut tertias afferentes non pignorarentur. 25. locus in campo Compoſtellæ in civitate venditionibus deſtinatus eſt.

§. V.
De Concilio Bracarenſi V.

EUgenius III. adverſus Eon hæreticum, qui dicebat ſe eſſe filium Dei, & contra aſſertiones Gilberti Porretani Epiſcopi Pictavienſis Remis Concilium adunare intenderat, Boſonum Luſitaniam miſit, qui hujus provinciæ Epiſcopos convocaret; quapropter Joannes Peculiaris Archiepiſcopus Bracarenſis ex ſuæ provinciæ Præſulibus Bracaræ ſynodum habuit, quæ ex libro Fidei Bracarenſis Eccleſiæ archivi conſtat: *In Era* 1186. *Joannes Bracarenſis Archiepiſcopus habuit colloquium in Bracara cum omnibus Epiſcopis Portugaliæ ſuffraganeis ejuſdem Eccleſiæ, videlicet cum Petro Portugalenſi, & Menendo Lamecenſi, & Odorio Viſenſi, & Joanne Colimbrienſi: & hoc totum fuit factum præſente Domno Boſono Clerico Domini Papæ, qui tunc venerat convocare omnes Archiepiſcopos, & Epiſcopos, & Prælatos Eccleſiæ per Hiſpaniam conſtitutos ad Concilium, quod Dominus Papa Remis celebraturus erat; & huic colloquio interfuit quidam Archidiaconus civitatis Olixbonenſis nomine Eldebredus. Quæ civitas tunc fuit liberata de poteſtate Saracenorum, & in poteſtate Chriſtianorum redacta auxilio Dei per Domnum Alfonſum Illuſtrem Regem Portugaliæ per diverſas gentes, quæ illic venerunt per mare in auxilio Dei, & illius, & conſilio præfati Archiepiſcopi, & omnium ſupradictorum Epiſcoporum.* Joannis colloquium fortaſsè de itinere in Gallias eſſet arripiendo, ac de ipſis Eonis, ac Gilberti erroribus proſcribendis; nec aliud ex eorum Patrum conſeſſu poſterorum memoriæ eſt proditum.

§. VI.
Epistola Encyclica Hispaniæ Episcoporum.

HIspaniæ Episcopi juxta Gelasii II. præscriptum ad omnes Orthodoxos literas dederunt suas, quibus omnium deprecabantur clementiam, ut Ecclesiæ Beatæ Virginis de Columna Cæsar-Augustanæ Saracenis jam ereptæ, sed dirutæ, ornamentisque carenti eleemosynas conferrent; & qui præfatæ Ecclesiæ necessariorum solatio destitutæ, atque suæ paupertatis gemitibus condolerent, & unum denarium, vel quot valerent, ad ejus restaurationem mitterent, aut juxta aliorum beneficiorum quantitatem, & operum meritum delictorum suorum consequerentur remissionem. Tanta jam erat hujus Ecclesiæ religio, ut Hispani non tam ad ædem Virginis, quam ad ipsam Virginem proficisci viderentur; (*a*) & in testimonium id Episcoporum constitutum exscripsit Hieronymus Blanca ex pervetusta membranula in Tabulario Cæsaraugustani Archiepiscopi recondita Gothicis antiquis literis pulvere, ac vetustate corrosis exarata, sed quæ legi potuerunt.

(a) *In Aragonensium rerum Commentar.*

§. VII.
De Concilio Vallisoletano.

ANno Domini 1140. Alfonsi VII. Hispaniarum hortatu Petrus Compostellanus Archiepiscopus, Joannes Bracarensis Archiepiscopus, Petrus Palentinus Episcopus, Bernardus Zamorensis, & Martinus Auriensis, Præside Guidone Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali, ac legato, Vallisoleti convenerunt. Cum inter Imperatorem Alfonsum, & Portugaliæ Regem Alfonsum Henricum non levia bellorum præludia excitata fuissent, Guido statuit utrumque invicem conciliare; eos ad mutuum colloquium coram Episcopis invitavit, & ita est factum; convenerunt namque in uno tentorio Imperator, & Portugaliæ Rex, osculati sunt invicem, locuti sunt secretius, ac sic remeavit unusquisque in propria.

Id quidem erat circa quod deliberandum, atque omnibus modis tentandum; in eum quippè finem potissimùm Roma missus fuerat. Hujus Concilii vestigia inveniuntur apud Sandovallium; nec non in privilegio ejusdem Imperatoris Alfonsi concesso in gratiam Monasterii Vallis-paradisi inter Zamoram, & Salmanticam, quod Iepius edidit in Appendice tomi 4.

§. VIII.
De Concilio Lusitaniæ.

CONcilium istud Lusitaniæ dictum ex Schedis Argotianis publici juris fecit clarissimus vir, ac Academiæ nostræ meritissimus Socius Domnus Thomas Caetanus Bemius Clericus Regularis; quod nullus antea Auctor invenerat. Habitum fuisse ait Præside Domino Deus-dedit Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbytero Cardinali, & Apostolicæ Sedis per Hispanias legato; in eoque coram Lusitaniæ Episcopis fuisse definitam contentionem circa limites Ecclesiasticos ortam inter Domnum Bernardum Toletanum Archiepiscopum, & Domnum Leonem Episcopum Asturicensem; absque temporis supputatione, attamen circiter ad annum Christi 1130. Verum ipsa assignata temporis supputatio Bernardi temporibus est aliena; quippèqui anno 1130. in humanis non agebat, sed, ut supra dictum est, Raymundus Toletanæ Ecclesiæ Archiepiscopus præerat: nec Deus-dedit Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Hispaniis erat: utpotè qui à Gregorio VII. Cardinalis Diaconus creatus ipsius in Hispaniis legatione functus est, ex Ciaconio in Gregorii vita; & in Ecclesiæ annalibus ejus memoria Victoris III. tempora non egreditur; cui Pontifici anno 1087. commentarium nuncupavit suis temporibus peropportunum pro Ecclesia Catholica contra Schismaticos, ad quem præfixa operi data extat Epistola nuncupatoria hoc titulo: *Beatissimo, atque Apostolico viro Pontifici Domno Papæ Victori III. & clero S. Romanæ Ecclesiæ Deus-dedit Exiguus Presbyter tituli Apost. in Eudoxia.*

§. IX.
De Synodo Colimbriensi.

Concilium istud anno 1144. ex libro Sancto Monasterii S. Crucis archivi exscripsi iisdem verbis, quibus ab Auctore coævo scriptum est: *Cum Episcopus Bernardus Colimbriensis infamaretur publicè Ecclesiastica vendere beneficia Canonici Regulares Sanctæ Crucis subterfugiebant ab eo consecrari. Unde semel, & bis vocarunt Archiepiscopum Bracarensem Domnum Joannem Peculiarem, & in Ecclesia S. Crucis ab ipso ordinati sunt Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi. Qua de causa Bernardus prohibuit, ne fideles, quos poterat, nobis sua impenderent beneficia, vel in Ecclesiasticis si fortè possiderent, vel in sæculari jure. Unde & quasdam nostras diu retinuit Ecclesias, donec Rex Alfonsus Henricus eum ab insania precibus ratione suffultis vix compescere potuit: & si parum quievit ex toto extingui non potuit: nam & eleemosynas disturbando, & sepulturas prohibendo, & nomen religionis blasphemando aliquando aperte, si facultas dabatur, vel latenter indies impedire moliebatur. Quod nos facere non posse cernentes Apostolicæ dignitati nostro Patrono literis notificare curavimus, & nostram querimoniam, & totius Ecclesiæ dispendium: quod & fecissemus, nisi Guido Cardinalis Romanus in provincia futurus denuntiaretur. Itaque ab incepto cessavimus quæ de Episcopo volentes ei ore nostro injurias nostras, & ea, quæ de Episcopo protestabantur, pro certo exponere. Episcopus, ut rerum exitus probavit, à Rege obtinuit accusationē hanc reticere nos promittentes per manum ejus omnia emendare; & de proprio etiam multa superaddere. Tamen Cardinali in Ecclesia S. Joannis* de Almedina *cum Episcopo cōmanente, Prior Sedis Joannes Anaia, qui postea ejusdem Sedis Episcopus extitit cum Martino Archidiacono, Menendo Magistro, & aliis quatuor, vel tribus nescio, si Episcopo jubente, hoc machinabantur.*

Quia dum præsentes affuimus, & interrogaremur ab ipso, tacebatur; ausi sunt quatuor nos pulsare quæstionibus injuriosis. Videlicet quia decimas eorum recipiebamus, & de capella nostra tertiam partem eis persolvere deberemus, & quod corpora parochianorum eorum non solùm susciperemus, verum violenter de manibus eorum raperemus, & quod ordinationes contra jus, & fas, Episcopo in Sede residente, convocato extraneo, in Ecclesia nostra faceremus.

Ad quæ & si imperiti sermone, tamen veritate suffulti benigne respondimus decimas aliarum Ecclesiarum nec nos debere suscipere, nec suscepimus, quia Regulares Canonici sumus, & omnia nostra secundum ordinem disponere debemus, sicut & disponimus. Si fortè pro eis, quæ sunt de eiras accusamur, non eas pro decimis, sed pro tributo Regis suscipimus: ideo ipse Rex de suo proprio jure, quæ vulgo eiradiga ... & octavam partem vini dimisit contentus sola quarta parte fructus totius illius hæreditatis, quod ore ipsius Regis postea comprobatum est: frustra verò Romanam libertatem promeruimus: si nunc tertiam nostræ capellæ Diœcesano Episcopo persolvimus. In his duabus ita auctoritate Cardinalis rationabiliter solutis, rogabamus à Cardinali, & à prædictis quæstionariis fateri verum super ordinationibus injuste peractis. Ad quod & si diu pro veritate rei hæsitantes, compulsi sumus fateri à Rege prohibitos fore super hac quæstione respondere, nec illius præceptum præterire nos posse. Ad quod ipse:.. quod tamen quandiu à Romana Sede videtur sustentari, à vobis non debet reprobari.

In quarta verò sepulturæ quæstione superaddiderunt dicentes; quia justum est, nec omnino potest refelli, ut unusquisque quo disposuerit, sepulturæ locum obtineat, quartam, vel tertiam nobis primum exolvat, & sic libere quo voluerit eat. Tunc Cardinalis vir prudens, & moribus doctus, est ne, inquit, *tertia, vel quarta nomine alicujus oblationis? Illi responderunt: Non: sed tertiam, vel quartam partem totius possibilitatis exigimus, quam nisi reddiderint*

rit, excommunicatus tandiu sepultura carebit: donec, quod postulamus parentes ejus exolvant, etiam inviti. Ad quod ipse turbido vultu, & quasi admirãs ait. Etiam ego Clericus sum, & vellem medietatem totius possibilitatatis mortui; sed non est catholicum, nec Sancti Patres in sanctis Canonibus sanxerunt, ut mortuus ligetur, & excommunicetur: cum omni modo debeat absolvi, & reconciliari; cum pro anima mortui aliquid dare Ecclesiæ non coactum debitum, seu voluntarium votum. Cesset ab Ecclesia Dei omodo hæc profana consuetudo, cum omnino his verbis prohibeatur à Beatissimo Papa Gregorio. Peti, aut aliquid exigi omnino prohibemus, ne quod valde irreligiosum est, aut venale, quod absit, dicatur Ecclesià, aut vos de humanis videamini mortibus gratulari: sed ex eorum cadaveribus studeatis quærere quolibet modo compendium. Ideoque & ego nunc judico, ut mortuus, quo voluerit sepeliri, sepeliatur, nec probibeatur ab aliquo, & nec ab eo aliud exigatur, quam quod hilari promiserit voto. Sed tamen admoneatur à proprio Magistro suæ animæ, ut aliquod beneficium suæ mandet Ecclesiæ, quia justum est, ut sicut socia fuit passionis, sit & particeps consolationis juxta Apostolum.

His ita digestis consideravimus fore congruum renovare privilegium, & addere, quod videbatur necessarium. Itaque consilio ejusdem Cardinalis misimus cum Archiepiscopo Joanne, qui tunc tendebat Romam Petrum Salomonidem Canonicum nostrum Regularem cum literis nostris, & Regis; quod firmavit postea Lucius II. literis suis ad Dominum Theotonium Priorem, & fratres Ecclesiæ Sanctæ Crucis 12. Kalendas Martii Indictione 7. Incarnationis Dominicæ anno 1144. & Pontificatus anno 1.

§. X.
De Concilio Burgensi.

ANno 1193. apud Burgos Præside Gregorio S. Angeli Diacono Cardinali Apostolicæ Sedis legato Martinus Roderici Portugalensis Episcopus, Canonici Regulares Ecclesiolæ per Procuratores, Beno Vir Palatinus, ceterique religiosi viri convenere dissidium inter Ecclesiolæ Canonicos, & Portugalensem Antistitem circa Diœcesis limites compossituri. Litem tamen judicio suo amovit Cardinalis: *Gregorius Dei gratia Sancti Angeli Diaconus Cardinalis Apostolicæ Sedis legatus dilectis in Christo filiis Prioribus, & fratribus Ecclesiolæ salutem, & benedictionem. Cum dilectus noster Magister scholarum Portugalensis, & ejusdem Ecclesiæ Procurator, & Paulus Gudinus Ecclesiolæ Canonicus, & Procurator in nostra præsentia constituti suas querelas proponerent, visis privilegiis Monasterii, & auditis alterius partium allegationibus, quoniam ex tenore privilegiorum constitit, quod ipsum Monasterium, & Ecclesiæ S. Martini de Drangocelhe, S. Salvatoris de Petrosino, S. Mametis de Sersedo cum omnibus hæredibus, sive sint viri mulierum, quæ non sunt hæredes, sive sint uxores virorum, qui non sunt hæredes, redditibus, & Parochianis, & pertinentiis earum Ecclesiarum sunt exemptæ. Nos sicut in privilegiis Summorum Pontificum continetur, robur, & firmitatem perpetuam volumus obtinere. Ita quod jam in supra dictis omnibus Episcopus, vel Ecclesia Portugalensis nullam habeat jurisdictionem, sive excommunicandi, sive interdicendi, vel aliquod de re debitum exigendi, de reditibus autem ipsius Monasterii, & jam dictarum Ecclesiarum extra Parochias earundem constitutis sancimus, ut prius decimæ de omnibus laborum rusticorum absque ulla dominatione persolvantur Ecclesiis, à quibus Divina percipiuntur Sacramenta, & de residuo redditus debiti Monasterio, & eisdem Ecclesiis persolvan-*

tur: illi verò, qui non sunt hæredes, seu Parochiani ipsius Monasterii, & prædictarum Ecclesiarum Episcopo, & Ecclesiæ Portugalensi subjaceant, scilicet quicumque in ipso Monasterio, & prænominatis Ecclesiis, se deliberaverint sepeliri, consuetudinem aliarum Ecclesiarum exemptarum in regno Portugalensi sequi decernimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, & confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire, siqua igitur Ecclesiastica, sæcularisve persona hoc attentare præsumpserit secundo, tertiove commonita, nisi se congrua satisfactione correxerit, excommunicationi auctoritate, qua fungimur, decernimus subjacere. Datum Burgis mense Februario anno Domini 1193. *præsente Martino ipsius civitatis Episcopo, & Benone Palatino, & aliis viris prudentibus, & Religiosis.*

CAP. IV.

De Lusitaniæ Regibus.

§. I.
De Venerabili Rege Alfonso Henrico.

QUo debito Lusitana Ecclesia Venerabili Regi Alfonso Henrico obstricta sit; tot ipsius è Mauris testantur triumphi, quibus late, longèque diffusa est. In lucem prodiit crucis hostes penitus in Lusitania extincturus, novumque imperium cruci erecturus. Quo anno sæculi duodecimi Henrico Comiti ex Tarasia Regina ortus est Dominus Domnus Alfonsus Henricus Lusitanæ Monarchiæ Auctor, & parens non una est aut monumentorum, aut Auctorum sententia: vetera monumenta dissentiunt, veteresque scriptores eorundem varietate enixi diversa, & multa sunt opinati. Ast si in rebus Historicis coævorum auctorum testimonium rem omnem dirimere judicatur; anno circiter 1107. Vene-

rabilem Regem Alfonsum primam hausisse lucem credendum est. Indiculum fundationis Monasterii Canonicorum Regularium Sancti Vincentii Olyssiponensis ab iis, qui ab ipsius Regis tempore erant, ipsique adhærebant, ita incipit: *Anno ab Incarnatione* 1147. *Christianissimus Portugaliæ Rex Alfonsus Comitis Henrici , & Reginæ Tarasiæ filius inimicorum Crucis Christi mirificus extirpator, ac voluntarius, decimo octavo regni sui anno, ætatis autem quadragesimo collegit exercitum suum, ut annis singulis solitus est, adversus Saracenos , applicuitque ad Ulixbonam.* Si ab anno 1147. extrahantur ætatis quadraginta, nativitatis annus incidat necesse est in annum 1107. Id Auctoris coævi testimonium cur non præferam posterioribus, licet etiam venerandæ antiquitatis? eidem fere non dissentit Anonymus vitæ S. P. Theotonii Auctor, qui ait Theotonium ultimum clausisse diem anno Domini 1162. & à Regis Alfonsi baptismo 56. *Anno memorati Regis Alfonsi primi Portugalensis, sub quo Christi vestem suscepit* 56. qui si auferantur ex 1162. superest 1106. Alia prætermitto, quæ clarissimus Vir Fr. Antonius Brandaõ exscripsit, aut dissolvit.

Patriam habuit Vimaranum, & à S. Giraldo Bracarensi Archiepiscopo est baptisatus; inde puer ad Lamecum traductus, ac instructus sub tutela Illustrissimi Viri Egæ Monis, cui Alfonsum parentes commiserant. Cum oblæsis cruribus, distortisque in lucem prodiret, ita ut de ejus vita, ac ad bella virtute actum ab omnibus existimaretur: ejus pædagogus Egas tam multis supplicationibus cumulavit ædem Beatæ Virginis Matris ad Carquere, ut tandem exoraret, & alumno suo sanitatem , regnoque universo lætitiam singularem exequeretur. Mortuo Henrico Comite, cum regno non esset maturus, Tarasia ejusdem Mater regni summa potita est. Inter plurima Reginæ Tarasiæ id temporis regnum moderantis extat donationis scriptum Ermesindæ Onoriques in gratiam Monasterii de *Pedrozo* Ordinis Benedictini: *Regnante Regina nostra Tarasia Portugalensi , & Antistite Gondisalvo Episcopo Colimbriensi, facta series testamenti*

notum die erit 5. *Kalendas Januarii Era* 1152. En aliud monumentum de eadem Tarasia oppidorum, aut urbium præfectos de suprema Regia potestate instituente præsertim erga Saurium anno 1125. *Placuit divinæ voluntati per eximiam Reginam Tarasiam præficientem eidem castello Gonsalvum Gonsalvis pro principe manu teneri.* Ad annum usque 1127. regni summa ita erat Tarasiæ, ut filius Alfonsus cuncta, quæ Mater gerebat, firmaret, nec dissentiret; ut constat ex propemodum infinitis monumentis, quæ in S. Crucis Colimbriensis, & aliarum Lusitaniæ Ecclesiarum archivis asservantur.

Anno 1125. ex Historia Gothorum Domnus Alfonsus apud Sedem Zamorensem ab altari Sancti Salvatoris ipse sibi manu propria sumpsit militaria arma, & in eodem altari indutus, ac accinctus est Eques de Regum more in die Pentecostes. Anno 1128. Portugaliæ regimen suscepit, & inter ipsum ac Tarasiam Matrem ortum est dissidium causa Comitis Ferdinandi Pires ab intimis Reginæ consiliis; quod Lusitanam Ecclesiam turbavit; Alfonsus in castello de *Lankozo* Matrem obsedit, & Alfonsum Castellæ Regem cum exercitu Portugaliam ingressum Tarasiæ opem daturum vicit, & ex monumento archivi Monasterii de Arouca *ab omni pressura alienus, & Colimbriensium, ac totius urbium Portugaliæ securus dominus effectus est.* (a) Nec in Matrem eæ fuerunt sævitiæ, quas aliqui exscripserunt Auctores; & nullo monumento enititur è Roma in Lusitaniam Cardinalis adventus, qui excommunicationis sententiam ferret in Regem; ut in Alfonsino chronico scripsit Eduardus Galvanus. Alfonso quidem Rege, Portugaliā venit Hyacintus Cardinalis Apostolicæ Sedis legatus, & cum ab Episcopali officio Colimbriensem Episcopum cum aliis suspendere conaretur, Inclytus Princeps renuit, & jussit, ut è regni suis limitibus quantocius abscederet. Id à Rogerico Hovedem scriptore Anglo in Historia Henrici II. expositum fortasse fabulæ alii dedit originem.

(a) *In lib. Donation.*

Anno 1131. Albucazan Badiosæ Rex Lusitaniam cum exercitu veniens Beirensem provinciam invasit, & Trancosum

eſt populatus: Alfonſus verò, Barbari Regis geſtis auditis, ex monumento archivi Monaſterii de Tarouca: (*a*) *Venit cum ſuis cohortibus Lamecum, & tranſibat juxta Baroſam, & recordatus eſt fratrum, qui erant in illis locis, & ivit cum bonis hominibus videre locum de ſua vivenda, & cum inveniſſet eos pauperes, viventes in tuguribus, compaſſus eſt de illis, & rogavit ut mitterent cum eo Fratrem Aldebertum, ut oraret Domino pro ſuo hoſte, & miſerunt eum, & unam crucem, & unum calicem, ut celebraret, quia tunc Sacerdos erat, & dum bellum committeret, & ipſe oraret, Rex vicit Mauros, & tulit Trancoſum, ſed in bello amiſit crucem, quam tulerat de Monaſterio, & conſecutus eſt per ſuam orationem alia multa bona, & ut ſatisfaceret illi, & ſuis fratribus, & Domino Deo promiſit ædificare Monaſterium, & dum rediret, vicit iterum per Dei adjutorium, & bonis orationibus Aldeberti magnam multitudinem Saracenorum, quapropter venit in hunc locum, & aſtantibus fratribus, & Joanne Cirita, & aliis multis cum Epiſcopis Bracarenſi, Lamecenſi* (Colimbrienſi ſcilicet, qui etiam tunc erat Lamecenſis) *ipſe primum lapidem jecit, acclamantibus militibus, & cohortibus ſuis, & dedit Abbati Joanni Ciritæ cautum.* En initium, ac fundationem Monaſterii S. Joannis de Tarouca Ordinis Ciſtercienſis, cujus Eccleſia perfecta eſt Era 1192. anno Domini 1154. ex lapide inſcripto ſupra ipſius januam: *Fundata fuit iſta Era M.C.LXII.* De cujus fundatione, & erga ipſum Regis munificentia infra.

(a) *Apud Br. in las tom. 3. Monarch. Luſit. cap. 21.*

Era 1170. anno Chriſti 1132. regni ſui quarto cœpit Alfonſus ædificare fluminis Mondæ pontem juxta civitatem, & ſuis ſumptibus extruere S. Crucis Monaſterium, quod Archidiaconus Tello inceperat. Era 1173. ſui regni anno ſeptimo propter Mauros Colimbriæ agros ſæpè vaſtantes, & depopulantes, inter Colimbriam, ac Scalabim Leirenæ caſtellum condidit in regni munitionem, ac hoſtium detrimentum; habitatores ibidem collocavit, quibus præfecit ſtrenuiſſimum militem Pelagium Guterris, cujus virtus Saracenorum impe-

tentium audaciam infirmavit. Ut erga S. Crucis Canonicos ſuam munificentiſſimam beneficentiam oſtenderet, eiſdem Leirenam attribuit, & ad Adrianum IV. Romanum Pontificem has literas miſit in ſuæ benevolentiæ teſtimonium: *Domno Adriano Summo Pontifici ſuo venerabili Patri Alfonſus Portugaliæ Rex, quidquid patri filius, & quidquid poteſt in utroque ſæculo optari melius. Non ignoret ſublimitas veſtra, Pater Sancte, me militem veſtrum, & devotum filium eſſe velle, ſicut fui Apoſtolorum, qui fuerunt ante vos, & nimium veſtra benedictione velle perfrui.. Ideo quod attentius commendo me ſanctitati ſcilicet, & Majeſtati veſtræ per omnia. Nunc autem notifico ſanctitati veſtræ Monaſterium Sanctæ Crucis, quod eſt in ſuburbio Colimbriæ temporibus meis, & à meipſo (gratias Deo) eſſe fundatum, & ſecundum regulam B. Auguſtini inſtitutum, quod quantum ego diligo, vobis exprimere nullo modo valeo. Utpotè ubi corpus meum ſepeliri jubeo, & etiam ſuffragium per beneficium orationum animæ meæ Deo donante ſpecialius evenire ſpero. Rogo itaque ſanctitatem veſtram, & attentius exoro, ut præfatum Monaſterium, quod jam antea anteceſſores veſtri ſub tutela, & defenſione Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſuſceperunt, vos quoque tanquam proprium manu teneatis, defendatis, & privilegio, quod ei utile cognoveritis, contra impugnantium calumnias, pro amore Dei, & noſtro bene, & firmiter veniatis, quidquid ego, vel alii fideles ibi devote obtulimus, ſcripto veſtro confirmetis. Obtuli namque ego ei inter cetera totum Eccleſiaſticum cujuſdam caſtri, quod vocatur Leirena, quod caſtrum credatis re vera me à fundamento in terra deſerta conſtruxiſſe, & contra Saracenos, qui prope erant, armaſſe; per illud enim mihi dedit Deus Sanctarenam, & totam terram ejus per circuitum. Obtuli idcirco totum Eccleſiaſticum ipſius caſtri liberum præfato Monaſterio Sanctæ Crucis per ſuos terminos antiquos cum omnibus, quæ in præſentiarum poſſidet, vel in futurum, auxiliante Deo, poſſidere poterit, quia ita prius noveram, & poſtea, Deo annuente,*

votum exolvi. Ita ſcilicet ut nullus Epiſcoporum, ſeu aliquis hominum habeat ullam poteſtatem ſuper illud Eccleſiaſticum, niſi tantum Monaſterium Sanctæ Crucis. Valeat amor veſtræ Paternitatis, & petitionem meam rogo exaudire dignetur. Quibus Regis poſtulatis annuit Adrianus anno 1157. literis apud Sutrium datis 18. Kalendas Julii, quæ in S. Crucis archivo aſſervantur.

Anno 1139. Alfonſus ditionem longè diffuſurus apud Colimbriam exercitum compoſuit, unde cum undecim millibus hominum Tagum trajecit; in Tranſtagana provincia plurima bella geſſit, oppida, & urbes multas expugnavit, ac Saracenorum potentiam uſque ad Orichium agrum fregit. Quapropter commotus Iſmarius, magnæ partis Africæ, ac Bæticæ Rex, quatuor alios Reges in auxilium invitavit, & ex Africa, ac cetera ulteriore Hiſpania eas adunavit copias, ut millia quadringenta exercitus ſuperaret. His confiſus adverſus Alfonſum proficiſcitur; nec ille ſegniter obviam proceſſit. In agro Orichienſi paulo infra Caſtrum viride oppidum non longè à fluviis *Cobris*, & *Tergis* in mutuum conſpectum accedentes, caſtra collocarunt; ſua fixit Alfonſus juxta vetus ſacellum, in quo ſenex quidam eremiticam vitam agebat inter Arabes, & ob paupertatem, & ob vitæ integritatem nullius injuria læſus. Iſmarii exercitus undique agros implebant, jamque agmina circumcluſa ſpe devorabant. Milites noſtri ſanum non eſſe conſilium exiſtimabant cum multitudine propemodum infinita inire certamen. Aſt militum animos oratione ſpei, ac fiduciæ plena Alfonſus adauxit, dimiſſos curare corpora juſſit, & craſtinum diem Jacobo Apoſtolo Hiſpaniarum patrono ſacrum lætos expectare. Vergente jam ſole in oceanum, Eremita ille Alfonſum petiit, ac oraculi denuntiatione forti eſſe animo admonuit, ut qua noctis hora ſacelli tintinabulum audiret, è caſtris exiret, Chriſtum cruci affixum in aere ipſi appariturum. Tam deſiderato, tamque inſperato nuntio lætus Princeps totius noctis pervigilio rem expectabat. Primo diluculo tintinabulum ſonuit, & egreſſus ille Dominum cruci affixum

in

in aere suspexit. Quo viso extra mentem absorptus ita erupit: Ecquid Servator mundi, nunc video, tu ne mihi appares? In Te credo, & summa pietate colo. Infidelibus tuis atque idcirco meis hostibus, qui Te ignorant, apparere potius digneris, ut crucis tuæ mysterium agnoscant, ac erroribus suis desinant insanire.

In hæc & alia cum ex mente quasi abstracta erumperet, in cælum se se recepit divina illa species: & colloquentis Domini, & triumphum policentis voce jucundatus, armis induitur, cingi milites, copias ordinari, signum dari, & ad prælium jam jam parari imperat. Quidam tamen ex optimatibus totius exercitus nomine illum adeunt, & postulant dicentes: Fortissime Imperator, á militibus tuis Te Regem salutari permittas. Quibus ille: Ego fidissimi commilitones, honorificum satis inter vos nomen, titulumque Principis sortitus sum, alium non ambio. Dux vester ero, & totus incumbam, ut vos ducis vestri non pæniteat, concedite vos, quæso, ut milites dux non desiderem. Contra illi, & quæ optas promittimus, & nobis non deerimus, sed pro Rege nostro ardentius præliabimur, honestius triumphabimus, alacrius in bello peribimus. Et quasi recusanti vim inferrent, magnis vocibus, tubarum, lituorum, tympanorumque strepitu ter acclamatum: Alphonso Henrico primo Lusitaniæ Regi vita, & victoria: *Deinde dato militibus signo latum est in hostes.*

Ex adverso innumerabiles Maurorum copiæ tam dissonis, ac terribilibus clamoribus strepebant, ut cœlum ruere, & terram tremoribus concuti existimares. Initum est certamen sanguinolentum, & pertinax à prima diei hora usque ad sextam, donec Ismarius, cujus vita in maximo erat periculo, quamque nostri nimis sitiebant, rebus difisus, & amisso in certamine consobrino, cui suum corpus custodiendum commiserat, nomine Homar Atagor, fugit ipse simul cum aliis Regibus, qui in auxilium venerant. Tantum sanguinis effusum est, ut rivuli in Cobrim, atque Tergem effluerent. Et paucos post dies superveniens pluvia cum terræ superficiem atro sanguine tinctam lavisset, crevissentque rivi, Terges,

qui Cobrim recipit, etiam usque ad Anam aquas infectas pertulit.

Itaque novus Rex Victor in castris triduo permansit, & concessis militibus spoliis, & omni præda, qui eatenus scuto albo utebatur, alia insignia ordinavit, quæ victoriam ibi partam designarunt. Quod Christum in aere crucifixum conspiceret, in argenteo scuto cæruleam crucem formavit; & quia quinque reges vinceret, scuta quinque per ipsam crucem distinxit. In uno etiam triginta numos argenteos posuit, quia totidem mundi Servator venditus esset. A' Regibus tamen posteris numorum figuratio commodiori ratione est immutata, ac in unoquoque scuto singuli quinque numi positi, decussatim ad figuram literæ X bis numeratæ, quæ in medio est, & cum à summo deorsum, & cum à latere ad latus fit supputatio, ut numerus triginta expleatur. Hæc tunc ibi sumpta insignia: quæ omnia diffusiora erunt ex ipsius Regis juramento, quod infra exscribam.

Anno 1140. ex Galliis Portugale appulit classis, qua vehebantur insignes viri, qui Hierosolymas eundi voto tenebantur; audiens Rex eos adiit congratulatum; ac pacem iniit, ut Olyssiponem peterent, illi per mare, ipse vero cum exercitu suo per terram, ut eam obsiderent. Facto fœdere, Olyssponem accesserunt, milite circumcinxerunt, expugnaveruntque, suburbana irruperunt, vineas demoliti sunt, succenderunt domos, sed Olyssiponem ipsam captivare non potuerunt. Difisi vero, quod nec per multum temporis caperent, etsi obsiderent, quia munita nimis, ac populo esset plena, Alfonsus cum exercitu abcessit, & classis in Jerusalem iter properavit. Era 1183. anno Christi 1145. Alfonsus uxorem duxit Domnam Matildam, sive Mahaldam filiam Amedei 2. Comitis Sabaudiæ, Pidemontii, ac Mauriannæ, & Guigonis Comitis Albonensis filiæ. Amedeus enim erat, qui à Syria reversus, quo bis causa belli iverat, mortuus erat in Cypro, ac sepultus in Monasterio Sanctæ Crucis prope Nicosiam. De quo plurima clare gesta enarrantur, & inter alia magna illa victoria, quam de Turcis habuit pro Rhodiensium Equitum

defensione. Ab Imperatore Henrico V. primus Sabaudiæ Comes, & sacri imperii per Italiam Vicarius creatus fuerat.

Anno 1147. & decimo octavo sui regni Alfonsus, collecta paucorum acie, solius Dei auxilio fretus, Scalabim noctu invasit, ac illucente jam die, Saracenorum partem expulit, partem interfecit, ac eam sibi vindicavit. Eodem anno mense Julio Olyssiponem iterum obsedit fixis in circuitu tentoriis. Cujus obsidio sic in Indiculo fundationis Monasterii S. Vincentii describitur ex ejusdem archivo: *Habuit in comitatu suo electam virorum fortium manum, quos illi auxilio in centum, & quadraginta navibus de diversis partibus septemtrionis zelo suo Dominus misit accensos. Hos itaque Rex à parte maris, quod prædictam circumfluit urbem oppugnare constituit: erant enim viri bellatores fortissimi robore, universi loricati, galeati, hastas, scuta portantes, & gladios, intendentes arcum, eruditique ad prælia. Qui Regis jussa libenter suscipientes, mox anchoratis in alto navibus, atque decenti statione dispositis, ad littus prosilierunt intrepidi sua certatim adversus urbem castra metantes. Singuli tamen per generationes, & linguas suas. Porrò castra Teutonicorum, ceterorumque, qui de diversis venerant provinciis, domos occupant suburbiorum, quæ sunt ad plagam urbis Orientalem, & expulsis inde Saracenis, ingressi habitant ibi. Angli verò, & reliqui Britaniæ, Aquitaniæque pòpuli in suburbiis, quæ sunt ad urbis occasum suas constituunt mansiones, fugatis inde paganis. Nam Rex cum Ducibus, & ceteris Baronibus suis à parte septentrionis præstabant obsidionem per colles, & valles, quæ prope sunt fusa multitudine vulgi.*

Factum est igitur, ut à terra, marique pugna vehemens Saracenis daretur inclusis, firmatis contra se undique munitionibus, & instructis machinis. Cumque Franci, erant enim hoc vocabulum commune omnibus, qui de finibus Galliarum aderant, ibi vellent audactius agere, pars eorum conflictu sæpè ruebat in ipso: nam animis accensi, nixique viribus, ac mole corporea (videbantur quippe gigan-

tea membra gestare) propius accedebant ad muros, telorum desuper hostilium pluentibus nimbis, spretaque pro Christo corporis morte vulnera vulnerati usque ad necem non cessabant infligere . . . . nec sinebant ad momentum quiescere. Pagani verò tantam Christianorum constantiam, tantamque cernentes instantiam desperarunt posse amplius resistere, urbemque tradiderunt bellicos ultra non valentes ferre sudores: erant enim jam pene consumpti foris gladio, intus inedia panis, & aquæ. Mense igitur Octobris Ecclesiis Dei Sanctorum Martyrum Crispini, & Crispiniani natalitia celebrantibus, Illustrissimus Rex Alfonsus ope Divina optato potitus triumpho cum omni exercitu captam ingreditur urbem cordibus lætantium laudes Dei resonantibus in excelsis, eique immensas referentibus gratias de victoria sibi cælitus concessa. Postea dispositione civitatis peracta, ordinatisque rebus, domibusque, agris, & vineis victori populo distributis, Rex devotissimus beneficiorum Dei circa se, & misericordiarum ejus non immemor, votum, quod voverat cum adhuc esset in castris, persolvere curavit, atque circa ædificationem Monasteriorum, præsertim S. Vincentii, de quo suo loco, diligentiam adhibuit.

Rebus in Olyssipone ita compositis, ad certamina alia paratus est; militem collegit, Cintriam, Almadam, & Palmelam Castella Maurorum munitissima invasit, cepit, & ad Christianam Fidem reduxit. Id quoque temporis Alfonsus cum sexaginta militibus de Scalabi nullam habentibus armaturam, nisi tantum clipeos, hastas, & gladios sine loricis, & galeis, & ferreis caligis, soli Deo confisus bellum iniit cum quingentis Saracenorum, qui armis, & ferro erant cooperti, & ad prælia doctissimi, & cum aliis quadraginta millibus peditum apud Salaciam; quorum plurimos captivos redegit, alios interfecit, aliis fugam arripientibus. Inde Victor Colimbriam venit, & anno 1152. coram Joanne Archiepiscopo Bracarensi, Episcopo Colimbriensi, Theotonio Priore S. Crucis, & aliis Optimatibus in Cruce ærea, & in Sanctis Evangeliis juravit, quod ultra Tagum in agro Oriquiensi

Dominum JESUM Christum cruci affixum oculis suis viderit, cum ad ineundum prælium cum Ismaele, & aliis quatuor Regibus pararetur : quod & Christus promiserit in eo, ac in semine suo imperium sibi stabilire, ut in exteras gentes sanctum suum nomen deferretur. Juramētum istud ex Alcobatiensi archivo in lucem edidit Fr. Bernardus de Brito: *Ego Alfonsus Portugaliæ Rex filius Illustris Comitis Henrici, nepos magni Regis Alfonsi coram vobis bonis viris Episcopo Bracarensi, & Episcopo Colimbriensi, & Theotonio, reliquisque magnatibus officialibus vassalis regni mei in hac Cruce ærea, & in hoc libro Sanctissimorum Evangeliorum juro cum tactu manuum mearum, quod ego miser peccator vidi hisce oculis indignis verum Dominum nostrum JESUM Christum in Cruce extensum in hac forma. Ego eram cum mea oste in terris ultra Tagum, in agro Auriquio, ut pugnarem cum Ismaele, & aliis quatuor Regibus Maurorum habentibus secum infinita millia, & gens mea timorata propter multitudinem erat fatigata, & multum tristis in tantum ut multi dicerent esse temeritatem inire bellum, & ego tristis de eo, quod audiebam, cœpi mecum cogitare quid agerem, & habebam unum librum in meo papilione, in quo erat scriptum Testamentum antiquum, & Testamentum Jesus Christi. Aperui illum, & legi victoriam Gedeonis, & dixi intra me: Tu scis Domine Jesu Christe; quia pro tuo amore suscepi bellum istud contra tuos inimicos, & in manu tua est dare mihi, & meis fortitudinem, ut vincamus illos blasphemantes tuum nomen, & sic dicens dormii supra librum, & videbam virum senem ad me venientem, dicentemque: Adefonse confide, vinces enim debellabisque reges istos infideles, conteresque potentiam illorum, & Dominus noster ostendet se tibi. Dum hæc video, accedit Joannes Ferdinandus de Souza Vassalus de meo cubiculo, dixitque: surge Domine mi. Adest homo senex, vultque te alloqui. Ingrediatur, dixi, si fidelis est. Ingressus ad me, agnovi esse illum, quem in visione videram, qui dixit mihi, domine, bono animo esto, vinces,*

& non vinceris. Dilectus es Domino, posuit enim super te, & super semen tuum post te oculos misericordiæ suæ usque in sextam decimam generationem, in qua attenuabitur proles; sed in ipsa attenuata ipse respiciet, & videbit: ipse me jubet indicam tibi, quod audieris sequenti nocte tintinabulum remissorii mei, in quo vixi sexaginta sex annis inter infideles servatus favore Altissimi, egrediaris extra castra, solus sine arbitris ostendere tibi pietatem suam multam. Parui, & reverenter in terra positus, & nuntium, & mittentem veneratus sum, & dum in oratione positus sonitum expectarem, secunda noctis vigilia tintinabulum audivi, & ense, & scuto armatus, egressus sum extra castra, vidique subito à parte dextra, Orientem versus, micantem radium, & paulatim splendor crescebat in majus, & dum oculos ad illam partem efficaciter pono, ecce in ipso radio clarius Sole signum Crucis aspicio, & Jesum Christum iu eo Crucifixum, & ex una, & altera parte multitudinem juvenum candidissimorum, quos Sanctos Angelos fuisse credo. Quam visionem dum video, deposito ense, & scuto, relictisque vestibus, & calceamentis pronus in terram me projicio, lacrymisque abunde missis, cœpi rogare pro confortatione vassalorum meorum, dixique nihil turbatus: Quid tu ad me, Domine: credenti enim fidem vis augere. Melius est, ut te videant infideles, & credant, quam ego, qui à fonte baptismatis te Deum verum, Filium Virginis, & Patris Æterni agnovi, & agnosco. Erat autem Crux miræ magnitudinis, & elevata à terra quasi decem cubitos. Dominus suavi vocis sono, quem indignæ aures meæ perceperunt, dixit mihi: non ut tuam fidem augerem hoc modo apparui tibi, sed ut corroborem cor tuum in hoc conflictu, & initia regni tui supra firmam petram stabilirem. Confide Alfonse, non solum hoc certamen vinces, sed omnes alios, in quibus contra inimicos Crucis pugnaveris, gentem tuam invenies alacrem ad bellum, & fortem, petentem ut sub regis nomine in hac pugna ingrediaris,

nec dubites, sed quidquid petierint, libere concede. Ego enim ædificator imperiorum, & regnorum sum: volo enim in te, & in semine tuo imperium mihi stabilire, ut deferatur nomen meum in exteras gentes, & ut agnoscant successores tui datorem regni, insigne tuum ex pretio, quo ego humanum genus emi, & ex eo, quo ego à Judæis emptus sum, compones, & erit mihi regnum sanctificatum, fide purum, & pietate dilectum. Ego ut hæc audivi, humi postratus adoravi dicens: quibus meritis Domine, tantam mihi annuntias pietatem? Quidquid jubes, faciam, & tu in mea prole, quam promittis, oculos benignos pone, gentem Portugalensem salvam custodi, et si contra eos aliquod paraveris malum, verte illud potius in me, & successores meos, & populum, quem tanquam unicum filium diligo, absolve. Annuens Dominus inquit: Non recedet ab eis, neque à te umquam misericordia mea, per illos enim paravi mihi messem multam, & elegi eos in messores meos in terris longinquis. Hæc dicens disparuit, & ego fiducia plenus, & dulcedine redii in castra, & quod taliter fuerit, juro ego Aldefonsus Rex per Sanctissima Jesus Christi Euangelia hisce manibus tecta. Idcirco præcipio successoribus meis in perpetuum futuris, ut scuta quinque in Crucem partita propter Crucem, & quinque vulnera Christi, in insigne ferant, & in unoquoque triginta argenteos, & super serpentem Moysis, ob Christi figuram, & hoc sit memoriale nostrum in generatione nostra, & si quis aliud attentaverit, à Domino sit maledictus, & cum Juda Traditore in infernum maceratus. Facta charta Colimbriæ III. Kalend. Novembris Anno 1152. Ego Aldephonsus Rex Portugaliæ. Joannes Colimb. Episcop Joannes Bracarens. Metropol. Theotonius Prior. Ferdinandus Petri Curiæ Dapif. Petrus Pelt. Curiæ Signifer. Velascus Sancii. Alphonsus Menen. Præf. Ulix. Gundisalvus de Sausa Procur. Imn. Pelagius Menen. Procur. Viscen. Suer. Martin. Procurat. Colimb. Menendus Petri pro Magistro Alberto Regis Cancellario.

Alphonsi juramentum suppositum opinantur quidam 1. quod nemo ante Fr. Bernardum de Brito ediderit, memineritve. 2. Quod politæ phrases impolitis misceantur. 3. Quod anno Incarnationis Dominicæ notetur in fine, cum illius temporis consuetudo esset Cæsaris Era scripta designare. 4. Quod Joannes Colimbriensis Episcopus primo loco subscripserit ante Bracarensem Metropolitam. Quæ tamen ardua non sunt, ut confictum illud existimem. Plurimum quidem debet Lusitania Fr. Bernado de Brito, quo antiquitatum pulverem excussit, & ex latebris eduxit publica, quæ alii omnino ignoraverant. Quas laudes erga eruditos non promeruerunt Sirmondus, Mabillonius, Martene, & alii insignes viri, qui antiquarum rerum monumenta ad sua usque tempora nondum edita publici juris fecerunt. Si politæ phrases impolitis miscentur; id temporis ferrei, ac barbari erat; latinitate in barbariem lapsa. Equidem Cæsaris Era usque ad D. Joannem I. Portugaliæ Regem erat in usu; & solius Joannis I. decreto inter Lusitanos omnino mutata est in Dominicæ nativitatis annum: verum antea à sæculo sexto unus vel alter pietatis ergo vulgari Era sua monumenta notabat. Magister Petrus Alfardus Regis Alphonsi coævus Monasterii S. Crucis Canonicus Regularis opus suum de ejusdem Monanasterii fundatione ita incipit: *Ab Incarnatione Domini anno* 1131. Cæsaris Era prætermissa. Quis umquam Alfardi libellum in Sanctæ Crucis Archivo asservatum suppositum judicavit, quod Cæsaris Eram omitteret, & Dominicæ Incarnationis epocha uteretur? Nec Colimbriensis Episcopi subscriptio ante Bracarensem suppositum reddit juramentum: vel excriptoris vitio tribuendum est, cum in ipsius monumenti initio Bracarensis ante Colimbriensem testis nominetur; vel quod in propria Diœcesi Colimbriensis Antistes præ Metropolita suo signaverit. Nec novum quod Episcopus ante Archiepiscopum firmet; privilegium enim S. Rudesindi Episcopi in gratiam Monasterii S. Salvatoris de Cellanova Herus Bracarensis Archiepiscopus post Dulcidium Neumanciensem Episcopum nomine suo reboravit, & in donationis

nationis ſcripto erga Pelagium Eborenſem Epiſcopum ab Alphonſo Rege Era 1223. menſe Novembris ante obitum ſuum ſubſcripſit primo loco Martinus Colimbrienſis, ſecundo Petrus S. Crucis Prior, & tertio Godinus Bracarenſis Archiepiſcopus. Auctores omni quidem apud Luſitanos exceptione maiores, qui decimo ſexto ſæculo ante Fr. Bernardum de Brito floruerunt, Duardus Galvanus in Regis Alphonſi chronico, Andreas Reſendius de Orichienſi agro, Damianus de Goes in deſcriptione Olyſiponis, & Hieronymus Oſorius Epiſcopus Algarbienſis de rebus Emmanuelis licet juramenti non meminerint, Alſonſo Chriſtum in Cruce apparuiſſe, triumphumque promiſiſſe exſcripſerunt traditione quaſi omnium orali fundati. Traditio igitur veluti erat de juramento, & de re in ipſo contenta, quanvis hactenus ſcriptum non conſtaret.

Anno 1158 invaſit Salaciam, & tandem cepit; jam quidem ſemel & iterum prius eam obſederat. Anno 1162 pridie Kalendas Decembris Ferdinandus Gundiſalvi, & quidam alii plebei milites Pacem Juliam noctu adeunt, oppugnant, & viriliter ad ſuam redigunt poteſtatem. Anno 1166. Ebora capta eſt, & deprædata, & noctu impetita à Giraldo cognomento ſine pavore, & latronibus ſociis ejus, qui Regi Alſonſo tradidit. Giraldus ille cognomento Impavidus natalibus ſuis clarus propter commiſſum ſcelus, quale tamen ignoratur, & Regis aulam relinquere, & chriſtianorum oppidis exire coactus eſt, quo ex Alſonſi manibus effugeret. Tranſtaganam provinciam petiit, quæ tunc ſub Maurorum erat poteſtate, Hiſmaro Regi ſe tradens. Cum Mauris fœdus iniit, & in locis ſylveſtribus acies, opeſque collegit, & à ſuo nomine caſtrum extruxit, ubi cum ſuis morabatur, viris ſcilicet homicidis, proſcriptis, & facinoroſis. Cum Alſonſus jam trans Tagum moveret caſtra, veritus Giraldus, ne in ſe arma direxiſſet; in eam venit ſententiam nihil Deo magis gratum, Regique fore acceptum, nihil denique ad nominis ſui decus utilius, quam ſi Mauris Eborenſem urbem eriperet, aſtu, & fraude potius militari, quam effuſo tot Chriſtianorum ſanguine, qui, ſi expeditio illa aperto certamine fieret, effunderetur. Cum campe-

ſtri in loco, pauloque editiore ſita ſit Ebora, ut nunquam collium obtentu inſidiæ tendi poſſent, niſi ad Benedicti. Arabes ibi turrim condiderunt, qua tanquam è ſpecula aliis ſignum exponerent: hanc primo occupare intendit Giraldus. Certus ille Maurum duntaxat cum filia agere excubias, noctu cum aliquibus militibus inter duos colles ſe occuluit; juſſitque ut reditum ſuum exſpectarent, vel ſi res exigeret, facto ſigno, ſtatim adventarent; ipſe vero impavidus recta ad turrim accedit, ſudes, perticaſque ferens præacutas, quibus, parietum eas foraminibus infigens, ad feneſtram conſcenderet, ſola enim appoſita ſcala illuc aditus erat: ut vigilias falleret, ramis virentibus indutus eſt. Jam propius turrim venerat, ſed non ex adverſo feneſtræ.

Maurus è cuſtodia, & vigilia deceſſerat, & filia dormitans feneſtræ limini incubabat. Occaſione ea lætus Giraldus, depoſitis, quibus erat circumcinctus, arborum ramis, perticis aſcendit, puellam dormientem ſtatim arreptam ex alto præcipitem dedit; turrim ingreſſus Maurum ſtertentem gladio occidit, & ſpeculam cepit. Cum intempeſta nocte ſociis ſignum dare non poſſet, patris, ac filiæ capita abſcidit, & utrumque manibus geſtans accurrit, & animum addens, victoriæ opportunitatem extollebat. Simul omnes turrim petunt, & ante diluculum ignem in ſumma ſpecula accendit, ut oppidi vigilibus ſignum fieret. Continuo vigiles excitati oppidanos ad arma convocant. Egreſſis igitur præpropere, nullo ordine, ac apertis urbis portis, Giraldus eam invaſit; in obſcura nocte tumultu exorto, vigiles, cuſtodeſque portarum hoſtes eſſe non verebantur, donec eventus ipſe monſtravit; vi, ac ferro noſtri impetentes, cæſis primum cuſtodibus, urbem omnem diſcurrerunt, & vindicarunt. Rebus tandem compoſitis, Giraldus gaudio exultans eam militibus diripiendam dedit. Direpta jam urbe, & Mauris omnibus ejectis, ad Alfonſum legatus mittitur: ut civitatem reciperet, ſibi, facinoroſiſque ſociis ignoſceret. Rex legatum benigne accipiens gratiam ſe habere oſtendit. Ad urbem quod adtineret, non eſſe, cujus præſidio potius eam committeret, quam qui eam virtute fue-

rat consequutus. Sic Ebora à Christianis fuit capta ; & victoris Giraldi causa in clypei insignibus urbs præfert equitem cataphractum, equo vectum ; strictum ensem gestantem , duo item capita, viri unum , alterum puellæ.

Christianis Ebora restaurata, Alfonsus castra sua movit in Mauram, Serpam, Alconchel, & Coluchi, omnesque potestati suæ mancipavit. Inde Badiosam oppugnare intendit, sed ipsi incommode contigit ; nam Ferdinandus Rex Legionensis novis copiis instructus eandem urbem cepit. Captæ urbi Abenebelum Maurum præposuit, quod paratus non esset Christianorum novam coloniam deducere, aut militare præsidium stabilire. Alfonsus à primis conatibus non destitit, Badiosam cum exercitu petiit ; sed Ferdinandus, cui tributo erat subjecta, in auxilium cum milite properavit. Lusitanus Rex licet inferiori agmine, Legionensi factus est obviam in certamen, infelici tamen exitu ; nam urbis porta egressus in campum crus alterum fregit, & adeo hinc est debilitatus, ut curru prorsus uteretur, cum equo non posset : & tunc infelicior, quod in prælio à Legionensi Rege captus fuerit : sed pro redemptione ei dedit viginti quinque oppida, quæ ipse super eum adquisierat, & quindecim summarios oneratos auro, & viginti dextratos, & aliis Regi assistentibus, ut citius liberaretur, dedit multa.

Era 1222. anno Domini 1184. Alfonso accidit maxima victoria de Josepho Abenjacob Miramolino, filio Abdelmone, qui Rex Asini à Mauris ipsis dicebatur, quia semper asino vehebatur, & propheta sanctus a populo omni Saracenorum habebatur. Hic cum Mauritaniæ esset Rex, Beticæ, Murciæ, & Valentiæ, potentissime cogitavit de universa recuperanda Hispania, & coegit Hispali copias, *quorum numerus* (inquit Gothorum Historia) *solus Deus numerare poterat, qui pluviæ guttas numerat.* Plurimis Regibus septus Scalabim invasit. Ast Alfonsus tametsi senio gravis, militibus ex omni provincia ad signa vocatis, Scalabim festinavit. Commisso certamine, impar Maurus Lusitano fuit. Rex ipse barbarus, lethali in prælio vulnere inflicto, cum fugæ studio Tagum ea par-

te vorticibus rapidum aquis copiosum tranaret, vortice haustus est. Anno 1185. Lusitani Reges superiori victoria læti, Colimbriam primum, deinde Portum urbem adierunt nuptias celebrandi causa Philippum inter Flandriæ Comitem, & Tarasiam Alphonsi filiam; solemni peracto, Colimbria repetita, Rex morbo, atque ætate gravi confectus, Ecclesiæ Sacramentis munitus è vita excessit die sexta Decembris natus annos septuaginta & octo. Ejus corpus in Sanctæ Crucis Monasterio Colimbriensi, ut ipse testamento mandaverat, humili quidem sepulchro, ac plano sepultum est, hoc veteri inscripto Epitaphio.

Alter Alexander jacet hic, aut Julius alter,
Belliger, invictus, splendidus Orbis honor.
Pacis, & armorum cauto moderamine doctus
Alternare vices tempora tuta dedit.
Quid pietas Christi, vel quantum debeat isti,
Ad fidei cultum regna subacta docent.
Post regni fastus Fidei moderamine pastus,
In miseros inopes accumulavit opes.
Quod crucis hic tutor fuerit, nec non cruce tutus,
Ipsius clypeo crux clypeata docet.
Vivax fama, licet tibi tempora longa reservas,
Digna suis meritis dicere nemo potest.

Anno 1515. die 25. Octobris incorruptum, integrumque inventum Felicissimi Portugaliæ Regis D. Emmanuelis jussu in aliud sepulchrum ex lapide deaurato eleganter constructum juxta aram maximam ejusdem Monasterii translatum est hoc posito Epitaphio:

„ Alphonso Henrico Primo Portugaliæ Regi, re-
„ gio sanguine, religione, & armis clarissimo, qui
„ Imperatore Alphonso Castellæ Rege pro patria,
„ ac viginti potentissimis Maurorum Regibus cum
„ maximis copiis, parva manu, sed Fide, animoque
„ ingenti diversis præliis pro christiani nominis aug-
„ mento justa acie superatis: Olysiponem, Sancta-

„ renam, Eboram, aliaque quatuordecim munitiſſi-
„ ma oppida, & univerſam fere Luſitaniam ab infi-
„ delium manu recuperans Chriſti peculio adjecit.
„ Hoc, & Alcobatiæ, pluraque alia cœnobia extru-
„ xit, ditavitque: nec regno ſolum, poſteriſque in-
„ ſignia Chriſtum, qui ei apparuit, crucifixum re-
„ ferentia, ſed cunctis etiam maximum exemplum
„ reliquit. Cujus virtus ſuis contenta factis cætera
„ exequi non patitur. De Fide, de Patria, de Re-
„ gno, de ſuis benemerenti, Pientiſſimi hæredes hoc
„ ſepulchrum poſuere. Obiit anno Domini 1185.
„ Regni ſui 73. & ætatis 91. ſexta die Decembris.„

Epitaphii auctor regni, & ætatis annos excripſit ſecundum Eduardi Gavalni chronicon, quod Emmanuelis Regis tempore apud omnes erat plurimi; ſed ſecundum, quam ſupra fixi, epocham, obiit Alfonſus anno ætatis ſuæ 78. & regni 57.

Leges plurimas non tam municipales, quam univerſo regno dedit, videlicet municipales Colimbriæ, Sanctarenæ, Abrantes, Pinhel, Marialvæ, & Penellæ: apud Lamecum convocavit Archiepiſcopum Bracarenſem, Epiſcopum Viſenſem, Portuenſem, Colimbrienſem, Lamecenſem, ſuæ Curiæ Optimates, & Procuratores Civitatum Colimbriæ, Vimarani, Lameci, Viſei, Barcellos, Portus Gayæ, Trancoſi, Aquas flaviarum, Caſtri Regis, Bouzelæ, Senæ, Covilhan, Montis maioris, Iſgueiræ, Villæ Regis, interſuerunt etiam Monachi, & Clerici, ac ſedente Rege in ſolio, congregati ſunt omnes in Eccleſia Lamecenſi S. Mariæ de Almacave, comitiaque celeberrima ediderunt, in quibus Alfonſus ab omnibus renuntiatus eſt Rex, & ab Archiepiſcopo Bracarenſi coronatus; licet in Orichienſi agro á militibus jam eſſet inauguratus. Deinde prolatæ ſunt leges de regni ſucceſſione, & aliæ, quæ ad ipſius regni publicam utilitatem adtinerent. De hujuſmodi comitiorum veritate ſcriptores differunt; ſed in iis, utpote quæ Eccleſiaſticam Hiſtoriam nihil concernunt, non immoror.

Inter alia, quæ memoranda Alfonſi tempore extiterunt,

fuit inventio corporis S. Vincentii Martyris, & Levitæ. Postquam ille in Orichiensi agro Ismarium, & quatuor Reges Saracenos cum exercitu fudit, Colimbriam reversus est, cui S. Theotonius gratulabundus occurrit. Qui cum inter captivos christianos quosdam vidisset, Musarabes vocatos, petiit à Rege, ut libertate donarentur. Quos ad se vocatos Rex ipse interrogavit, unde gentium essent, & responderunt se esse Valentinos, & promontorium illud, quod in Algarbii finibus mari prominet, incoluisse. Eorum maiores impetentem Abderamenem metuentes una cum corpore S. Vincentii Martyris illuc aufugisse, ibibem consedisse, domosque ibi ædificasse juxta sacellum, in quo Martyris corpus custodirent; permansisseque donec Maurus quidam intervenandum eò accedens, eorum parentes occidit, & se pueros captivos adduxit. Rem certam se dicere, si domunculæ existerent, aut corvi saltem, qui sacellum illud familiariter frequentarent à tempore, quo Martyr illuc applicuit, unde factum erat, ut Mauri promontorium illud corvorum montem nominarent. His auditis, Rex cupiditate incensus consilium iniit; & cum eò ivisset, frustra reversus est, quod loci facies situ jam esset deformata.

Verum debellatis postea Mauris, devicta Olysipone, Martyris inveniendi amore accensus misit ad promontorium illud Arabibus jam vacuum viros armatos in navi, simulque ex Musarabibus illis seniores: ibi humiliter adorato Deo, domuncularum, ac sacelli, corvorum indicio, denique intervenerunt vestigia, multisque fossionibus aperta terra, & ruderibus expurgatis, ligneum sacri corporis repererunt conditorium sub directa sacelli altaris. Cum inter tollendum semiputre conditorium, ex iis, qui aderant, unus clam parvum os absconderet, lymphatus, ac cæcus cecidit, donec, quod in sinu habuerat, deprompsit. Inde cum corpus navi imponerent, duo corvi, alter in puppi, alter in prora tanquam familiares Divi alumni consederunt, neque inde revolantes in navi sacras Martyris exuvias comitati sunt. Tandem ad Olysiponem juxta templum sanctarum Justæ, & Rufinæ appulit; eò enim usque mare tunc erat, quod paulatim postea propulsum amplificandæ ci-

vitati locum dedit. Noctis silentio, vitandi tumultus causa, ad Beatæ Justæ templum asportatum est corpus. Illucente die increbuit fama, populi multitudo confluit, & Robertus summæ Ecclesiæ Decanus suo, & capituli nomine Munionem Divæ Justæ Rectorem convenit, ac impetravit, ut sacrum corpus ad summum templum, quod Alfonsus Rex ad Dei honorem, & Beatæ Virginis memoriam constituerat, ditaverat, manu propria, ac sumptu fundatum ædificaverat, deferri permitteret; Rex quod factum est, non improbavit, quanvis in animo haberet in Canonicorum Regularium Monasterio S. Martyri à se nuncupato illud collocare, & Canonici ipsi litigarent, & pro suo Monasterio contenderent. Nec quievit ille, sed denuo ad promontorium misit, qui, numquid adhuc superesset, accuratius explorarent. Calvariæ adhuc partem, & aliquot conditorii fragmenta invenerunt. Deinde Olysiponi civitati insignia dedit, navim juxta malum S. Vincentii imaginem gestantem, ac duos corvos alterum in prora, alterum in puppi consistentes: & in promontorio, ubi ejusdem Martyris corpus latuerat, curavit templum nobile ædificari, promontorio nomen immutavit, atque Sancti Vincentii postea evocari fecit.

Inclyti Martyris translationem tot miraculis ornatam, & comprobatam descripsit Magister Stephanus Olysiponensis Sedis Præcentor testis oculatus in antiquo codice manuscripto, quem ex Alcobatiensi archivo in lucem jam edidit Fr. Antonius Brandaõ in tom. 3. Monarchiæ Lusitanæ in fine. Galli homines Sancti Levitæ corpus in Gallias ad oppidum Castrense in Diœcesi Albigensi ad annum circiter 864. à Monacho Audaldo asportatum ferunt ex Aimoino Sancti Germani à Pratis Ordinis Benedictini in suburbio Parisiensi Monacho, qui opusculum scripsit de Inventione, & Translatione corporis S. Vincentii Levitæ, & Martyris è Valentia Hispaniæ civitate ad Monasterium Sancti Benedicti, quod vulgo Castrum dicitur. Audaldi furtum ridet clarissimus Andreas Resendius in Epistola ad Bartholomæum Kebedium, Gallorum nugas explodit, antiquos Portugaliæ annales Gallorum commenta evertentes adhibet; inter quos est Rases Maurus, qui Hispaniarum

omnium desolationem a Saracenis factam describens ait Valentinos Christianos impiorum impetus fugientes Martyris corpus, quem ut Sanctum venerabantur, & nomen erat Vincentius, in Algarbium adduxisse, ibique condidisse. Rasis testimonium excripsit Resendius. Aimoino opponimus Lusitani antiquum codicem Monasterii S.Crucis citatum supra; & Magistrum Stephanum Præcentorem. An tot miracula in translatione patrata veritatem non indicant? an Musarabum illa jam enarrata traditio firmum non erit argumentum.

Certe ex S. Gregorio Turonensi lib. 3. de gloria Martyrum cap. 29. & Auctore, qui gesta Francorum scripsit cap. 26. cum Childebertus, & Clotarius irruptione facta magnam Hispaniarum partem subegissent, & Cæsar-Augustam jam obsiderent, Cæsar-Augustani cives suæ civitatis mœnia cum tunica S. Vincentii Martyris psallendo circumambularunt, & pœnitentium habitu, illam liberarunt. Nam Reges pietate permoti obsidionem solverunt, a civitatis Episcopo ejusdem Sancti stolam obtinuerunt, cujus in honorem Childebertus Parisios redux templum extruxit; in quo pretiosissimas exuvias collocavit. De Martyris corpore in Gallias id temporis translato nullam mentionem fecit Gregorius: postea tantum Aimoinus, quem sequuti sunt alii apud Bollandum ad diem 22. Januarii. Bollandus ipse multas S. Vincentii corporis reliquias in multis, atque variis Galliarum, & Italiæ Ecclesiis veneratione coli ostendit, Lusitanis parum favet, Gallis non displicet. Verum Bollandus ad eandem diem §. 1. de reliquiis S. Vincentii ait: *Multi tum in aliis provinciis, tum in Hispania præsertim, Vincentii Martyres fuere, & inest ipso in nomine omen quoddam felicitatis. Hinc pluribus locis, quæ habentur illius nominis reliquiæ, aliorum vel abolitis, vel ignoratis alicubi actis, celeberrimi illius Cæsaraugustani Archidiaconi existimatæ sunt.*

Cur ergo Galliarum Rege Carolo Calvo, Audaldus Monachus corpus S. Vincentii Agenensis Levitæ & Martyris, natione Galli, qui die nona Junii in Martyrologio Romano commemoratur, ad Castrense oppidum non asportaverit? Uter-

Uterque Vincentius Oſcenſis, & Agenenſis Valerii Cæſarauguſtani Epiſcopi Levitæ fuere, uterque ſub Diocletiano Martyrium paſſi, uterque Valentiæ ſepulti, & reconditi. Agenenſis licet in Galliis paſſus eſſet, Valentiam à Chriſtianis eſt delatus, ubi ſepulchro permanſit ad annum uſque 864, quo ad Caſtrum translatus eſt. Quid mirum in tot civitatibus omnium ſint venerationi tot Vincentii, ſi vere tot ſunt? Decepti igitur Galli Vincentii nomine ſuum venerantur Levitam, quem Oſcenſem putant. Sciendum adhuc eſt anno 864, quo Aimoinus Sancti corporis translationem deſcripſit, non Valentiæ, ſed in Algarbio jam fuiſſe reconditum Oſcenſis Levitæ corpus, ut ſcripſit Raſes. Aimoini Hiſtoriam creditu difficilem reddunt alii, quod Abdalæ Regis Cæſarauguſtani meminerit, qui numquam extitit. Hìc non immorandum puto: ſed alterius Vincentii Levitæ, non Oſcenſis, ſacras exuvias fuiſſe translatas conſentiam. Eminentiſſimus annalium Parens Baronius ad annum 761. n. 28. ait: *Hoc anno cum novis cladibus agitaretur Hiſpania, & Valentia in Tarraconenſi provincia exciſa jam eſſet, Chriſtianique ſacra Vincentii oſſa inde auferentes deportaſſent in extremam Luſitaniæ partem, in locum, qui ex eo poſtea Promontorium Sancti Vincentii eſt appellatum; tunc cæptum eſt ejuſdem Sancti Vincentii nomine Monaſterium perinſigne erigi Oveti.* Videas, quæſo, Baronium Vincentii Martyris Oſcenſis corporis translationi è Valentia in Gallias anno 864. ab Aimoino deſcriptæ adverſantem. Olyſſiponenſis Eccleſia Sancti corporis translati feſtivitatem agit die dicima quinta Septembris proprio officio, hymnis propriis, antiphonis, reſponſoriis, ac lectionibus. Ad Alfonſum veniamus.

Ea erat Alfonſi pietas, ut digna ſit, quæ paucis memoretur. Per ſudores bellicos, & militaria certamina ad regni faſtigium venit, quod quidem S. Bernardi Abbatis opera, & auxilio obtinuiſſe non dubitans, ut devotionem erga ipſum, & Ciſtercienſem ordinem demonſtraret, regnum, & gentem ſuam Beatæ Mariæ de Claravalle tutelæ, & patrocinio commiſit, ſancita ad poſteros ſuos lege, ut ſingulis annis Monaſterio

Claravalensi quinquaginta auri optimi dipondios religiosi caussa obsequii penderent. Sanctorum virorum consuetudine semper usus est, Bernardi scilicet, cujus extant ad eundem litteræ doctrina, & affectione plenæ, Theotonii S. Crucis Prioris, quem sibi elegerat ad confessiones, S. Joannis Ciritæ, & B. Alberti, quos Lusitania id temporis sanctitate conspicuos mirabatur. De Alfonsi confidentia in S. Theotonium, & de cordis teneritudine S. Prioris circa Regem ita testatus est Discipulus Anonymus in vita ejusdem S. Theotonii: *Quantam solicitudinem Vir Dei pro Rege haberet, vel quantum Rex in eo semper confideret in illo miraculo de Sanctarem potest considerari: cum enim Rex civitatem illam novo genere pugnandi aggredi voluisset, furtim videlicet (nam aliis bellicis apparatibus nunquam potuit, propter loci situm) ad virum Dei veniens consilium illi soli detexit, animamque suam, tanquam de hoc mundo exiturus, commendavit: diem etiam, quo hæc facturus cogitabat, sub silentio indicavit: & ut eo die copiose cum fratribus communem orationem faceret, obnixe rogavit, & discessit. Die igitur notato cunctis in capitulo fratribus Prior rem exposuit, & Litanias nudis pedibus, publicas quoque, & privatas deprecationes rogans, fieri mandavit. Prior autem præter magnitudinem precum, quas jugi meditatione Deo obtulit, sic orabat: Domine Deus Omnipotens, qui muros Jericho sine gladio, & arcu subrui fecisti, qui etiam ad precem Josue contra Gabaon solem stare fecisti; tuam deprecamur ineffabilem clementiam, ut Regi nostro, famulo tuo, sub cujus umbra, protegente te, vivimus, victoriam propitius concedere digneris de inimicissima christiani populi civitate; quatenus excluso inde spurcissimo, ac nefando Mahometis ritu, laudetur ibi nomen tuum sacrosanctum, Domine Deus, Amen. Mox igitur postera die, ecce nuntius bonus, de nuntiis Domini bonum portans nuntium affuit, qui urbem esse captam, in ditionemque Regis subactam lætus nuntiavit. Nocte enim sequente prænotati diei, quo hæc facta sunt in Monasterio, Rex urbem mirabiliter media nocte accepit. Ipse vero San-*

ctus Theotonius tam tenere Regem diligebat, ut pro eo magis, quam pro ſemetipſo ſolicitus eſſe videretur. Unde cum aliquando falſus rumor exiſſet, Regem videlicet à mundo exceſſiſſe, dolor cordis eum tã graviter percuſſit in modum ſagittæ toxicatæ, ut deinceps infirmo ſæpe, & debilitato corpore viveret.

Hunc tenerrimum affectum, & preces pro ſe fuſas pius Princeps compenſabat terras a Mauris ereptas Sancto Priori donando, & Sanctæ Crucis Canonicis, quos diligebat, ut fratres, & adhuc in vivis degentes ut ſanctos venerabatur, & cum iiſdem ſuperpelliceo indutus in choro laudes Deo perſolvebat. Non tantum intra Sanctæ Crucis clauſtra, verum & Alcobatiæ, ac Taroucæ Ciſtercienſis Ordinis, ac S. Vincentii Canonicorum Regularium, quæ Monaſteria copioſis ſumptibus extruxerat, pacis, & belli negotiis ad tempus valedicens, & ſe ipſum ſibi reddens, in humiliationibus, & Dei laudibus novus Eccleſiæ David exercebatur, ſpiritualia miſcebat colloquia, virtutes pariter hauriebat, & ingerebat, docebat, & diſcebat, ſicut Ciſtercienſis Ordinis ſcriptores in ſuis annalibus teſtantur. Nec minus Alfonſi pietatem commendant duo militiæ Ordines Avis ſcilicet, & Alæ, quos inſtituit, ut è ſepulchro per eas ſacras militias infideles profligaret: de quibus infra ſingulatim agam. Hæc quidem, & alia, quæ infra ſuis locis dicam, pie geſta erant in cauſa, cur Alcobatienſes Monachi feſtivitatis ornamentis ejus agerent commemorationem: Clariſſimus Vir Fr. Antonius Brandaõ in Alcobatienſi Bibliotheca ſe inveniſſe ait libellum, in quo hujuſmodi antiphona, & oratio ſcriptæ erant.

ANTIPHONA.

INvictiſſime Rex Alphonſe, Pugnator ſtrenue noſtri regni, Defenſor ſanctiſſime, qui mox a puero in fide B. Virginis Matris Dei Dominæ noſtræ ſuſceptus, cujus oraculo, & patrocinio tibiarum ſanitatem cepiſti, ac ibi in maturam ætatem proveniſti, fidei armis, ſpei galea præmunitus, & zelo

charitatis accensus, cum viginti Maurorum Regibus, & Imperatore Miramolino collatis signis, sed parva manu, dimicasti, ac Christum Dominum nostrum cruci affixum nocte intempesta vidisti, & universam Lusitaniam fidei jugo subdidisti, & regni nomen sublimasti: quæsumus, pro nobis apud Deum tuis precibus intercede, ut nos mente puros, regnum nostrum florentissimum esse velit, & ab omni calamitate munire.

℣. Ora pro nobis famulis tuis Invictissime Rex Alfonse,

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

ORATIO.

DEus omnium bonorum largitor melliflue, apud quem summa hominum, regnorumque potestas est, quique Beatissimum Alfonsum Regem ad Lusitaniæ sceptrum evexisti, & in hoc mundo agentem summis beneficiis decorasti: concede, quæsumus, ejusdem meritis nostrum hoc regnum, Reges, ac Principes tranquillitate, & optata pace semper gaudere. Nosque supplices tuos virtutum omnium incrementis, sic ejusdem Regis Alfonsi vitæ instituta sectari, ut gloriæ quoque participes fieri mereamur. Per Dominum, &c.

Piissimus Rex D. Joannes III. ad preces Canonicorum Regularium S. Crucis ab Episcopo Colimbriensi Joanne Soario Venerabilis Regis virtutum processum fieri curavit, ut Sanctorum fastis adscriberetur; & Fidelissimi Regis Josephi I. pietati confidimus, ut apud Sedem Apostolicam Venerabilis sui proavi, Lusitanæ Monarchiæ fundatoris causam prosequatur.

Suffragia Canonicorum Regularium S. Crucis pro Rege Alfonso, & ipsius Regis testamentum erga Monasterium.

EX Domno Petro Alfardo constat Canonicos Regulares in capitulo suo adunatos hæc pro Rege suffragia instituisse. *Operæ pretium est, dilectissimi fratres, admonendo*

nos exhortare, & hortando nosmet commonere, memores beneficiorum civium nostrorum, seu comprovincialium, & maxime Regis nostri superabundantium, ut juxta Apostoli vocem, orationes, postulationes, obsecrationes, gratiarum actiones nostræ innotescant apud Dominum manibus mundis, & puro corde. Justum siquidem est, & acceptabile coram summo Deo, quia debitores in carnalibus nobis se devoverunt, æqua vicissitudine illorum debitores in spiritualibus simus. Quia ergo quotidie, sed tamen duas in anno omnibus speciales celebramus festivitates, primo die post festum omnium Sanctorum, & altero post octavam Epiphaniæ, quod in libro habemus scriptum. Quid ne pro Rege nostro, pro Domino nostro, pro fratre nostro, pro filio nostro imo omnium Patre decernitis specialius agendum, vel scripto posteris mandandum. Igitur Theotonio Sanctæ Crucis Priore cum conventu devote respondentibus dixerunt: Auctoritate Domini nostri Jesus Christi hujus ordinis capitis, & Beati Petri Apostolorum Principis, & istorum fratrum nostrorum, qui in præsentiarum habentur, Domni Joannis Archiepiscopi Bracaræ, & Petri Portugalensis Episcopi decrevimus, & decretum scripto posteris mandamus, quod nunquam post modum ab ullo poterit infringi, ut amodo, & usque in sempiternum quandiu hæc domus, & ejus congregatio extiterit, centum pauperes intus in refectorio ad mensas seniorum pane, vino, & carne, seu piscibus unoquoque anno saturentur pro ejus anima, & cum cifis, & scutellis seniorum eis serviatur. In festis vero principalibus, idest, Natali Domini, Cœna Domini, Pascha, Sancta Cruce, Penthecoste, & Sancti Augustini uni pauperi tantum detur, quantum uni seniorum in refectorio sumendum detur. Cum vero ejus anima in pace pausaverit, festivitas illa centum pauperum in ejus anniversarium quoque anno celebretur, & in refectione unius pauperis per triginta dierum spatium, seu in divinis obsequiis, sicut unicuique nostrorum, nec illos principales suus pauper perdat festivitates: si quidquid substantiarum habemus, ab eo habemus, & ab eo defensatur:

magnum est si hoc munusculum, & in vita, & in morte prò eo agendum statuimus: quibus difficile forte videbitur, quod non putamus, relegant chartas, cautos, & privilegia, & ipsam Ecclesiam Sanctæ Crucis in Balneis ab ipso dono datis Telloni Archidiacono fundatam: sed jam ipse ore proprio proloquatur, & omnia, quæ nobis dedit Canonicis videlicet Sanctæ Crucis, hoc brevi scripto confirmet, & corroboret. Ego Alfonsus Portugalensium Rex Comitis Henrici, & Reginæ Tharasiæ filius, magni quoque Regis Alfonsi nepos pro remedio animæ meæ, & parentum meorum, quod dedi ratum esse volo, & omni posteritati meæ tenendum sub Omnipotentis Dei benedictione, & Beati Petri Apostolorum Principis, & mea vel si aliter, sub anathematis vinculo ligo, extraneis vero in compositione quingentorum solidorum regalibus fiscis, & Canonicis induplum, & quantum fuerit melioratum, quod auferre, vel conturbare præsumpserit constituo. Imprimis dedi Telloni Archidiacono balneas regias pro una, quæ vulgo appellatur sella, in quibus ædificata est Sanctæ Crucis Ecclesia. Hortum meum etiam dedi vobis, quæ appellatur Almunia regia juxta Monasterium vestrum plena populatoribus, ut sit vestra propria, & populatores sint Parochiani vestri, & exsolvant vobis reditus, quos mihi exsolvere debebant, & plantent vineas in Eyras, & dent vobis inde decimam partem totius fructus, pro quo decrevi ab eis nihil aliud accipere, nisi quartam partem vini sui eyradega, jantare, & offretione: dedi adhuc vobis, & cautum Sancti Romani in territorio Senæ cum suis ingressibus, & regressibus, terris cultis, & incultis pascuis, aquis, molendinis, & quantum potueritis abrumpere, ultra flumen Alviæ usque flumen de Ozezar, vel citra de illo, quod non est aprehensum securi, & aratro. Post hæc etiam dedi vobis meas tres vineas, videlicet unam in villa Mendiga, aliam in Assumassa, tertiam in Eyras, & unam azeniam cum suo azude in Mantellas, cum quatuor canariis, decimam vero de Savalles, quam milites Colimbriæ dederunt vobis, & concedo ut vester homo ingrediatur navem li-

here pro vestra parte cum meo homine, & ut a nemine injurietur, cum cauto. Cauto etiam vobis vestram piscatoriam navem in mari, & in flumine Mondeco, ut nullam portionem ex ea detis neque Regi, neque Prætori, neque Judici, neque alicui homini, sed faciatis ex ea quidquid vobis melius visum fuerit. Portam in muro civitatis supra Monasterium vobis facere permisi, & unam turrem, & ut propriam dedi qua facilius a paganis defensetur, & ante ipsam loca ad celaria vestra, vel ad ea, quæ essent usibus Monasterii profutura, construenda. Dedi etiam vobis hæreditatem meam de Alvorge cum sua turri de Ladeya, cum tota mea decimatione totius Ladeyæ, & decimam totius Eyras, & decimam panis azeniarum. Dedi etiam vobis totum Ecclesiasticum illius castri, quod dicitur Leirena, & omnes Ecclesias, quæ in eodem castro, & per suos terminos fuerint fabricandæ. Dedi etiam vobis medietatẽ de Quiceyos cum Aymede, quarum villarum alias medietates comparestis de Pelagio Gotterris, & uxore sua Orraca Rabaldis, & de Pelagio Midis, facio itaque vobis meum testamentum de illis duabus villis integris cum suis terminis, & de Lanos quod est ultra flumen Mondeci, & cauto eas villas vobis integras per suos antiquos terminos. Cum autem accepi uxorem meam Reginam Mahaldam cautavimus omnes homines, qui habitaverint in hæreditatibus Sanctæ Crucis, ut non respondeant ad aliquam calumniam, nisi ad has tantum tres, scilicet ad raussum, ad furtum, & ad homicidium, quando fuerint approbata per legitimos testes, sed si infra cautos vestros hæc tria, & ab hominibus vestris fuerint facta non respondeant alicui nisi vobis ad placitum vestrum, & non eant in appellido, nec infossado, nisi ego ipse Rex advocaverim eos. Dedi etiam vobis illam insulam, quæ vocatur Coeirca, & est in territorio Montis majoris in foce videlicet fluminis Mondeci, sicut concluditur per circuitum aqua præfati fluminis Mondeci. Feci etiam vobis testamentum de una hæreditate apud Sintriam, quæ dicitur Melezas, & de alia quadam hæreditate in termino de Torres in Atamugia. De-

di etiam vobis totam Atheaniam cum sua turre, & alias hæreditates in Germanello, & in Ladeya, exceptis illis terris unde mihi dant decimam partem in ratione. Feci quoque vobis testamentum de illa matha, quæ vocatur Aliazedi, & postea dedi vobis villam de Laurizal. Feci etiam vobis testamentum, & concambiam de castello Sanctæ Eolaliæ, & de Aliada, ut illud totum hæreditario jure habeatis cum omnibus suis directuris, & terminis, & cum omnibus suis pertinentiis, sicut quando ea melius habuisse dignoscitur. Hoc itaque totum facio, & confirmo bona voluntate, & integro animo, ut scilicet, quidquid ibi mei juris erat, vel quidquid ad regiam potestatem pertinebat, ab hac die de meo jure, & de omni regia potestate auferatur, & in vestro dominio traditum sit ævo perenni. Hoc autem facio commotus pietate, & pro labore, quod laboratis die, ac nocte, & maxime, ut pro salute mei corporis, & animæ, meorumque parentum indesinenter ad Deum preces fundatis. Siqua igitur Ecclesiastica, secularis ve persona, sive filius, sive nepos seu propinquus, seu extraneus sciens hujus testamenti paginam, contra eam temere venire, vel in aliquo minuere, seu turbare præsumpserit, secundo, tertiove commonita, si non congrua satisfactione emendaverit, sit maledicta, & à Domino Deo divisa, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat, & quantum damni fecerit quadrupliciter vobis componat. Cunctis autem hoc meum factum inviolatum conservantibus sit pax Domini nostri Jesus Christi, quatenus hic fructum bonæ operationis percipiat, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Amen. Facta charta testamentorum, & donationum mense Decembrio Era 1204. Ego Rex Alphonsus Comitis Henrici, & Reginæ Tharasiæ filius, qui hanc chartam facere jussi coram meis Baronibus, propria manu roboro, & confirmo, & hoc sig✠gnum facio. &c.

Epi-

Epistola I. Regis Alfonsi ad S. Bernardum.

Alfonsus gratia Dei Rex Portugalensium, Bernardo Abbati Claravallensi bonum animum, bonam voluntatem, & memoriam junctæ necessitudinis. Notum est, quod mihi contingit, parum tempus est in meas terras contra Mauros inimicos meos, qui venerunt contra me in tota sua virtute, & totos vici per voluntatem Dei; & de bono judicio vassallorum meorum nomen Regis accepi; quia Deus sic voluit. Querimoniam multam de hoc jam misit Rex Castellæ ad Dominum Papam, & ille per legatum suum voluit me projicere de nomine Regio, vel ad minus facere, quod dem pecho Regi Castellæ: hoc nolunt mei Vassali, qui sua fortitudine meam terram liberaverunt de dominio alieno: & quia melius erat dare tributum Deo, quam hominibus, in manus legati promisi quatuor uncias auri singulis annis Beato Petro Apostolo, tanquam ejus miles. Rex Castellæ contra dicit hoc, & Dominus Papa est in dubio. Peto, ut faciatis ista omnia, quod veniant ad finem bonum, & suscipiat me in militem Divi Petri. Reliqua dicet vobis frater meus Petrus, quem mitto ad hoc

Sancti Bernardi responsum.

Alfonso Illustri Regi Portugalorum, Bernardus Claraevallis vocatus Abbas, si quid potest peccatoris oratio. Literas, & salutes Celsitudinis vestræ suscepimus, gaudentes in eo, qui mandat salutes Jacob. Quid in hoc egerimus, & exitum pro nobis, & nos per exitum, comprobabitis, animi promptitudinem ex injuncta solicitudine, vel saltem ex memorata necessitudine colligetis. Petrus Celsitudinis vestræ frater, & omni gloria dignus à vobis injuncta retulit, & Gallia armis pervagata, in Lotaringia militat, proxime militaturus Domino exercituum. Frater Rolandus filius noster Apostolicæ largitatis

literas defert, ipsum, fratres nostros vobiscum degentes, & meipsum commendatos habeto.

Epistola 2. ejusdem Regis ad S. Bernardum.

Alfonsus Dei gratia Portugalensium Rex, Venerabili Patri Bernardo Abbati Claravallensium. Noveritis quod per Dei misericordiam adquisivimus Sanctarenam, quæ erat civitas munitissima, & jugum super capita nostra, & credimus per bonas orationes vestras, quia nos vobis primum commendavimus, & promisimus, quod faceremus vobis Monasterium vestri ordinis, quod parati sumus, ut faciamus nostris sumptibus. Vos mittite ad nos Monachos, & nos quod diximus, complemus. Reliqua quomodo acciderunt, quæque evenerunt, dicet vobis familiaris noster, quem mittimus, ipsum credite; & nos, Reginam uxorem nostram, & unicum filium, quem nuper habeo Henricum, Deo commendate.

S. Bernardi responsum.

Christianissimo, & Pio Alfonso Regi Portugalorum Bernardus Claræ vallis vocatus Abbas, modicum id, quod est. Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Jesus Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolavit vos in tribulatione vestra, & misit consolationem vobis, & genti vestræ, dum abstulit opprobrium Saracenorum à cervicibus vestris. Ceciderunt muri Jericho, cecidit Babilon magna, destruxit Dominus munitiones inimicorum suorum, & extulit cornu populi sui. Quod etiam antequam fieret, rescivimus, revelante spiritu, qui ubi vult spirat absque auditione vocis. Propter quod animas nostras afflximus, & tam parvitas mea, quam reliqui fratres mei, coram Domino provoluti, decertantibus manibus vestris, robur, & fortitudinem postulamus; & ex eò quod iniquitates nostræ vestram non impedierunt felicitatem,

summe lætati sumus. Rescivimus etiam ingentem pietatem, qua commotus, votum de ædificando cænobio Altissimo devovistis; quapropter mittimus hos filios, quos lacte doctrinæ ab incunabulis religionis Christo nutrivimus, quatenus nos ipsos Celsitudini vestræ commendantes, piam voti intentionem ad debitam executionem perducant, illud condentes Monasterium, in cujus duratione, & integritate, indelebile habitis elogium regni vestri, & in divisione redituum dividetur à nobis corona vestra. Servet vos, & Illustrem Reginam consortem servator cunctorum, & benedicat prolem vestram, ut videatis filios filiorum vestrorum gaudentes in possessionibus vestris.

§. II.
De Rege Sanctio I.

Patri suo Alfonso successit Sanctius anno Domini 1185, ætatis suæ 31, ex maribus solus ille parenti suo remansit nomine Martinus, & cognomine Sanctius: tertia die ab Alphonsi obitu solemni apparatu Colimbriæ renuntiatus est Rex, & in ejusdem civitatis summo templo ab Episcopo Martino coronatus. Ab anno Domini 1181, Era 1219 cum Patre regnavit, quapropter ita inscriptus est lapis ad januam veteris castelli Colimbriensis.

> Era MCCXXXII regnante apud Portugale Rege Sancio incliti Regis Alfonsi, et Reginæ Mahaldæ filio et illustris Comitis Henrici, et nobillissimæ Tarasiæ Reginæ nepote ipso iubente constructa est hæc turris anno regni ipsius, et uxoris eius Reginæ Dulciæ tertio decimo a' captione vero civitatis per Regem Ferdinandum ex Saracenis centesimo tricesimo tunc in prædicta Civitate Episcopo Domno Petro.

In solium jam evectus in Apostolicæ Sedis obsequium ad Urbanum III. hasce literas dedit: *Sanctissimo Patri, ac Do-*

mino, Dei gratia Pontifici Urbano, Sancius eadem Portugaliæ Rex salutem, & cum devotione, & obedientia. Noverit Sanctitas vestra me militem vestrum, & Curiæ Romanæ, devotumque filium esse velle, sicut pater meus vestrorum extitit prædecessorum, vestramque admodum desiderantem benedictionem promoveri, magnitudini vestræ in omnibus reverentiam exhibendo. Ideoque attentius Sanctitati vestræ simul, & Majestati me per omnia commendo, rogando, & cum precum instantia supplicando, ut Monasterium Sanctæ Crucis, quod est apud Colimbriam à Patre meo fundatum, & secundum regulam Sancti Augustini institutum consistit, & dilectos filios nostros fratres ibidem conversantes commendatos habeatis. Et quia pater meus, & mater mea, & fratres mei, nec non & filii in prædicto Monasterio tumulati jacent, & ego ibi cum eis corpus meum sepelire jubeo, iterum, & iterum rogo, & precibus preces cumulando supplico, ut prætaxatum Monasterium sicut & antecessores vestri fecerunt, tanquam patrimonium Petri conservare, & manutenere, & in eo rigore, quo antecessores vestri illud tenuerunt intuitu amoris Dei, & rogatu nostro illud tenere dignetur Sanctitas vestra. Quibus acceptis, Urbanus respondit gratulatus, & benigne petitis omnibus annuens: quæ constant ex Monasterii S. Crucis archivo in libro antiquo à tempore D. Joannis Theotonii ejusdem Monasterii secundi Prioris.

Fortissimum parentem in omnibus sequutus est Sanctius: eo superstite, bellum cum Hispalensi rege commisit prope Hispalis muros, & tanta fuit Saracenorum clades, ut memoriæ sit proditum Bætis fluminis aquas fluxisse sanguinolentas; multa quoque Bæticæ oppida deprædatus est, & cum opimis spoliis Lusitaniam rediit. Anno 1188, & regni Sanctii tertio appulit vi tempestatis in Olysiponem quinquaginta trium navium classis Danorum, Phrisiorum, & Hollandorum, qui sacri belli causa in Syriam navigabant. Sanctius hospitio vere regio eos suscepit; quod in Algarbium paraverat, bellum aperuit, & eorundem auxilio Sylvensem civitatem, imo &

totum Algarbium à Saracenorum jugo liberavit, Crucis vexillum erexit, ac regno suo adjecit. Hinc Portugaliæ, & Algarbii Rex cæpit nominari, ex donatione erga Monasterium Ecclesiolæ anno 1190, quæ in ejusdem archivo custoditur: *Sciant omnes qui hanc chartam legere audierint, quod ego Sanctius Dei gratia Portugaliæ, & Algarbii Rex una cum uxore mea Regina Domna Dulcia, & filiis, ac filiabus meis, facio chartam donationis, & perpetuæ firmitudinis Monasterio Sancti Salvatoris de Ecclesiola, & Priori ejusdem Monasterii Domno Suerio, &c.* Et ex alia erga Monasterium S. Crucis de Castro de Alvor infra etiam citanda: *Sanctius Dei gratia Portugaliæ, Sylvii, & Algarbii Rex una cum uxore mea Regina Domna Dulcia, &c.* Cum classis præfectis convenit, ut ipsis præda, sibi autem cederet civitas. Ibi Ecclesiam Cathedralem erexit, seu innovavit, quæ olim erat apud Ossonobam, ubi nunc oppidum Estoy, aut Estombar. Novum Episcopum nominavit D. Nicolaum Canonicum Regularem, & Civitatis Præfectum D. Rodericum Sanctium ex Lusitaniæ primoribus.

Cum Canonici Regulares S. Crucis, & Monachi Alcobatienses orationibus assiduis precarentur Deum pro felici Algarbiensis expeditionis exitu, Sanctius in sui grati animi signum, & benevolentiam Castrum de Alvor, quod Mauris armis eripuerat Sanctæ Crucis Canonicis donavit Era 1227, ut ex ejusdem Monasterii archivo constat in codice antiquo manuscripto, & Monachis Alcobatiensibus Castrum Abemeneci Era 1229. Victoriosissimi Regis fama adeo volitabat, ut Clemens III. ad ipsum scriberet non tam de triumphis gratulaturus, quam ipsi regnum confirmaturus eisdem fere laudibus, & præconiis, quibus Alexander III. patrem suum Alfonsum extulerat. Diu tamen Algarbii non habuit dominatum. Morbi numquam antea visi id temporis ingruebant, ferventissimis intra viscera ardoribus, quibus homines quasi quadam rabie lacerabantur. Exorta etiam est fames, fruges tam vi tempestatis, quam vermibus corrumpebantur, & lues non minus pecori, quam hominibus nocebat. Agri erant

vastati, multorum possessiones deserebantur; omnes denique domus lugubres.

In tot Lusitaniæ calamitatibus Miramolinus Aben Joseph novas addidit vires, cum multo exercitu Portugaliam invasit; in Algarbio Sylvensem urbem cepit, in Transtagana provincia Salariam, Almadam, Palmelam, & alia oppida, quæ erant in circuitu, subjugavit. Initis vero cum Saracenis induciis in quinquennium, fuit Sanctio domesticum quasi bellum cum Alphonso Legionis Rege, nepote ex sorore, & genero, qui infidelibus auxilium tulerat, & una cum iis Christianorum limites vexabat. Lusitanus Rex Gallæciam ingressus Civitatem Tudensem, Pontem veterem, & Sancti Pelagii oppida in potestatem suam redegit: quæ postea, pactis ultro citroque conventis Portugaliæ Reges Legionensibus restituerunt. Hujus belli causa Cælestinus III. Romanus Pontifex in Sanctii favorem & gratiam literas misit: *Cælestinus Episcopus servus servorum Dei Charissimo in Christo filio Regi Portugaliæ, salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum auctores, & factores iniquitatis secundum statuta canonum par pœna condemnet, & non minor contemptus existat ab his fidem catholicam impugnari, qui nomine christiano censentur, quam eos ritus sequi, & barbariem paganorum, tuis non credimus postulationibus favorem Apostolicum denegandum, qui tibi, & aliis Regem Legionensem impugnantibus, qui Christianos cum Saracenis impugnat, & contra fidem quam professus est, venire in paganorum defensionem præsumit, eandem postulas in remissionem tuorum criminum indulgentiam ab Apostolica Sede concedi, quæ in defensiones Christianitatis in Hispaniarum provincia obviantibus tyrannidi paganorum de Apostolica Sedis fuit benignitate concessa. Nos igitur regiæ fraternitatis precibus annuentes tibi, & omnibus qui memoratum Regem, quandiu in sua obstinatione permanserit, potenter, & viriliter impugnaverint, eandem peccatorum remissionem auctoritate præsentium indulgemus, quam Hierosolymitani itineris assumentibus gravitatem, nos, & præde-*

cessores nostri meminimus indulsisse, auctoritate præsentium statuentes, ut quidquid per se, vel alios ejusdem regi in sua pertinacia consistenti per conflictum, vel aliter ablatum fuerit, auferenti perpetuo jure deserviat, nec ad ipsius Regis dominium aliquando revertatur. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ indulgentiæ infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beati Petri, & Pauli Apostolorum ejus senoverit incursurum. Datum Laterani IV. Idus Aprilis Pontificatus nostri anno septimo.

Mortuo Cælestino III. anno 1198 die octava Januarii ad Apostolicam Sedem eadem die evectus est Innocentius III, & in primo sui Pontificatus anno 8 Kalendas Maii ad Sanctium Regem scripsit Alfonsum Patrem centum bisantios annuatim Romanæ Ecclesiæ constituisse censuales, quos tamen post regium nomen susceptum, nec ille solverat, nec ipse Sanctius solvere curavisset. Cælestinus Papa Magistro Michaeli Romanæ Ecclesiæ, Notario, quem ad Hispaniarum partes destinaverat, dedit in mandatis, ut ad exsolvendum annuum censum inducere procuraret, etsi opus esset auctoritate compellere Apostolica: legato respondit Rex, quod Alphonsus Parens Alexandro III pro annuo censu decem annorum mille aureos mitteret, & cum decem anni non dum essent expleti, centum aureos iterum solvere minime teneretur, licet Prædecessori Pontifici non pro censu, sed ex devotione liberaliter donasset. Hac de causa scripsit Innocentius, & Regem rogavit censum Fratri Rainerio persolveret, alioquin, appellatione remota, compelleret. Eodem anno 5. Kalendas Junii Innocentius ad Rainerium Sedis Apostolicæ legatum epistolam misit, ut Sanctium Portugaliæ, & Alphosum Castellæ Reges, ut pacem adinvincem haberent, & fœderis juramentum observarent, sicut per instrumentum publicum convenerant, induceret, & si opus esset, per excommunicationis, & interdicti sententias, omni appellatione remota, compelleret. Ad Innocentium quippe Ma-

gister Scholarum Bracarensis Ecclesiæ retulerat quosdam viros gloriantes cum malefecerint, & exultantes in rebus pessimis inter eosdem Reges odium seminasse, ad rixas, contentionesque eos inducere nequiter elaborasse. 3. Nonas Decembris ejusdem anni literas alias misit Innocentius ad Sanctium Portugaliæ regnum sub Sancti Petri, & Apostolica protectione suscepturus.

Anno 1211 in morbum incidit Sanctius, quo ingravescente, die 27. Martii ab humanis excessit, & in Monasterio S. Crucis sepultus est. Ex uxore Dulcia Regina Raymundi Berengarii, & Petronillæ Reginæ Aragoniæ filia, Ranimiri autem monachi nepte filios suscepit Alfonsum regni hæredem, Ferdinandum qui duxit uxorem Joannam Flandriæ Comitissam, & filiam Balduini Imperatoris Constantinopolitani; Petrum, qui dissidio cum Rege Alfonso fratre, seu peregrinandi studio in Marochiorum Regis aula aliquandiu egit, & postea in Aragoniam profectus Comes fuit Urgellensis ratione uxoris Aurembiagis; Henricum, qui adolescens obiit; Tarasiam, Mahaldam, & Sanctiam Sanctarum catalogo jam adscriptas, de quibus alibi; & Blancam Guadalaiaræ Dominam, ac Berengariam, quæ cum parentibus Sanctio, & Dulcia in S. Crucis Monasterio sepultæ sunt. Hujus regis pietas maxime emicuit in tot munificentissimis largitionibus erga Ecclesias, & Monasteria: privilegia, ac jura, quæ Alfonsus pater Monasteriis S. Crucis, & Alcobatiæ exhibuerat, rata, firmaque habuit. Militiæ ordini S. Jacobi donavit Salaciam, & Palmellam, Almadam, & Arrudam; Avisiensi vero Apedris, & Alcanede. Egitaniensem Sedem fundavit, civitatemque ordini Militiæ Templi attribuit: *Ego Rex Sanctius una cum filio meo Rege Domno Alphonso, & ceteris filiis, ac filiabus meis facio chartam firmissimi concambii vobis Domno Lupo Fernandi Magistro militiæ Templi, & fratribus vestris de Civitate Egitaniæ, quam vobis damus pro duobus Castellis scilicet Penis Rubeis, & Mugatorio.*

Pro Alfonsi Regni hæredis salute Sanctæ Senorinæ, cujus

cujus patrocino se commiserat, ita gratulatus est Sanctius: *In nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Ego Rex D. Sanctius memor humanæ conditionis, & mortalium casus, peragratis quibusdam partibus regni mei; causa orationis veni ad locum, ubi corpus Beatissimæ Virginis Senorinæ requiescit, in quo preces nostras prout decet Domino Deo fundens ipsam Virginem gemitibus, & suspiriis pulsavi quatenus ipsa à Domino Deo suo precibus suis super salutem, filio meo D. Alfonso Regi impetraret. Qua dicta promisi me erecturum munitionis lapides, quos coutum vocant in circuitu loci Sanctissimæ Virginis, si petita salus orationem sequuta foret; iminebat enim periculum mortis, sed oratione gloriosæ Virginis expulsum est. Igitur considerato termino loci per gyrum pedibus meis ipsa loca perambulavi, & ut competeret vidi petras erigere, jussique per manus D. Gundisalvi Menendi, qui tunc temporis Princeps erat. Primus lapis erectus est, ubi intrat in Basto rivulus ille de Mozes &c.* Hæc ex Bracarensi archivo edidit Fr. Antonius Brandaõ. Quam plurimæ aliæ sunt donationes Sanctii erga alias Ecclesias, & Monasteria, scilicet erga Monasteria de Salzeda, de Burio, de Moreruela ordinis Cisterciensis, erga Sedes Colimbriensem, Portugalensem. ac Lamecensem: quarum meminit jam citatus clarissimus Vir.

Monarch. Lusit. P.4. lib.12. cap. 27.

cap. 31.

Piissimum Sanctii Regis testamentum.

In Dei nomine. Ego Sancius Dei gratia Portugaliæ Rex timens diem mortis meæ, ad salutem animæ meæ, & commodum filiorum meorũ & totius regni mei, condidi testamentũ, quo tam in vita quam post obitum meum, filii, & vassali mei, regnum, & cuncta quæ divina pietas mihi contulit in pace, & tranquilitate permaneant. Imprimis mando ut filius meus Rex Donnus Alfonsus habeat regnum meum cum cellariis, & redditibus meis & 200000 morabitinos, qui sunt in turribus Colimbriæ, & 6000 morabitinos de

Elbora, & panos meos de Vimaranes, & omnia arma mea, & duos annulos, qui fuerunt patris mei, & quinque meliores equos de omnibus quos habuero. Mando etiam ut filius meus Infans Donnus Petrus habeat 40000 *morabitinos quorum Magiter, & Fratres templi tenent* 20000 *in Tomar, & Prior, & Fratres Hospitalis alia* 20000 *in Belver. Infans Donnus Fernandus habeat* 10000 *morabitinos de illis, qui sunt in turribus Colimbriæ, & nepos meus Infans Donnus Fernandus* 10000 *morabitinos, & dedi filiæ meæ Reginæ Donnæ Tarasiæ pro hæreditate montem majorem, & Sgeiram, &* 10000 *morabitinos, &* 250 *marchas argenti de Leirena. Reginæ Donnæ Sanciæ dedi Alenquer pro hæreditate, &* 10000 *morabitinos, &* 250 *marchas argenti de Leirena & omnes alcalas meas, acitaras, & colchias. Et mando ut post mortem meam habeat totam meam Liteiram, & meos annulos, & sortilias, exceptis duobus annulis, quos mando dari filio meo Regi Donno Alfonso, habeat & meas cintas, & meas scarlatas, & penas varias, arrancanes, & lencios. Cetera omnia de meo reposito dentur leprosis Colimbriæ. Reginæ Donnæ Maphaldæ dedi pro hæreditate duo Monasteria Baucas, & Araucam, & hæreditatem de Sena, quæ fuit Matris suæ, &* 10000 *morabitinos, &* 200 *marchas argenti. Reginæ Donnæ Blancæ* 10000 *morabitinos, &* 200 *marchas argenti. Reginæ Donnæ Berengariæ* 10000 *morabitinos, &* 200 *marchas argenti. Infanti Donnæ Dulciæ nepti meæ quam nutrivi in domo mea* 10000 *morabitinos, &* 150 *marchas argenti, quod est in Alcobatia. Infanti Donnæ Sanciæ nepti meæ, quæ est in Castella* 20000 *morabitinos*

Istæ sunt hæreditates quas ego dedi Donnæ Mariæ Pelagii, & filiis meis, quos de illa habeo. Villa Comitis, & Parada, & Pausadela, & Piariam, & dedi D. Egidio Sancii filio meo quem de illa habeo 8000 *morabitinos de illis, qui sunt in Belver. Roderico Sancii* 8000 *morabitinos. Et istæ sunt hæreditates, quas dedi filiis meis, quos habeo de Donna Maria Arias. Villa nova, &*

Colaes, & Sylvares, & dedi Donno Martino Sancii filio meo quem habeo de illa 8000 morabitinos de illis de Belver, & Urraquæ Sancii 7000 morabitinos.

Præterea dedi pro anima mea Abbati Alcump. de arca mea 10000 morabitinos, de quibus faciat unum Gafariam in Colimbria. Dedi etiam ei de illis morabitinis, qui sunt in Alcupatia 10000 morabitinos, de quibus faciat unum Monasterium ordinis Cisterciensis. Monasterio Sanctæ Crucis ubi corpus meum sepeliri jubeo mando 10000, & meam capellam, & copam meam auri, ut faciant ex ea unam crucem, & unum calicem, & 100 marchas argenti, quod est in turribus Colimbriæ, de quo faciant unum frontale ante altare S. Petri, & aliud ante altare S. Augustini. Pro captivis 20000 morabitinos de Alcobatia. Magistro Elboræ, & fratribus 5000 morabitinos. Sedi Ulixbonensi mille morabitinos. Sedi Portugalensi 1000 morabitinos, Sedi Barcarensi 2000 morabitinos. Sedi Tudensi 3000. morabitinos, Monasterio S. Vincentii de Ulixbona 500 morabitinos. S. Georgio 500 morabitinos. Aliis Ecclesiis regni mei 2000 morabitinos. Scilicet unicuique illarum 200 morabitinos. Et si aliquid inde remanserit dividatur per pauperes Ecclesias. Magistro, & Fratribus Templi Hierosolymitani 10000 morabitinos. Magistro, & Fratribus Hospitalis Hierosolymitani 10000 morabitinos. Ponti Colimbriæ 1000 morabitinos. Meæ Albergariæ de Colimbria 1000 morabitinos. Albegariæ de Poiares 200 morabitinos. Albergariæ de Mondeco quæ est inter iinares, & Valellas 100 morabitinos. Albergariæ de Mendiga 100 morabitinos. S. Mariæ de Vimaranes mille morabitinos. S. Mariæ de Santarem 1000 morabitinos, & 50 marchas argenti de Colimbria, de quo faciant frontale. S. Mariæ de Socarnados 2000 morabitinos pro meo anniversario ut mittant illos in aliqua hæreditate, quæ sit ad hæc assignata. Mando, & de meo vase auri cum suo coopertorio, ut faciant inde duos calices, & dent inde unum Bracarensi Ecclesiæ, & alium Sedi Ulixbonensi. Mando adhuc ut Monasterium S. Crucis

habeat meas equas de Soure, & meos porcos de Colimbria. Hospitale captivorum, quod feci in Sanctarem, habeat meas vaccas, & meas oves, & meas equas, & meas porcas, & hæreditates quas ibi dedi, & meos porcos quos habeo in Sanctarem. Mando de meis ganatis, quos habeo in Elbora, ut dent inde parentibus de Donna Bellida, qui in meo regno sunt, sicut eis ipsa dari mandavi; & alios dividant inter se Episcopus, & Magister Elborensis, & meum Hospitale de Santarem.

Mando etiam de 195 marchis unicam marcham de auro quod teneo in turribus Colimbriæ, ut dent inde Domino Papæ 100 marchas, & rogo ipsum tanquam patrem, & dominum corporis, & animæ meæ ut ipse sanctissima authoritate sua faciat omnia ista adimplere, & non permittat aliquid de his omnibus per aliquem impediri, & completa tota ista manda dimisi de turribus Colimbriæ, & de mea arca 10200 morabitinos de quibus faciant pacari, quantum invenerint, quod accepi cum torto. Et residuos dent captivis, & pauperibus pro anima mea. Et sciatis, quod in turribus Colimbriæ sunt illi 200 morabitini quos mando dari filio meo Regi Donno Alfonso, & in Elbora 6000 morabitini, & Magister, & fratres Templi tenent in Tomar illos morabitinos, quos mando dari filiis meis Infanti Donno Petro, & Infanti Donno Fernando, & nepoti meo Infanti Donno Fernando, Prior, & Fratres Hospitalis tenent in Belver, illos, quos mando dari filiabus meis quas habeo de Regina Donna Dulcia, & neptibus meis filiabus filiæ meæ Reginæ D. Tarasiæ, & aliis filiis, & filiabus meis quos habeo de Donna Maria Pelagii, & de Donna Maria Arias. Abbas, & Conventus Alcobatiæ tenent in suo Castello illos quos mando dari pro anima mea, & 150 marchas argenti quod mando dari nepti meæ Infanti Donnæ Dulciæ. Et ut omnia ista possint melius, & apertius sciri tam præsentibus, quam futuris, & ad impleri fieri feci sex cartas consimiles, & omnia supra scripta æqualiter continentes, quarum unam habet Bracarensis

electus. Aliam Prior Sanctæ Crucis; Tertiam Abbas Alcobatiæ. Quartam Magister Templi. Quintam Prior Hospitalis. Sextam facio ego conservari in meo repositario, mihi, & filio meo Regi Donno Alfonso. Et sciendum, quod omnia ista debent adimpleri per Barcarensem electum, & per Abbatem Alcump. & Priorem S. Crucis, & per Abbatem S. Tirsi, & per Magistrum Templi, & per Priorem Hospitalis, per Donnum Petrum Alfonsi, & per Donnum Gunsalvum Mendiz, & per Donnam Mariam Fernandi, & per Donnum Laurentium Suarii, & per Donnum Gon. Suarii. Et si aliquis, vel aliqui istorum decesserit, vel decesserint, aliqui de eis remanserint debent ea adimplerere modis quibuscunque potuerint. Et si hoc fecerint valeant inde semper magis, & non minus. Et si hoc non fecerint valeant semper inde minus apud Deum, & apud homines. Et filius meus qui regnaverit, habeat illos pro Traditoribus, & pro aleivosis. Et Ego Rex Donnus Alfonsus filius supradicti Regis Donni Sancii, & Reginæ Donnæ Dulciæ promitto firmiter in fide Jesu Christi quod omnia ista compleam, & attendam, si patri meo supervixero, & quod nunquam aliquid inde impediam, nec impediri permittam. Et jam de hoc feci hominium in manibus patris mei, & juravi in manibus Bracarensis electi, & Colimbriensis Episcopi, & Abbatis Alcobatiæ, quod omnia ista compleam, & attendam. Ego Petrus Alfonsi, Ego Gunsalvus Menendis. Ego Martinus Fernandis. Ego Laurentius Suarii, & Gon. Suarii promittimus firmiter, quod modis quibuscunque poterimus faciamus omnia ista compleri, & jam de hoc fecimus hominium in manibus Domini nostri Regis Sancii, & juravimus hoc in manibus Bracarensis electi, & Colimbriensis Episcopi, & Abbatis Alcump. & concedimus, quod si hoc non fecerimus simus perinde Traditores, & aleivosi.

Pium Sancii testamentum Romam ad Innocentium III. Summum Pontificem missum est; qui id coram se perlegi fecit, & intelligens omnia rite esse disposita, illis dumtaxat

exceptis, quæ de quibusdam Monasteriis erga filias dispofuerat, nisi forsan de jure intelligeret patronatus, secundum ultimum suæ dispositionis arbitrium statuit, & præcepit inviolate observandum, literis suis datis Laterani sexto Kalendas Julii Pontificatus sui anno decimo quarto, quæ in Laurbaniensi archivo asservantur.

CAP. V.

De Ordinibus Militaribus per Lusitaniam.

§. I.
De Ordine Avisiensi.

ORdo Militiæ *de Avis* in regno Portugaliæ apud Colimbriam habuit originem tempore Domini Alfonsi Henrici Regis primi Portugaliæ anno Domini 1147, quo tempore Militia nova fuit appellata, mox Eborensis ab urbe Ebora capta, ubi ipsemet Rex anno 1176 hujus ordinis militibus conventum ædificavit, ubi hodie locus ille *Freiria* appellatur: deinde Avisiensis ab auspicio felicis volantis aquilæ, quod illi nomen permansit usque ad hunc diem, & oppido illi in tractu Transtagano triginta millia passuum ab Ebora septentrionem versus sejuncto, ubi primarium hujus militiæ domicilium conditum est. Auctor illius fuit Alfonsus Rex, Legislator Joannes Cirita Sancti Joannis Taroucæ Abbas; institutio autem ad normam Cisterciensium sub Abbatis Cistercii, aut etiam Claraævallis visitatione. Milites erant ex prima regni nobilitate, atque ex prima virtute, selecti omnes, & qui in præliis adversus Saracenos ingentis animi speciem præ se tulissent. Humbaldus Cardinalis Episcopus Ostiensis ab Alexandro III in Hispanias Legatus missus Joanni Ciritæ, Guiscar loque Cisterciensi, utrique suam ad hanc militiam instituendam, potestatem per omnia delegavit. Et antiqua statuta in auctographis Monasterii Alcobatiensis inventa edidit Fr. Bernardus de Brito.

„ In nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis Patris,
„ Filii, & Spiritus Sancti, Deus unus verus, & essentia inse-
„ rabilis. Nos Joannes Cirita Abbas S. Joannis de Tarouca, &
„ Guiscardus Monachus ejusdem Cœnobii, in præsentia no-
„ bilissimi Regis Alfonsi, aliorumque virorum suæ Curiæ de
„ consensu, & auctoritate Domini Episcopi Ostiensis, tunc
„ per totam Hispaniam Legati à Latere, in honorem Dei, &
„ Patris nostri Benedicti, gloriamque nostræ Reformationis
„ Cisterciensis, & ut Christi fideles ab incursu Maurorum li-
„ berentur, constituimus, & ordinamus militiam Equitum,
„ cujus munus sit religionem defendere in bello, charitatem
„ exercere in pace, castitatem servare inthoro, & terras
„ Maurorum continuis incursionibus vastare, & habitum por-
„ tare signum Religionis præ se ferentem; Caputium, scilicet,
„ parvæ magnitudinis, cum scapula taliter facta, quod in con-
„ flictu pugnantes non impediat: circa colorem ceterarum ve-
„ stium non causentur; sed circa temporis opportunitatem, sca-
„ pela vero semper sit nigri coloris cum caputio. In bello ha-
„ beant loricas, & enses, & lanceas, juxta fortitudinem uniuf-
„ cujusque; nihil portantes insignitum auro præter enses, &
„ calcaria; ponentes semper spem suam in armatura Fidei; in
„ pace surgant ad adorationem, & audiant missas, jejunent sextis
„ feriis; dormiant cum caputiis parvis; servent silentium, si simul
„ manducent; suscipiant peregrinos; honorent seniores; & Ma-
„ gistrum Militiæ tanquam patrem, & ducem suscipiant; & in
„ omnibus Regulam Sanctis Patris nostri Benedicti præ oculis
„ habeant; de adquisitis in bello dent pauperibus, viduis, &
„ Ecclesiis; & Mauros, quos in captivitatem traxerit, sanctis
„ ad monitionibus ad Fidem deducere curent. Si Castrum,
„ vel Civitatem ceperint, faciant certiorem Dominum Re-
„ gem, & de mandato ejus disponent omnia, existentes sub-
„ diti Dominis, non tantum bonis, sed etiam discolis. Ma-
„ gister tanquam dux ceterorum procuret non solum verbis,
„ sed etiam exemplis subditos gubernare, non solum in pace
„ docendo; sed etiam in bello pugnando: & siquis militum
„ gravamen de illo habuerit, & post excusationem non suf-

„ ceptam adhuc se gravatum senserit, ad Abbatem designa-
„ tum a Domino Cisterciensi recurret, & apud illum proponet
„ querimoniam de Magistro, & expectabit sententiam, de qua
„ solus Romanus Pontifex, aut ejus à Latere Legatus poterit
„ cognoscere, seu Reverendissimus Pater Abbas Cistercii,
„ ac ejus de hoc nominatus Visitator, & personaliter Pater
„ Abbas Claraevalis. In electionibus vero Magistri, & alio-
„ rum officialium servabitur ordo, qui in definitionibus Ci-
„ stercii constituitur, noviter autem electus suscipiet insignia
„ Magisterii de manu alicujus Abbatis, & in manibus ejus
„ præstabit juramentum, & obedientiam in hac forma.

„ Ego, Pater, noviter electus in Magistrum militiæ Sancti
„ Benedicti Cisterciensis ordinis, nomine meo, & hujus Mi-
„ litiæ juro, & promitto obedientiam Romano Pontifici, &
„ Domino meo Regi Portugaliæ, & vobis Patri Abbati in no-
„ mine Cisterciensis, omnibusque successoribus suis in per-
„ petuum futuris, & quod bona militiæ non vendam, non
„ donabo, nec consentiam vendere, donare, aut alienare;
„ quod in bello non derelinquam milites meos in periculo, ut
„ me in libertatem ponam; nec tradam castra, turres, oppi-
„ da, sine jussu, & voluntate Regis Portugaliæ; non consen-
„ tiam milites inermes in bellum exire, neque absque capu-
„ tio incedere: ad mandata Regum ibo; traditores ejus pro
„ meo posse persequar: terras Maurorum infestabo; jus hu-
„ jus regni omni loco defendam; & ad omnia bella paratus
„ existam cum equis, & armis, & contra hæc omnia nun-
„ quam veniam; sic Deus me adjuvet, & ista Sancta Evan-
„ gelia.

„ Post electionem vero Magistri, ipse donabit insignia
„ militibus noviter intrantibus: si tamen fuerit præsens Domi-
„ nus Rex, aut filius ejus hæres, ipsi faciant cæremoniam
„ assumptionis ad equitatus ordinem: etsi contingat tunc tem-
„ poris, cum aliquis assumitur, esse ibi præsentialiter aliquis Ab-
„ bas Cisterciensis ordinis dabit insignia, & in manibus ejus fiet
„ omagium. Si aliquis militum dum ambulat, invenerit ali-
„ quem Abbatem ordinis Cisterciensis, relicto equo, humi-
„ liter

„ liter accedat, & petat benedictionem, & comitem se offe-
„ rat itineris: si pertransierit per loca, castra, seu civitates,
„ ubi fuerint milites hujus societatis, tempore pacis, aut belli,
„ Dux arcis offerat ei claves, & juxta dispositionem ejus gu-
„ bernentur omnia tempore, quo ibi fuerit. Monachi Cister-
„ cienses, tanquam fratres suscipiantur, & omnia charitatis of-
„ ficia exhibeantur eis. Quæ omnia Ego supra nominatus
„ Rex Alfonsus auctoritate mea roboro, & confirmo: & Ego
„ Guiscardus Monachus S. Joannis de Taroca, jussu Domini
„ Regis Alfonsi, & Patris Joannis Ciritæ Abbatis præfati,
„ cuncta dictavi, & manu mea scripsi apud Colimbriam Idibus
„ Augusti Era 1200. Archiepiscopus Bracarensis pro parte re-
„ gni approbo, & confirmo. Episcopus Colimbriensis pro
„ parte Curiæ approbo, & confirmo. Episcopus Olisbonen-
„ sis pro parte Cleri approbo, & confirmo. Petrus proles Re-
„ gis, Par Francorum, & Magister novæ Militiæ pro parte
„ mea, & meorum militum confirmo omnia, & approbo. Fer-
„ dinandus Roderici Monteyro Miles novæ Militiæ approbo,
„ & confirmo. Gondisalus Venegas Miles novæ Militiæ confir-
„ mo, & approbo. Ferdinandus Joannis Miles novæ Militiæ
„ confirmo, & approbo. Joannes Portariua Miles novæ Mi-
„ litiæ confirmo, & approbo. Petrus de Souza Miles novæ
„ Militiæ confirmo, & approbo. Rodericus Venegas, Miles
„ novæ Militiæ laudo, & approbo, Julianus Alfonti Miles no-
„ væ Militiæ confirmo, & laudo.

Militarem hunc ordinem, vivente adhuc Alfonso Rege fundatore, confirmavit Summus Pontifex Alexander III. anno 1162; deinde regnante Sanctio, qui Alfonso Henrico parente mortuo, regnum hæres proxime excepit, Innocentius III. anno 1204. Calatravensis etiam olim dicebatur ex strictissimo amoris, & fraternitatis fœdere, quo uterque ordo in Hispaniis obstringebatur. Innocentius Papa VI hujus ordinis habitum in crucem viridis coloris immutavit, quam milites ad pectus adferunt: & in Ecclesiasticis actibus pallio candido crucem viridem ad sinistrum humerum præferente utuntur. Primus Militiæ Magister ex supradictis Constitutionibus ser-

Q

tur Domnus Petrus Alfonsus Alfonsi Regis illegitimus fratrer, de quo ad sæculum 11 egi, cum de Comite Henrico scripsi. Petrus in tot certaminibus, quibus cum Alfonso fratre apud Trancosum, Sanctarenam, Orichium, Olysiponem, & Badiosam adversus Saracenos interfuit, mira fortitudinis indicia præbuit; Gallias profectus optimi Principis dotes demonstravit, Ludovici 7. Galliarum Regis consuetudine usus, nec non S. Bernardi Claravallensis Abbatis, qui in literis ad Regem Alfonsum ipsius meminit. Lusitaniam reversus, novæ Militiæ Magister electus est; Magistri tamen honores, & quidquid sæculum ei felicius obtulerat, in Alcobatiensis Monasterii austeritates commutavit Deo soli vacaturus.

Petrum, dum Monachum agebat in Alcobatia, Alfonsus frater sæpe visitabat de spiritu sermonem habiturus: & uterque vegetior in virtute, nec magis Petrus Regias in Alfonso, quam Rex Monasticas in Petro promovebat. Traditur Laurentium Venegas visendi Petri causa Alcobatiam adiisse, & cum inter loquendum res clare in sæculo gestas miscerent, quibus Petrus ipse cæpit delectari; adeo vanitatem, oblectamentumque castigavit, ut septem menses silentium sibi imponeret, nec cum Rege fratre ipsum adeunte colloqui vellet. Meritis tandem plenus obiit anno 1175; cujus sepulcri epitaphium ad sæculum 11 exscripsi. In Militiæ Magisterio Petro successit Gundisalvus Venegas filius Egeæ Fafes Comitis Henrici Signiferi. In Gundisalvi locum suffectus est Ferdinandus Annes, qui Sanctio opem tulit in Algarbii expeditione. Ferdinando Magistro, Avisiensis Militia Calatravensi in Hispania Sanctii Regis consensu adjungi cæpit; & in Avisiensi oppido novum conditum est cœnobium. A Rege Alfonso, & ejus filio Sanctio I. plurimis donationibus, & possessionibus locupletatus est ordo, & indies in posteros adauctus est, ut ex quadraginta & octo Ecclesiarum redditibus in *Commendas* totum sit patrimonium. Alexander VI ad Felicissimi Regis Emmanuelis preces indulsit ut Avisienses Equites connubium possentt contrahere.

§. II.
De Militari Ordine Alæ.

ANno 1167 in Lusitania instituta est nova Militia sub invocatione Sancti Michaelis: illius Auctor Venerabilis Rex Alfonsus; milites pene totius regni proceres. Instituendi causa fuit victoria recens per miraculum habita, pennata mauus armata de cœlo missa, quæ hostes prosterneret, cum Alfonsus, Sanctorum Angelorum, Michaelis præsertim precibus auxilium implorasset. Victoria à Mauris accepta Alfonsus Alcobatiam petiit, ibi post relatas Deo grates, atque erectum Michaeli Archangelo altare, Abbatem, Monachos, & qui cum eo erant regni Magnates consuluit, & nobilium militum societatem magis, quam ordinem sine votis, ordinationibus tamen suis instituit. De quo hoc repertum est instrumentum.

In Dei nomine, S. Michaelis Archangeli, & S. Angeli Custodis. Quoniam quidem decet beneficia Omnipotentis Dei debitis compensare obsequiis, idcirco Ego Alfonsus Dei gratia Portugalensis Rex volens, & desiderens Divinum favorem pro mea parvitate recognoscere, & ut posteri mei recordentur mirabilium suorum, per quæ regnum stabilivit in terra, de consilio, & matura deliberatione bonorum virorum, quos Dominus elegit sibi, Martini scilicet, Abbatis Alcobatiæ, Panulphi in Divinis literis Magistri, & plurimorum Monachorum cœnobii, qui affuerunt, nec non & nostræ Curiæ Rectorum, instituimus quandam fraternitatem Militum in laudem, & honorem Domini nostri Jesus Chisti, & Beatissimæ Virginis Mariæ Matris ejus, specialiter vero sub invocatione Sancti Michaelis Archangeli, & Angeli mei Custodis. Ratio vero cur sic instituatur societas ista, hæc est: Dum ego essem in Sanctarena venit contra me Albarach Rex Sivilliæ cum ingenti multitudine militum, taliter quod omnes terminos regni mei cooperiebat sua multitudine, & castra mensavit juxta oppi-

dum, in quo ego cum parva manu meorum eram inclusus, expectans aliquorum adventum; sed accessit nuntius referens adventasse consobrinũ meum Regem Legionis; & quia erat inter nos suspicio, timui illum, credens, quod veniret in auxilium inimicorum meorum: propter quod constitui exire in bellum contra Albarach antequam veniret, & jussi in crastinum præparare gentem meam, & ego in oratione rogavi Angelum, quem Deus per suam misericordiam dedit mihi in socium, & custodem, & Beatum Archangelum Michaelem, quod venirent in meum auxilium, & eriperent me de manu inimicorum meorum, quod quidem accidit: & cum in bello signum meum esset captum ab inimicis meis, ego desilii de curru, ut liberarem illud, & cum in pressura pedibus pugnarem, mirabile visu evenit juxta me peccatorem: brachium pugnantis, & adjuvantis me armatum quidem secundum visum meum, & sumitatem ejus cooperiebat ala tamquam Angeli, corpus autem non videbam, nec aliquis vidit; quamquam multi Maurorum manum vidissent, sicut postea dixerunt captivi. Cum ego manum vidi, intra me confortatus insilii in hostes, & ecce cadebant à latere meo mille, & decem milla à dextris meis; vulnus autem ad me nullum appropinquabat. Victus est inimicus meus, & collegimus spolia eorum, & vidimus prostratam in campis Sanctarenæ manum magnam, quæ persecuta fuerat nos, & cantavimus laudem Deo nostro, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus. Postea autem dum me pararem ad bellandum cum Rege Legionis, scivi illum venisse in adjutorium mihi, & jam redire in pace: de quo lætus, & gaudens veni ut laudarem Dominum Jesum Christum ad Monasterium Alcobatiæ, in quo fui per dies triginta tres serviens ei, & cogitans de regno Dei; & ne oblivifcar adjutorum Sancti Michaelis, & Angeli mei de consilio supra dictorum decrevi facere unum ordinem, & societatem militum, qui deferant super cor alam purpuream insignitam auro, & fulgore, sicut visum fuit oculis meis fuisse illam, quam videram in prælio. Conditiones autem, quas

debent servare milites hujus societatis, & jurare, dum acceperint alam, hæ sunt: 1. Nullus, qui nobis de palatio, & curia nostra non fuerit, non deferet alam, nec admittatur ad societatem. 2. Omnes qui in conflictu pugnaverunt, ut eriperent signum meum, erunt admissi ad societatem, & efferent alam. 3. Ille qui admittitur ad societatem, erit in prælio juxta Regem, vel juxta ejus signum, & nullus poterit illud deferre, nisi portaverit alam. 4. Ille, cui datur ala, jurabit in manibus Abbatis Alcobatiæ fidelitatem Deo, Romano Pontifici, & Regi in forma solita; & nullus dabit alam præter Abbatem Alcobatiæ. 5. Miles hujus militiæ recitet quotidie numerum orationum, quas solent recitare conversi ordinis Cisterciensis, sive in pace, sive in bello. 6. Cum aliquis recipit ordinem, dabit quinquaginta solidos ad reparandum altare S. Michaelis, qui est in Ecclesia Alcobatiæ. 7. Omnes fratres hujus militiæ ibunt ad Alcobatiam in Vigilia S. Michaelis, & audient horas Vespertinas, Matutinas, & Missam, & recipient communionem de manu Abbatis induti in cappis albis ad formam Conversorum. 8. Abbas Alcobatiæ habebit jurisdictionem super milites, & poterit illos excommunicare, si male vixerint, & compellere, ut relinquant concubinas, & pessimam vivendam. 9. Milites hujus societatis, post primum matrimonium, si habuerint filios, vel filium hæredem, non transeant ad secundas nuptias, post obitum primæ uxoris; sed vivent in continentia. 10. In scutis in bello habebunt alam absque alio insigni, & in pace non ibunt sine illa. 11. Erunt Equites hujus fraternitatis mites humilibus, duri superbis, mulieribus, præcipue nobilibus, & viduis auxiliatores in omnibus, Fidei defensores, hostium impugnatores, & superioribus obedientes. 12. Erit numerus militum juxta voluntatem Regis, & quem elegerit, mittet ad Abbatem Alcobatiæ, & ipse dabit ei alam, & cappam candidam cum sua benedictione; & accipiet ab eo juramentum in forma consueta, & leget ei istos ordinationes, & alias sui ordinis, & describet nomen ejus in codice.

Et quia hæc est mea voluntas, & volo memorare posteris meis beneficium Domini, & S. Michaelis, constitui ego Rex Alfonsus hanc Militiam in Cœnobio Alcobatiæ Era 1205. Ordo iste omnino extinctus est, quod regiis donationibus non esset ditatus.

§. III.
De Militia S. Jacobi.

DIversis temporibus militiæ hujus initium designant: alii ab Alfonso Casto; alii à Ranimiro, alii tandem ex anno 1160. Vasæus in chronico Ranimiri tempore institutam cum Jacobo Valera existimat, quod diploma Regis Ferdinandi Hispaniarum primi viderit, ejus exemplar penes se habuerit de institutione Monasterii S. Spiritus Salmanticæ, in quo & hujus ordinis, & magistri illius, & Commendatariorum multa mentio fit. Verum diploma illud, cui credidit Vasæus, quod ante centum amplius annos Ferdinandi tempore Virginibus Sacris, quæ Salmanticæ à S. Spiritu nomen habent, concessum est, falsi ab eruditis accusatur; res enim se ipsa prodit, sive stylum expendenti, ab eorum temporum abhorrentem, sive annos numerandi ab ortu Christi rationem consideranti nondum per hæc tempora in Hispaniis susceptam. Quamobrem ad annū circiter 1172 Venerabilis Regis Alfonsi Henrici tempore institutus est hic ordo in Gallæcia; & ab eodem Rege in Portugalia susceptus, & adauctus. Quo ex tempore D. Jacobi Apostoli sepulcrum ubi esset scitum est, ejus loci religio non ab Hispanis tantum, verum & ab exteris celebrari cæpit, multi toto orbe mortales conveniebant; multos alios itineris difficultas propter locorum sterilitatem, asperitatemque deterrebat; & Maurorum incursiones, à quibus multos etiam captivari nuntiabatur. D. Eligii Canonici Regulares in Gallæcia ut iis malis occurrerent, multis locis toto eo itinere domicilia extruxerunt peregrinis excipiendis.

Eo pietatis officio non plebis tantum animos, sed & Principum conciliarunt, qui magnis opibus, & vectigalibus ipsos

ditarunt: & poftea eorum exemplo nonnulli viri militares in Caftella nobiles, atque copiofi, in ftudio Chriftianam religionem ampliandi extiterunt, privatis rebus in commune collatis. Ii per id temporis Hyacinti Cardinalis per Hifpanias Legati induftria cum D. Eligii Canonicis vires fociare certi Romam accefferunt, ut Pontifici Alexandro III vitæ genus probarent ad D. Auguftini normam, quam Canonici ii amplectebantur. Anno 1175 Summus Pontifex militibus novam vitæ rationem præfcripfit, & optimis inftitutis temperavit; pro habitu data cruce rubra in enfis modum: firmavit ut haberentur in ipfo ordine, qui cælibem, fi voluerint, ducerent vitam, & qui juxta inftitutionem Dominicam ad procreandam fobolem, & incontinentiæ præcipitium evitandum, conjugibus fuis utuntur; ut fub unius Magiftri obedientia in omni humilitate, atque concordia fine proprio viverent. Si viri præmortui forent, & relictæ uxores, quæ ordinem fufceperunt, nubere vellent, id Magiftro denuntiaretur, five Commendatori, ut cum illius licentia, cui mulier ipfa vellet, nuberet, quod etiam de viris effet obfervandum: ut nullus fratrum, five fororum poft ordinis fufceptionem, & promiffam obedientiam vel redire ad fæculum, vel ad alium ordinem fine Magiftri licentia fe transferret. In ordine ut effent tredecim fratres, qui Magiftro cum opus effet, in confilio adeffent, quorum aliquis fi deeffet, Magifter de reliquorum confilio majoris partis alium ejus loco fubftitueret. Clerici ordinis fuperpelliciis induerentur, per villas, & oppida fimul manerent, & Priori obedientes exifterent, filios fratrum, qui eis à Magiftro committerentur, literarum fcientia inftruerent, & fratribus tam in vita, quam in morte fpiritualia fubminiftrarent. Iis præcipua effet cura hofpitum, & indigentium, & neceffaria illis pro domus facultate conferrent. Si in locis defertis, aut in Saracenorum terris de novo Ecclefias conftruerent, Ecclefiæ illæ plena gauderent libertate, nec aliqua per Epifcopos decimarum aut alterius rei exactione gravarentur, & per Clericos ejufdem ordinis idoneos eafdem Ecclefias cum fuis plebibus gubernarent, neque interdicto,

neque excommunicationi per Episcopos subderentur; sed iis fas esset, tam in majori Ecclesia, quæ caput est ordinis, quam in illis, excommunicatis, & interdictis exclusis, divina semper officia celebrare.

Præterea liceret iis in locis suis ubi quatuor, vel plures essent fratres, oratoria construere; in quibus fratres, & alii de familia tantum divinum audire officium, & christianam possent habere sepulturam. Et siquis in aliquem fratrum, vel sororum manus violentas injiceret, excommunicationis sententia adstringeretur. Ad indicium autem hujus acceptæ à Sede Apostolica libertatis decem Malachinos Romanæ Ecclesiæ singulis annis persolverent.

Ordo sic institutus brevi ultra Gallæciam in Legionem, Castellam, & Lusitaniam diffusus est. Alfonsi Henrici tempore Portugaliam ingressus ipsummet Regem, ac ejus filium Sanctium in præliis adversus Saracenos plurimũ adjuvit, quapropter multis possessionibus est adauctus. Primum domicilium Olysipone habuit in Monasterio, quod vulgus appellat *dos Santos o velho*, usque ad Alfonsi II. tempus, quo Salaciam migravit è Mauris jam captam; regnante Sanctio II. usque Myrtilim sedem mutavit, inde tandem ad Palmelam ubi ad ætatem istam cœnobium extat ordinis caput. Vetus Sanctorum Monasterium Olysiponense, in quo corpora Sanctorum Martyrum Verissimi, Maximæ, ac Juliæ recondita fuerunt, tunc designatum est recipiendis conjugibus, ac filiabus Commendatorum, cum ad bellum proficiscebantur, ad tempus usque Joannis II. quo Sanctorum Martyrum corpora, & Sorores Commendatrices alio fuere translatæ. A' tempore Venerabilis Alfonsi usque ad Dionysii Magistro de Vcles Lusitani Equites obtemperabant; Nicolaus vero IV. anno 1290 auctoritate statuit Apostolica ut de Portugaliæ, & Algarbii regnis quempiam in Provincialem Magistrum assumerent, qui præfati ordinis, & personarum, ac bonorum ejus in spiritualibus, & temporalibus curam, & administrationem in Portugaliæ, & Algarbii regnis exerceret; quod etiam diplomate suo confirmavit Cælestinus V. anno 1294.

§. IV.

§. IV.
De Militia Templi.

ANno 1119. Hugo de Paganis, & Gaufridus de Sancto Aldemaro septem cum sociis omnes viri nobiles Templariorum ordini initium dederunt: ad pedes Patriarchæ Jerosolymitani se adstrinxerunt ad viarum publicarum custodiam, & peregrinorum defensionem contra prædones, & sicarios. Jerosolymorum Rex Balduinus II. partem sui palatii juxta Domini templum concessit ad tempus, Abbas autem, & Canonici Templi Domini plateam, quæ juxta Regis palatium iis erat, eisdem ad construendas officinas tradiderunt. Unde Templi fratres appellati sunt. Novus ordo in Concilio Trecensi anno 1128. confirmatus est, ipsisque tradita regula, & vestes candidæ præscriptæ, quibus Eugenius III. postea rubeam crucem attexi curavit. Concilio præfuit Matthæus Cardinalis Episcopus Albanensis, Archiepiscopi Remensis, & Senonensis cum suis suffraganeis, Stephanus Cisterciensis, & S. Bernardus Claravalensis regulæ Auctor; quæ in Conciliorum collectionibus edita est: *Regula pauperum commilitonum Templi*: & novissime edidit Regius Academicus, Regiusque Senator Alexander Ferreira in sua Templariorum Historia. Ad eam amplitudinem evecta est nova militia, ut ultra Palæstinam longe, lateque in Europam diffunderetur. Nullum regnum, nulla-ve respublica Christianorum, quò non venerit. Inter ceteras Europæ provincias, in quibus Templarii domicilium habuerunt à primis ipsorum incunabulis, fuit Lusitania. Quo amore, qua munificentia eos suscepit Venerabilis Rex Alfonsus, & ejus Mater, tot monumenta testantur, quibus piissimus, ac munificentissimus Rex erga eos profundebatur.

Anno 1126. jam Jerosolymis Lusitaniam adventaverant ex monumento, quod ex archivo regio edidit Fr. Antonius Brandaõ regnante D. Tarasia: *Hæc est charta conventionis, & firmitudinis, quæ Magistro Galdino, & Arnaldo da*

Rocha, ceterisque Templi fratribus, & simul junctis cum Pelagio Fernãdes, & Pelagio Petris, & uxoribus eorũ; videlicet Marina Soaris, & Maior Soaris placuit fieri de illa villa nostra, quæ appellatur Ferreira, quam insimul habemus. Primus novæ militiæ Magister in Lusitania erat D.Galdinus patria Bracarensis, qui Portugalia derelicta, Jerosolymas petiit, ubi Templi militibus adscriptus cum Magno Magistro, & ceteris fratribus adversus Regem Ægypti, Syriæ, & Ascalonitas strenuissimus decertavit: post quinquennium in tot præliis transactum de Magistri Magni consensu ad Reginæ Tarasiæ preces cum Arnaldo da Rocha Milite etiam Templi Lusitano, & aliis in patriam se recepit eam à Saracenorum jugo liberatum.

In pervetusto codice archivi Monasterii S. Crucis à sexcentis ferme annis hæc firmitudinis charta inter Galdinum, ac ejusdem Monasterii Canonicos reperitur: *In Dei nomine: hæc est charta venditionis, & firmitudinis, quam jussi facere ego Galdinus Magister militum templi una cum meis fratribus vobis Domno Joanni Monasterii S. Crucis Priori, & fratribus ibidem commorantibus de nostris domibus, quas habuimus in suburbio Colimbriæ in vestro terreno in loco, qui dicitur almunia Regis juxta Ecclesiam vestram: quarum isti sunt termini. In oriente via publica; in occidente via publica, in aquilone casa Dominici Feirol: in Africa vero domus de Petro grano de milio. Vendidimus vobis has domos sic terminatas, opus scilicet, quod ibi in vestro terreno fecimus pro precio, quod à vobis accepimus sex morabitinos; tantum enim nobis, & vobis bene complacuit, & de precio apud vos nihil remansit indebitum: habeatis ergo vos eas, & omnes successores vestri sicuti nos eas habuimus suis parietibus propriis circumquaque inclusas, & faciatis de illis quidquid vobis placuerit in perpetuum. Quod si forte nos, aut successores nostri, vel alius aliquis extraneus hanc chartam infringere, aut in aliquo diminuere voluerit, non sit ei licitum, sed pro sola temptatione sit maledictus, & excommunicatus quicumque*

fuerit, & cum Juda Domini traditore dampnatus, & quantum inde auferre temptaverit tantum in duplum componat, & domino terræ aliud tantum. Et si nos eam vobis in concilio auctorizare noluerimus, aut non potuerimus similiter componamus, & insuper hoc nostrum factum semper plenum robur obtineat. Facta venditionis, & firmitudinis charta mense Januarii Era MCCIII. Ego vero Magister Galdinus, qui hanc chartam jussi facere cum meis fratribus coram infra scriptis testibus propriis manibus roboravimus, & hæc signa fecimus, qui præsentes fuerunt. Era 1209. Castrum de Almaroul extruxit Galdinus, cujus vitam ad annum usque 1195. protraxit Fr. Hieronymus Romanus apud Brandaõ. (*a*)

Galdino in Ordinis Magisterio successit Domnus Lupus Ferdinandes, quo Magistro, Sanctius I. Portugaliæ Rex Templi militibus Egitaniam hac donatione firmavit anno Domini 1199. *Ego Rex Sanctius una cum filio meo Rege Domno Alfonso, & ceteris filiis, ac filiabus meis facio chartam firmissimi concambii vobis Domno Lupo Fernandi Magistro militiæ Templi, & fratribus vestris de civitate Egitania, quam vobis damus pro duobus castellis, scilicet Penis Rubeis, & Mugatorio, &c.*

(a) *Monarch. Lusit. lib. 12. cap. 18.*

Erga Templi militiam non solus Sanctius, sed & ipsius parens Alfonsus extitit munificentissimus, (*b*) ex donationis monumento in archivo regio: *In nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Ego Alfonsus Dei gratia Portugalensium Rex, incipiens iter meum ad illud castellum, quod dicitur Sanctarem, propositum fuit in corde meo, & votum vovi, quod si Deus sua misericordia illud mihi attribueret, omne Ecclesiasticum darem Deo, & militibus fratribus templi Salomonis constitutis in Jerusalem pro defensione sancti sepulcri, quorum pars mecum erat in eodem comitatu; & quia Dominus mihi talem fecit honorem, & bene complevit voluntatem meam. Ego Alfonsus supra nominatus Rex, cum uxore mea Regina Domna Mafalda facimus chartam*

(b) *Lib. Ordin. Milit. fol. 62.*

supradictis militibus Christi de omni Ecclesiastico Sanctæ Herenæ, ut habeant, & possideant ipsi, & omnes Successores eorum jure perpetuo, ita ut nullus Clericus in eis, vel laicus, aliquid interrogare possit; sed si forte evenerit, ut in aliquo tempore mihi Deus pietate sua daret illam civitatem, quæ dicitur Ulixbona, illi concordarentur cum Episcopo ad meum consilium. Facta charta Mense Aprilis Era 1185

Diu tamen Templi milites Sanctarenæ Ecclesiasticum non retinuerunt, quod Gilbertus Olysiponensis Episcopus confirmatus in iisdem Ecclesiis jura ad se pertinentia vindicaverit: quapropter piissimus Alfonsus inter Episcopum, & Templarios litem ita composuit: *Hæc est pax, & convenientia, quam ego Alfonsus una cum filiis meis facio inter Episcopum Ulixbonensem, & fratres milites Templi Hierosolymitani. Do, & concedo Deo, & militibus Templi illud castrum, quod dicitur Cera pro Ecclesiis de Sanctarem, quas illis prius dederam Era* 1159. Aliis quamplurimis largitionibus à Lusitaniæ Regibus pro admirandis suis in bello meritis locupletatus est novus ordo, quas suis locis, ac temporibus non prætermittam. Erga Reges ipsos fidelitatis juramentum a Militiæ Magistro præstitum ex Alcobatiensi archivo palam fecit clarissimus Vir Fr. Bernardus de Britto in chronico Cisterciensi. (*a*)

(a) Lib. 2. cap. 17.

Ego N. Miles de ordine Templi, & noviter electus in Magistrum equitum, qui sunt in Portugalia promitto Domino meo Jesu Christo, & Vicario ejus Romano Pontifici N. & ejus successoribus legitime intrantibus perpetuam obedientiam, & fidem servandam in perpetuum, juroque me verbis, armis, viribus, & vita defensurum mysteria fidei, Sacramenta septem, quatuordecim fidei articulos, symbolum fidei, tam Apostolorum, quam Sancti Athanasii, libros tam veteris, quam novi testamenti cum expositionibus Sanctorum Patrum ab Ecclesia receptis, unitatem Deitatis, & pluralitatem Personarum in Divina Trinitate, perpetuam virginitatem, ante partum, in partu, & post

partum Virginis Mariæ filiæ Joachim, & Annæ, ex tribu Juda, & stirpe Regis David. Deinde promitto submissionem Generali Magistro Ordinis, & obedientiam secundum statuta S. P. nostri Bernardi. Ad bella ultramarina proficiscar quoties opus fuerit. Contra Reges, & Principes infideles præstabo omne subsidium. Absque armis, & equo nunquam ero. A' tribus inimicorum (si infideles fuerint) licet solus sim, non fugiam. Dona ordinis non alienabo, nec vendam, nec consentiam alienari, nec vendi ab aliquo. Castitatem perpetuam servabo. Regibus Portugaliæ fidelis ero. Civitates, & munitiones ordinis non tradam suis inimicis. Religiosis personis, verbis, armis, & bonis operibus, auxilium non denegabo, præcipue Monachis Cistercienfibus, & eorum Abbatibus, tanquam fratribus, & sociis nostris, in cujus testimonium sponte mea juro, me ista omnia servaturum, sic Deus me adjuvet, & ista Sancta Evangelia. Usque ad Dionysii Regis tempora potentissimus iste ordo in Lusitania floruit; sed propter infamiam morum corruptelæ, & flagitiorum tum capitum, tum membrorum à synodo Œcumenica Viennensi, Præside Clemente V. Summo Pontifice in universo orbe extinctus est. Ex cujus bonis Dionysius ipse, ut sæculo suo dicam, Militiæ Jesus Christi ordinem, Summo Pontifice Joanne XXII. approbante, instituit.

§. V.
De Militia S. Joannis Jerosolymitani.

SÆculo duodecimo, quo tamen anno incertum, verum ante Templariorum institutionem Hospitalariorum S. Joannis Jerosolymitani ordo incepit, cum civitas sancta sub Saracenorum dominio adhuc premeretur. Ægyptius Rex universas provincias à Laodicea Syriæ ad extremam usque civitatem Ægypti Alexandriam possidebat: quartam Jerosolymorum partem juxta Domini sepulcrum Suriani, & eorum Patriarcha sub annuo tributo habitabant; ceteræ urbis regiones à Saracenis incolebantur. Ex occidente ad terram

ſanctam Chriſtiani, aut negotiationis ergo, aut devotionis frequenter confluebant, inter quos Longobardorum, & præſertim Amalphitanorum mercatorum concurſus erat frequentior. Hi Ægyptium Principem tributis, ac donis devincientes ab eo facile obtinuerunt, ut in honorem B. Mariæ juxta Eccleſiam Dominici ſepulchri alteram conderent, ubi divina officia Latinorum ritu celebrarentur; quæ à ſuis fundamentis erecta, & jam perfecta Latinis Monachis tradita fuit, & S. Mariæ de Latina nomen habuit. Inde peregrinis mulieribus ſuſcipiendis aliud monaſterium in honorem B. Mariæ Magdalenæ extructum eſt, in quo Hoſpitalariæ Moniales conſtitutæ ſunt. Tandem cum peregrinorum ad loca ſancta convenientium indies maximus eſſet numerus, Monachi S. Mariæ de Latina infirmis, & egenis recipiendis hoſpitale, & Eccleſiam in honorem S. Joannis Eleemoſynarii conſtruxerunt.

Sed poſtquam Dux Godefridus, aliique fideles Jeroſolymas à Saracenorum tyrannide liberarunt, & Chriſtianis moribus penitus reſtituerunt; Gerardus vir & natalibus, & virtute clarus, qui in Sancti Joannis hoſpitali pauperibus, & infirmis miniſtrabat, adjunctis ſibi aliis honeſtis, ac piis viris, regularem habitum induit, veſtem alba cruce inſignivit, & crucem ipſam in pectore palam præferens ſolemni profeſſione ſe obſtrinxit. Sanctum Gerardi propoſitum imitata eſt Agnes nobilis, ac pia fœmina. Domino novus ordo ſerviebat, infirmis, ac pauperibus, licet etiam pauperes, ſedulo miniſtrabant, in agro qui vocatur *Haceldama* mortuos ſepulturæ mandabant. Abbati S. Mariæ de Latina parebant, nec non Patriarchæ Jeroſolymitano; cui de bonis ſuis decimas ſecundum Sacros Canones, & utriuſque teſtamenti præcepta abſque contradictione reddebant. Orationi vacabant, vigiliis, ac jejuniis ſe affligebant, parci ſibi & auſteri, pauperibus vero, ac infirmis, quos dominos ſuos appellabant, largi, & miſericordes: panes de pura ſimila largiebantur infirmis, reſiduum vero cum furfure ad uſus proprios deſtinabant. Siquis autem inter ipſos in aliquo delinquebat, non relinquebatur

impunitus, ne veniæ facilitas incentivum præberet delinquendi. Progrediente tempore milites cum servientibus in collegium admissi sunt, ut loca sancta adversus Saracenos defenderent, indeque ordo hospitalis totus in equestrem mutatus est. Hæc sunt ex Jacobo Cardinali de Vitriaco Historiæ Jerosolymitanæ cap. 64.

Cum Venerabilis Regis Alfonsi Henrici victoriæ è Saracenis partæ Jerosolymas usque advolarent; novi Equites Lusitaniam petierunt Regi adversus Arabes opem adlaturi. Qui ab Alfonso non tam benigne accepti, quam ditati sunt; & Priori cuidam, qui Hospitalarius dicebatur, obtemperabant. Inter hujus ordinis Priores Lusitanos primus extitit Domnus Arias, cujus Alfonsus ipse meminit in donationis monumento erga novos Equites: *Ego Alfonsus, Hispaniæ Portugalensis Rex Comitis Henrici, & Reginæ Tarasiæ filius, magni quoque Regis Alfonsi nepos cum uxore mea Domna Mafalda regni mei consorte, & filiis meis volens propria largiendo, in cœlis thesaurisare, ubi non erugo, nec tinea demolitur, ac sidereas præparare mansiones, ubi cum eis permissorum talentorum boni dispensatores regnaturi sunt, sicut ipse in Euangelio dicit: Venite benedicti Patris mei percipite regnum vobis à constitutione mundi præparatum, non surdus Euangelii auditor, quod intonat dicens: date, & dabitur vobis; quia sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum. Et Psalmistæ dicentis: Beatus qui intelligit super egenum, & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Quatenus à misericordie Deo Patre in die magni examinis, misericordiam consequi valeamus, facio chartam testamenti, seu firmissimi cauti in honorem Dei, & omnium Sanctorum, atque Sancti Joannis Baptistæ, illius videlicet sanctæ civitatis Jerusalem, quod est juxta sepulcrum Domini, quo totus mundus floret, vobis Domno Raymundo illius prædictæ civitatis sanctorum pauperum procuratori, vobisque Domno Ariæ Portugalensium, Gallæcianorumque fratrum Priori, & præsentibus fratribus, nec non successoribus vestris pro remedio*

animæ meæ, & parentum meorum, de omnibus illis, qui usque ad diem istum, vel à me, vel ab aliis adquisita possedistis, & de his, quæ ab hodierno die, meo concessu, vel consilio, bonorumve virorum adquisiveritis, tam de Ecclesiis, quam de Villis, de hæreditatibus, de reditibus, de servis, de ancillis, de junioribus, & de quibuscumque personis Regio dominio subjugatis, in vestris cautis, vel hæreditatibus, vel Ecclesiis morantibus. Cauto igitur, & confirmo omnes vestras possessiones, quod nulla persona audeat vestros cauti terminos, vel hæreditates, vel domos irrumpere, vel vestros homines prendere, vel aliquem vestrum molestare, aut in aliquo offendere; nec de calumnia, quam vestri homines fecerint, quicumque audeat aliquas exigere. Illesam, integram, & inviolatam servare cum suis hæreditatibus, ceterorumque vestrorum cautorum terminos in suo robore firmissimo permanere concedo. Præterea homines in vestris hæreditatibus commorantes ab omni servili negotio, & ab omni tributo absolvo. Si vero contigerit in aliis vestris hæreditatibus aliquod istorum trium, scilicet, homicidium, furtum, vel rapina mulierum, quæ rausum dicitur, qui ista tria prædicta realiter, vel actualiter commiserit, & legitime comprobari poterit, omnibus aliis occasionibus, & cavillationibus remotis, juxta possibilitatem suam componat ita, quod casam non perdat, & de his, quæ per compositionem persolveret, medietatem mihi reddat, medietas vero in ipsa hæreditate remaneat. Istud quoque concedo, quod nunquam peaticum, quod portagium dicitur vestro censu, vel de quibusdam rebus, quas vestri homines emerint, vel vendiderint, vel tria, vel aliqua requirantur. Quicumque igitur hanc meam eleemosynam amore Dei, & Sancti Joannis Baptistæ pro remedio animæ meæ, parentumque meorum factam, infringere, vel diminuere voluerit, pro certo me sibi iratum credat, ac postquam domino suo, quæ abstulerit, ex integro restituerit, ducentos solidos probatæ monetæ componat, quorum ego mediam partem illi domui Dei, & pauperibus ejus concedo, & insuper

per sit maledictus usque ad septimam generationem, nec insurgat in die judicii cum Sanctis. Præterea adjicio, quod numquam fratres Hospitalis, vel eorum res, pro qualibet causa pignorentur, nisi prius in mea præsentia causa pignorandi prolata fuerit, & quod causa fratrum Hospitalis bonorum virorum exquisitione semper terminetur. Facta charta testamenti, seu cauti 3. Kalend. Aprilis in Era millesima centesima nonagesima octava.

Ariæ in Prioratu successit Menendus Gundisalvi, qui Sanctii I. Regis tempore floruit Regi ipsi nimis gratus à consiliis. Anno 1186. scripturæ, qua Sanctius Rex largitiones à Patre suo Alfonso erga Sanctæ Crucis Monasterium factas firmaverat, ita subscripsit: *Menendus Gundisalvi, qui tenebat Ulixbonam.* Olyssiponi enim à Rege erat præfectus, qui à Maurorum, ceterorumque hostium terra, mari-ve impetu liberaret. Lusitanorum Regum munificentia novus Equitum ordo locupletatus adeo crevit, ut Prioribus suis Lusitanis, quos ætate nostra *do Crato* appellamus, ex Regio Portugaliæ sanguine eformatis maxime fulgeat; præsertim Serenissimis Dominis D. Ludovico Pacis Juliæ Duce Felicissimi Emmanuelis Regis filio, D. Francisco Portugaliæ Infante Serenissimi Regis Petri II. filio, & D. Petro Portugaliæ quoque Infante Fidelissimi Regis Joannis V. nato; quos temporibus suis non prætermittam, si per Deum Immortalem sæculi hujusce, quo vivimus, Historiam contexuero. Insignes etiam per Lusitaniam militiæ hujus sunt Commendatarii *Grancrucii* quatuor, quos *Ballios* dicere consuevimus, *de Leça, Acre, Longo, & Negromonte*, præter vigintiquinque alios Commendatarios minores, quos aut in religione antiquitas, aut merita dignos extollunt.

Cum quidam Hospitalarii Fratres per Lusitaniam, & ceteras Hispaniarum provincias, qui administrationem, & Magistratum habuerant in domibus Hospitalis, & alii ejusdem ordinis, quod aliqua Magistrorum mandata dura existimarent, ad Cisterciensem ordinem se transferrent, Innocentius Papa III. ad Archiepiscopos Tarraconensem, Braca-

rensem, & Compostellanum literas dedit, curarent, nequis ex temeritate, vel levitate in jacturam, & ruinam sui ordinis, sub prætextu maioris Religionis ad alium transvolaret, nec Cistercienses Abbates eos reciperent; & si reciperent, tam recedentes Fratres Hospitalarios, quam Abbates recipientes contra debitam formam ii compellerent, ut ab hujusmodi desisterent præsumptione, vel Ecclesiasticæ censuræ subjicerentur. Hujus Epistolæ meminit Ballusius n. 178.

§. VI.
De Ordine Militiæ S. Juliani.

INter ceteros Equestres ordines, qui in Lusitania non tam floruerunt, quam ortum duxere suum, non est cur silentio obruatur nostro, qui S. Juliani dicebatur, & temporibus istis sub *Alcantaræ* nomine in Hispaniis floret. Legionenses quidam Equites, quos anteibat Suarius patria Salmantinus, inter se fœdere obstrinxerunt adversus Mauros vitæ suæ curriculo pugnaturi: quapropter terræ tractum hostium incursionibus obsistendis facilem petierunt. Ad Cudam flumen in Lusitania properantes, Eremitam Amandum nomine, qui militiæ quondam renuntiaverat soli Deo vacaturus, obviam facti invenerunt. Amando vitæ novæ propositum, ac desiderium declararunt, qui consultus arcem eo loco extrui hostibus expellendis aptissimam jussit prope sacellum suum S. Juliano dicatum, à quo, & ab oppido *do Pereiro*, ubi situm erat, S. Juliani *do Pereiro* novus militiæ ordo nomen accepit. Ad eam amplitudinem evectus est brevi, ut sub Rege Venerabili Alfonso Henrico Saracenis terrori esset. Ut indies in tam admirabili, sanctoque proposito perseverarent, de religiosa equestri vita deliberarunt. De Amandi consilio ad Salmanticensem profecti sunt Episcopum Ordonium, qui novam vivendi regulam, ac statuta firmavit.

Anno 1177. Summus Pontifex Alexander III. diplomate suo Apostolico roboravit; & anno 1183. Lucius III. & anno 1205. Innocentius III. privilegiis quamplurimis Julianos mili-

tes decorarunt. Primus hujus ordinis Prior fuit Suarius, cui successit frater suus D. Gomesius, qui Militiæ S. Juliani Magistri nomenclatura à Lucio Papa insignitur. Anno 1213. Alcantara ab Alfonso IX. Legionensi Rege devicta, Juliani Equites, illic domicilium suum collocarunt, Rege ipsomet largiente; ex Alcantara vocitari cæperunt; omnia, quæ per Lusitaniam possederant, amiserunt. In Hispaniis tamen hactenus florent primorum nobilitate, ac divitiis perillustres. Scapulare, quod genua tegebat, & capucio pro indumento utebantur; quod cum armis in bello tractandis non esset facile, in crucem in pectore gerendam Avisiensis ordinis non absimilem mutarunt.

CAP. VI.

De Canonicorum Regularium Monasteriis.

§. I.

De Monasterio S. Crucis Colimbriensi.

AB Incarnatione Domini anno 1131. octava indictione, Archiepiscopo Bracaræ Pelagio, Colimbriæ Episcopo Bernardo, Archidiaconus Tello sibi adjuncta procerum juxta Apostolorum numerum duodenarium manu, Monasterii Sanctæ Crucis in suburbio Colimbriæ jacere adortus est fundamentum. Vir ille religione plenus, de cujus vita alibi agam, in dies, ac noctes cæpit suum novi extruendi Monasterii urgere propositum, sed deficiebat adhuc locus, quem in civitatis suburbio his usibus satis, superque congruum invenit, sed qua ratione, quibusve machinis, vel quo consilio haberetur, ab eo ignorabatur. Petiverat namque quondam ipse Presbyter à Regina Tarasia, quæ promissum non dederat, quod in regno turbarentur omnia. (*a*) „ Venit ergo „ tempus „ ait Magister Petrus Alfardus, „ Ut desideratum „ Presbyteri Deus vellet adimplere propositum. Emerat for- „ te non sine Deo apud montem Petulanum quamdam, quam

(a) *De ejus Monasterii fundatione.*

„ vulgo ſellam appellare ſolent, nimis pulchram, & equitan-
„ di uſibus ſuperque decentem, quæ, dum die quadam ſe-
„ dens ſuper mulam per Colimbriam Archidiaconus ſolito
„ viam incedens regiam, ab aulicis viſa, cerneretur pulchra,
„ quidam de aulicis illis venuſtatem animo contemplans ro-
„ gabat Infantem, ut ab Archidiacono ſibi poſtularetur in
„ dono. Nec mora rogatus dat, ſubjiciens ſubtus Judæos
„ balneas regias munuſculum pro pretio.

„ Sed quia regia cenſura aliter, quam noſtra agitatur
„ cauſa, Piiſſimus Princeps animi hilaritatem frontis extenſio-
„ ne, & faciei jucunditate oſtentans, dixit Archidiacono ſe
„ prius rem viſurum, illud recogitans Salomonis ſapientiſſimi
„ Regis, Omnia fac cum conſilio, ne pœnitearis. Deus autem
„ ex alta providentiæ ſpecula ſancti Presbyteri ſui favens de-
„ ſideriis, regis, ejuſque dapiferi, qui omnibus ſequenti gra-
„ du præerat, Ermigii, maximi, & prudentis viri, & noſtri
„ Domini Regis ſuper omnes Conſiliarii auriculam revelavit,
„ ut faveret totis Archidiaconi conſiliis. Quo & factum eſt.
„ Nam & chartam regiis ſignis adnotata ſic ſcribitur.

„ Ego Inclytus Infans Domnus Alfonſus bonæ memo-
„ riæ Magni Alfonſi Imperatoris Hiſpaniæ nepos Comitis
„ Henrici, & Reginæ Taraſiæ filius, vobis Telloni Archidia-
„ cono facio chartam donationis, & firmitudinis de illis bal-
„ neis regalibus, quæ ſunt in ſuburbio Colimbriæ, ſub Ar-
„ ravalde de illis Judæis. Do, & concedo vobis, illa balnea
„ cum ſuis locis, & terminis antiquis cum ſuo fonte, & aquæ
„ ductu, ſicut fuit in diebus Alvazil Domni Siſnandi, habea-
„ tis vos illa prædicta balnea firmiter jure hæreditario, &
„ faciatis de illis quidquid vobis placuerit, & hoc facio pro
„ bono ſervitio, quod mihi feciſtis, & amore cordis mei, quem
„ erga vos habeo. Si autem aliquis tam de extraneis, quam
„ de propinquis hoc factum meum irrumpere voluerit (quod
„ fieri non credo) vobis, vel qui vocem veſtram pulſaverit
„ illam hæreditatem cum quanto fuerit meliorata componat
„ in quadruplum, & regiæ poteſtati, quod liber Judicum præ-
„ cepit, & in imo Tartarii habeat portionem. Facta charta do-

,, nationis, & firmitatis V. Idus Decembris Era MCLXVIII.
,, Ego Inclytus Domnus Alfonſus hanc chartam propria ma-
,, nu roboro. Qui præſentes fuerunt Ermigius Monis Curiæ
,, Dapifer. Ferdinandus Alferes Conf. Annaia Gueſtruris
,, Gundiſalvo Dias Conf. Alfonſus Pelvis Conf. Randulfus te-
,, ſtis. Alvito teſtis, Suario teſtis, Petrus Cancellarius In-
,, fantis.

,, Emit etiam hortum ab Epiſcopo Bernardo, & ejus
,, Canonicis juxta ſe poſitum fontem aquarum habentem lar-
,, giſſimum, juxta quem ordinavit fieri clauſtrum. Unde Dei
,, Sacerdos, nacta fabricandi libertate, ſocios ſibi, tantique
,, adjutores operis adſcivit, non jam duodecim numero, ſed
,, ferme ſeptuaginta duos, Joannem Peculiarem, qui Portus
,, Gayæ Epiſcopus, poſt mortem Pelagii Bracaræ præficitur
,, Archiepiſcopus: Theotonium ejuſdem Monaſterii Priorem;
,, Odorium S. Jacobi Presbyterum; & alios, quorum nomi-
,, na videtur ſupravacaneum in hac adſcribi pagina, cum
,, in divina pro eorum meritis coram Deo quotidie reciten-
,, tur tabula. ,, Hactenus Magiſter Alfardus: ſed ex anti-
quiſſimis hujus Monaſterii archivi monumentis tam inſignium
Virorum nomina ſuæ antiquitatis ordine poſterorum memo-
riæ tradere non pudeat, imo plenum ſit gaudium in exem-
plum. Videlicet D. Joannes Peculiaris Bracarenſis poſtea Ar-
chiepiſcopus, de quo ſatis alibi. D. Arius Forjas, qui vir-
tutibus clarus die 17. Septembris anno 1169. ab humanis ex-
ceſſit, D. Menendus poſtea Lamecenſis Epiſcopus, qui Era
1207. in Epiſcopatu vivebat ex veteri libro *dos Foraes* ejuſdē
Monaſterii. Magiſter D. Petrus Alfardus, de quo infra. D. Za-
lame Godinus Abbas S. Thomæ de Mira, qui prima die Ju-
nii anno 1158. vitam finiit. D. Honorius, ſive Odorius Prior
S. Jacobi Colimbrienſis Eccleſiæ, qui ſeptima die Auguſti
anno 1160. obiit, D. Ovecus, D. Joannes Theotonius, qui
ejuſdem Monaſterii poſt S. Theotonii obitum ſecundus Prior
fuerat, & vigeſima nona die Octobris anno 1181. obiit. D.
Petrus Menendus Canonicus Sedis Colimbrienſis, qui die de-
cima quarta Aprilis anno 1153. ſpiritum ſuum Deo reddidit,

D. Sesnandus Abbas S. Mariæ Montis Maioris, qui annis, & meritis clarus tertia die Novembris anno 1164. obdormivit in Domino, & S. Theotonius, cujus res clarissime gestas infra describam; qui licet ultimus à Tellone in novum collegium advocaretur, in prædictis monumentis primum in subscribendo locum occupat, quod omnium Prior esset electus.

„ Posuerunt juxta hanc auctoritatem (*prosequitur Al-*
„*fardus*) primum fundamenti lapidem quarto Kalendarum
„ Julii Petri, & Pauli Apostolorum Principum vigilia. Tu es
„ Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,
„ & mirum in modum balnea commutantur, ut quia hic ab-
„ luerentur hominum corpora, quodam Dominicæ Crucis,
„ & aquæ Baptismatis secreto, Redemptionisque cruoris ora-
„ culo efficeretur Sanctæ Crucis Ecclesia . . . . Anno nondum
„ revoluto sexto Kalendarum Martii, festivitate Mathiæ A-
„ postoli feria quarta in capite jejunii armati sunt Apostolorum
„ proposito sub habitu degentes, & regula Beati Augustini,
„ hanc Deo Antiphonam digne cantando = Immutemur ha-
„ bitu in cinere, & cilicio: jejunemus, & ploremus ante
„ Dominum, quia multum misericors est dimittere peccata
„ nostra Deus noster. His rite, & juxta Dei voluntatem com-
„ positis, orta est intolerabilis supra quam dici potest sedi-
„ tio, Canonicis Sedis Sanctæ Mariæ Archidiaconum cogen-
„ tibus sibi loci, Monasteriique fieri debere testamentum.
„ Unde vir tanta sapientia præditus animi virtute proster-
„ natus, & inhabitantibus supereminens illorum Sedis Cano-
„ nicorum periculum, & loci libertatem esse utilem, quam
„ cuivis foret pervium, recogitans altius cæpit cum adjunctis
„ sibi sociis, casibus, & fortunis providere futuris, & de loci
„ libertate tractare propensius. Occasione itaque satis com-
„ moda sedis pro libertate accepta, proficiscitur Romam,
„ Sanctæ Crucis Monasterii, totiusque proprietatis faciens so-
„ ciis ipsum inhabitantibus, tam futuris, quam præsentibus
„ testamenti devota mente, & firmitudinis seriem. Deinde
„ vale licens fratribus lacrymans cæptum pergit iter, & id
„ exemptionis Monasterii privilegium ab Innocentio II. pro-
„ pria manu roboratum promeruit.

En primum Sanctæ Crucis Monasterii exemptionis, ac libertatis monumentum : „ Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis filiis Odorio Priori, & fratribus Ecclesiæ Sanctæ Crucis in Colimbriensis Civitatis suburbio sitæ, eorumque successoribus canonicam vitam professis in „ perpetuum. Desiderium quod ad Religionis propositum, & „ animarum salutem pertinere monstratur, auctore Deo, sine „ aliqua est dilatione complendum, ut fidelis devotio celerem „ sortiatur effectum. Proinde dilecti in Domino filii per interventum filii nostri Tellonis Colimbriensis Archidiaconi, „ vestris postulationibus affectione paterna gratum prabemus assensum, & Ecclesiam S. Crucis, in qua divinis estis „ obsequiis mancipati in Beati Petri tutelam, protectionemque suscipimus, & præsentis scripti pagina communimus : „ statuentes ut Ordo Canonicus, qui secundum Beati Augustini regulam ibidem, cooperante Domino, noscitur institutus, perpetuis temporibus, inviolabiliter observetur. Sane „ possessiones, & bona, quæ aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, oblatione fidelium, seu aliis „ justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, vobis, „ vestrisque successoribus, & per nos prædictæ Ecclesiæ S. „ Crucis præsenti privilegio confirmamus. Decernimus ergo, „ ut nulli omnino hominum liceat prænominatam Ecclesiam „ perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare : sed „ omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione, & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis „ profutura : salva nimirum Diœcesani Episcopi reverentia. „ Ad indicium autem perpetuæ hujus à Romana Ecclesia libertatis duos bisantios annis singulis nobis, nostrisque successoribus persolvetis. Siqua igitur in futurum ecclesiastica, „ sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam „ sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo, tertiove commonita, si non satisfactione congrua reatum suum „ correxerit ; potestatis, honorisque sui dignitate careat ; „ reaque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate,

„ cognoſcat: & à Sacratiſſimo Corpore, & Sanguine Dei, & „ Domini noſtri Jeſus Chriſti aliena ſit, atque in extremo exa- „ mine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem Ec- „ cleſiæ ſua jura ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chri- „ ſti: quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiat, & „ apud diſtrictum Judicem præmia æternæ pacis inveniat. „ Amen, Amen, Amen *Locus ſigilli.* Ego Innocentius Ca- „ tholicæ Eccleſiæ Epiſcopus, Ego Lucas Presbyter Cardi- „ nalis tituli Sanctorum Joannis, & Pauli. Ego Guido Dia- „ conus Cardinalis Sanctorum Coſmæ, & Damiani. Ego „ Chriſogonus Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Portu. Da- „ tum Piſis per manum Almerici S. R. E. Diaconi Cardina- „ lis, & Cancellarii VIII. Kal. Junii Indictione XII. Incarna- „ tionis Dominicæ anno 1135. Pontificatus Domini Innocentii „ ſecundi anno ſexto.

Erga Monaſterium amore plenus Innocentius ad Alfonſum, & Bernardum Colimbrienſem Epiſcopum hujuſmodi literas miſit: *Innocentius Epiſcopus Servus Servorum Dei Dilecto in Chriſto filio, Illuſtri Viro Alfonſo Portugalenſium Duci ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Quod perſonam, & honorem tuum paternis affectibus diligamus, ſæpe cognoſcere potuiſti. De tua itaque nobilitate plurimum confidentes rogando mandamus: quatenus ſicut nos pro Colimbrienſi Eccleſia tuis precibus acquievimus, ita nihilominus pro Eccleſia Sanctæ Crucis Colimbrienſis poſtulationes noſtras exaudias: ut videlicet pro Beati Petri, & noſtra reverentia, fratres ejus loci attentius diligas, & honores, & à nullo infeſtari permittas. Per hoc namque tam in præſenti, quam in futuro ſæculo maiorem laudem, & gloriam conſequeris. Datum Piſis XIII. Kalendas Junii.*

Innocentius Epiſcopus Servus Servorum Dei Venerabili fratri Bernardo Epiſcopo, & dilectis clero, & populo Colimbrienſi ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. In Beati Petri cathedra, diſponente Domino conſtituti, Colimbrienſem Eccleſiam, & vos ipſos paterno affectu diligimus: & veſtris poſtulationibus ſecundum Deum aſſenſum præ-

præbemus : ceterum gratum nobis est, quod in Ecclesia S. Crucis, quæ in civitatis suburbio sita dignoscitur, cooperante Domino, religionem accepimus institutam. Ea propter dilectionem vestram rogando mandamus, ut locum ipsum, & fratres inibi Domino famulantes pro Omnipotentis Dei reverentia diligatis, & propensius honoretis; nec eis injuriam, aut molestiam inferatis, nec inferri ab aliis patiamini, quatenus & ipsi libentius, & quietius divinis valeant vacare obsequiis; & vos pro impensa eis benevolentia tam temporaliter, quam spiritualiter ab Omnipotēti Deo retributionem percipere mereamini. Datū Pisis XIII. Kal. Junii.

Incredibile quidem fit quot Regis, ac fidelium largitionibus brevi ditatum est Monasterium; quot Romanorum Pontificum privilegiis à suæ conditionis primordiis fuit locupletatum. Michael Colimbriensis Episcopus, qui ejusdem Monasterii fuerat Canonicus Era 1200. statuit, ut Monasterium cum suis Parochiis, & Parochianis, & Confratribus ab omni Episcopali jure, & exactione omnino esset liberum, ut omnes Ecclesias in castro Leirenæ, Sancti Romani, & Sanctæ Marinæ de Sena, S. Joannis de Alcoba, de Mira, de Talaveiro, & illas, quæ noviter ædificarentur, & quidquid Venerabilis Rex Alfonsus dederat, possideret, ut nec ipse, nec aliquis ex successoribus decimas exigere præsumeret. Siquis ad Ecclesiam converti vellet, & ibidem religionis habitum assumere, nullus prohiberet; sepulturas ejusdem loci liberas concessit, ut videlicet quicumque Clericus, sive laicus se illic sepelire deliberaret, ejus devotioni, ac extremæ voluntati nullus obsisteret, nisi forte antea pro aliqua causa rationabili esset excommunicatus, ita tamen ut de suis bonis Ecclesiæ suæ partem faceret. Chrisma quoque, oleum sanctum, consecrationes altarium, seu basilicarum, ordinationes Clericorum gratis exhibuit: ut Episcopus Colimbriensis ibi non haberet quamlibet potestatem imperandi, vel prohibendi, vel aliquam ordinationem quamvis levissimam faciendi, nisi esset rogatus, quatenus Canonici semper manerent in maiorum

suorum perfecta libertate. Et siqua forte causa inter Monasterium, & Colimbriensem Sedem eveniret, & pacifice inter se non posset terminari, apud religiosos viros Dominum timentes sine voluntaria dilatione finiretur: ut Episcopi, & Priores suæ sedis specialiter in Neucrologio conscriberentur, & pro omnibus Canonicis in unoquoque anno communis commemoratio fieret. Libertatis chartam firmavit ipse cum Rege Alfonso, & suæ Ecclesiæ Canonicis, ut ex Magistro Petro Alfardo in veteri manuscripto codice, quem sanctum appellamus, fit palam.

Exemptionem hancce à Michaele concessam firmavit Alexander III. Summus Pontifex 17. Kalendas Septembris Indictione 11. anno Incarnationis Dominicæ 1163. anno 4. sui Pontificatus, datis literis ad Joannem Priorem Ecclesiæ Sanctæ Crucis, quæ incipiunt: *Ad hoc universalis Ecclesiæ cura*, & in ejusdem Monasterii archivo asservantur. Enim vero, aliquot elapsis annis, Petrus Suarius Colimbriensis Episcopus factus Monasterii exemptionem turbavit, ad Romanum Pontificem Innocentium III. accessit, ut alibi dictum est, conquestus omnia à Michaele Episcopo decessore suo fuisse concessa de Canonicorum assensu per *præconem* Episcopi, & *portarium* Regis extorto: Petrus Alvares Nogueira Colimbriensis Canonicus in libello de Episcopis Colimbriensibus in vita ejusdem Episcopi Michaelis addit tam ipsum Episcopum, quam Regem Alfonsum Canonicos consentire renuentes alios in carcerem misisse, alios in exilium, alios bonis multasse: quapropter cum Canonicorum consensus fuisset per minas, & terrorem extortus, actus celebratus rescinderetur; tamquam per gravem metum elicitus. De Venerabili Rege Alfonso morum sanctitate conspicuo facile id non crederem: conquerebatur etiam Petrus Michaelem duo millia morabitinorum, quæ adquisierat in Episcopum jam promotus, eidem dedisse Monasterio in suæ Ecclesiæ præjudicium.

His auditis, Innocentius ad Decanum Olyssiponensem, & Petrum Frodis Priorem Monachum de Alcobatia scripsit Epistolam, quæ est 224. apud Stephanum Balusium, & 19.

apud Eminentiſſimum de Aguirre, quatenus partibus convocatis, diligentius de præmiſſis inquirerent veritatem; & ſi privilegium ipſum in grave diſpendium Colimbrienſis Eccleſiæ redundaret, auctoritate Apoſtolica, appellatione remota, legitime revocarent. Baluſius ipſe aliam Innocentii Epiſtolam exſcripſit n. 332. ad Decanum Olyſſiponenſem, de Alcobatia, & S. Mariæ de Carcadi Priores datam Reate II. Idus Auguſti anno 1. Pontificatus; quibus eadem cauſa agnoſcenda cōmittitur. Verum cum ad Innocētium eſſet appellatum; & pro Canonicis Monaſterii nullus compareret reſponſalis, ejuſdem Priori, & Canonicis in virtute obedientiæ diſtricte præcepit literis ſuis Kalendis Decembris (quæ extant in Codice Epiſtolarum Innocentii III. à Guillelmo Sirleto S. Romanæ Eccleſiæ Cardinali) ut uſque ad feſtum omnium Sanctorum proxime futurum per ſe, per procuratoreſve idoneos ad Sanctam Sedem accederent, ſuper privilegiis omnibus, & libertatibus, quæ à Romanis Pontificibus, vel à bonæ memoriæ Colimbrienſi Epiſcopo ſe obtinere dicebant, & ſuper aliis à Colimbrienſi Eccleſia intentatis definitivam ſententiam recepturi: interim autem utrique parti liceret coram Abbatibus de Alcobatia, & de Seiça, & Ferdinando Menendo Monacho Alcobatiæ proponere, ac probare, ſiquid aliud proponendum ducerent, ac probandum.

Poſtmodum cum Epiſcopus Colimbrienſis acceſſiſſet, ſupervenerunt duo Canonici Sanctæ Crucis, qui nec literas habebant delati, nec procuratores ad hanc cauſam fuerant deſtinati: verum Epiſcopus animum Sanctii Portugaliæ Regis, qui adverſus eum hac de cauſa erat motus, placatum reddere ſibi volens convenit cum Canonicis iis, ut Epiſcopo Zamorenſi, & Zamorenſi, ac Aurienſi Decanis cauſa eadem committeretur terminanda: quapropter Summus Pontifex Innocentius III. cauſam tradidit judicibus his principalem cum incidentibus jam ex probationibus coram Abbatibus Alcobatiæ, & Seiçæ inſtructam. Licet ſuper judicum juriſdictione diu fuerit certatum occaſione compromiſſi facti inter Decanum Colimbrienſem, & Procuratores Monaſterii in Regem ipſum,

ac Priores da Costa, ac Vimariensem, Innocentius pronuntiavit illud impedimento non esse quominus delegati Zamorenses ex commissione sua in causa possent procedere. Judices autem de causa actum esse credentes sua sententia infirmarunt libertatem, quam Michael Colimbriensis Antistes Monasterio contulerat Canonicorum assensu per *portarium* extorto.

Ast Monasterii procurator proposuit sententiam non valere, nec tenere; quod si alias etiam illa teneret; quia Monasterium fuerat indefensum, nec exhibita fuerant coram eis libertatis privilegia, ne delictum personæ in Ecclesiæ damnum redundaret, ad privilegia exhibenda debebat admitti, quod sibi concedi de Sedis Apostolicæ benignitate postulavit. Igitur Innocentius aspiciens, quod privilegia non solum pro Monasterii libertate facerent, verum & suum jus, & Ecclesiæ Romanæ justitiam tuerentur, ne in hanc Monasterii læsio fieret, ad privilegiorum exhibitionem partem de gratia duxit admittendam. Itaque inter libertatem ab Episcopo Michaele Ecclesiæ ipsi concessam, & libertatem, quam ei longe ante tempus ipsius Episcopi Apostolica Sedes indulserat, distinxit: illam ab Episcopo datam (per extorsionem) irritam decrevit, & inanem, ac super id sententiam delegatorum judicum confirmavit aliam a prædecessoribus suis, Innocentio II. ac Lucio II. indultam libertatem, in cujus possessione tandiu fuerat Monasterium, auctoritate Apostolica confirmavit: & sententiæ delegatorum judicum in nullo super hoc derogavit, cum ipsi de hac libertate non agnoscerent. Antiquissimam Monasterii exemptionem pertractarunt quotquot in cap. cum olim 14. de Privilegiis Commentarios suos ediderunt clarissimus Augustinus Barbosa, Emmanuel Gonzales Telles, & alii.

Exemptionis libertate ab Innocentio II. concessa utebatur Monasterium in S. Joannis parochia, quæ propter magnam locorum distantiam Sacramentis facilius ministrandis parum commodam in quinque filiales postmodum partita est, S. Joannis da Quintam, S. Martini de Athianha, S. Augusti-

ni de Antozede, & S. Michaelis da Ribeira, & aliam de Valdecoelha in Lamecensi Episcopatu. Limites parochiæ Sanctæ Crucis ita describuntur in charta, quæ a Magistro D. Petro Alfardo scripta est in ejusdem Monasterii archivo: *Isti sunt termini parochiarum de Monasterio Sanctæ Crucis, quos Joannes Peculiaris Archiepiscopus Bracarensis, & Bernardus Colimbriensis Episcopus cum Roderico Prætore Colimbriæ, & Gundisalvo Dias, & Martino Anaia, & Suario Gotterris, & Salvatore Zoleimas, & Fernando, & Pelagio Gutterri, & Martino Zouparel, & Menendo Pelais, & Fromarigo Gutterri tunc temporis Maior domo civitatis, & Petro Menendis Judice, & multis aliis Civibus Colimbriæ determinaverunt per mandatum Infantis Portugalis, Domni Alfonsi, qui tunc Colimbriæ erat. Ab Africo terminatur per ripam Judæorum descendendo per casam Gundisalvi transversi ad casam Golias, per illam Almocovaram Judæorum ad Almuniam Regis, quæ tota includitur cum suis terminis, & parietibus antiquis, sicut eam Rex dedit Monasterio Sanctæ Crucis: & in fine ipsius Almuniæ includitur etiam ab Africo illa hæreditas, quæ fuit Salvatoris Zuleime, & nunc est hæreditas propria Sanctæ Crucis, & pervenit terminus ad illam aliam Almuniam Regis, ibique terminatur in occidente. Ab Aquilone vero versus orientem terminus descendit per viam antiquam, quæ venit de Columbario Petri Alpoi; per illum furnum ad portam Mauriscam; & à porta Maurisca includit hæreditatem Martini Alfarde, & pervenit ad torrentem de balneis Regis, & inde descendit ad præfatam aliam Almuniam Regis inferiorem, ibique finitur terminus à septemtrionali parte in occidente. Item ab ortu Solis ascendit à prædicto columbario per crepidinem montis rubei ad vineam Petri Alpoi, quæ nunc est de Monasterio Sanctæ Crucis: & inde emergit prope modum usque ad fontem Judæorum: unde per directum versus Eurum tendit ad murum civitatis, ibique terminatur super portam novam. Jam quidquid aliud est usque ad Gundisalvum transversum,*

Vicus Judæorum separat. Facta est autem hæc descriptio, sive determinatio inter Parochianos Sanctæ Crucis, & inter Parochianos S. Jacobi, & S. Justæ Era 1175. Mense Junio, regnante Illustrissimo Infante Domno Alfonso, & tunc Archiepiscopo Bracaræ D. Joanne Peculiari, & Domno Bernardo Colimbriensi Episcopo, Priore Sedis S. Mariæ D. Joanne Anaia: tempore Domni Theotonii primi Prioris Monasterii S. Crucis anno ab Incarnatione Domini 1137.

Hic prætereundum non est juxta S. Crucis Monasterium extitisse Judæorum synagogam, quæ non tantum ex dicto monumento, verum & ex aliis constat, quæ in ejusdem Monasterii archivo reperiuntur. Honorius III. Laterani VI. Nonas Maii anno Domini 1217. sui Pontificatus I. Priori, & Conventui nostro concessit facultatem corrigendi excessus Clericorum, qui in Ecclesiis Monasterii exemptis degerent. Postquam Prioratus ad triennium tantum adstrictus est, omnem jurisdictionem quasi Episcopalem ejusdem Monasterii Prioribus concessit Paulus III. Summus Pontifex anno 1535. die 7. Kalendas Maii in literis, ait: *Monasteriium Sedi Apostolicæ immediate subjectum per Priorem gubernari solitum Sanctæ Crucis Colimbriæ Ordinis S. Augustini*, & infra ibidem: *Prior claustralis, durante triennio, omnem in spiritualibus, & temporalibus in dicto Monasterio, ac illius Capella S. Joannis eidem Monasterio contigua, in qua dilectis filiis Parochianis Ecclesiæ ipsius Monasterii, quæ etiam Parochialis existit, Ecclesiæ Sacramenta ministrantur, nec non in Canonicos Porochianos, & personas ejusdem Monasterii jurisdictionem, dominium, potestatem, correctionem, & superioritatem exerceat, ac infra clausuram ipsius Monasterii cum omni sua jurisdictione in spiritualibus, & temporalibus continue resideat.* Ast posteriora sæcula non percurram, duodecimo tantum sistam.

Alexander III. Romanus Pontifex anno Domini 1163. decimo septimo Kalendas Septembris ad Domnum Joannem Theotonium Monasterii Priorem, ceterosque Canonicos li-

teras dedit, ut deinceps post Joannis ipsius mortem Prior a fratribus libere eligeretur: quod certitudini fundamento est nemini in Monasterio jus fuisse patronatus. Cælestinus III. anno Domini 1196. Pontificatus sui 5. ad Domnum Joannem Froile V. Monasterii Priorem scripsit privilegium concessurus, ut eidem, & successoribus licitum esset *intra ambitum Ecclesiæ Sanctæ Crucis, & in festivis, & solemnibus diebus mitbra, & annulo insigniri; & contra ejusdem Ecclesiæ antiquam consuetudinem extra eandem Ecclesiam iisdem insigniis evagari.* Ea erat erga Monasterium Cælestini benevolentia à tempore, quo in Lusitania legatus Apostolicus Hyacinthus nomine illud visitaverat, ut Romanus Pontifex factus Monasterii immunitates firmaverit, & ipsum Apostolicam Cameram, & Divi Petri patrimonium cognominaverit: quamobrem in veteri Monasterii Neucrologio Monasterii Pater, ac Defensor sic inscribitur sexto Idus Januarii. *Obiit Dominus Cælestinus Papa III. Pater, & Defensor Monasterii S. Crucis anno* 1197.

Nec tantum Romanorum Pontificum, ac Lusitaniæ Regum largitionibus ditabatur Monasterium, verum & piorum virorum, qui bona sua, ac hæreditates ad Prioris manus offerebant, aut in claustro communem vitam acturi, aut extra claustra Deo facilius vacaturi. Quot viri sanctitate insignes ibi floruerunt? Hispaniarum, ac Lusitaniæ Ecclesiæ testantur, ad quarum regimen assumpti sunt, & advocati: testabitur etiam ipsa Historia suis locis, ac temporibus. Nec viri tantum, imo & nobilissimæ fœminæ saluberrimis Canonicorum institutis perficiebantur. Duplex enim erat Monasterium; fœminæ quippe regularem vitam amplexæ contiguæ erant sub S. Prioris Theotonii disciplina: à cujus, ac successorum manibus habitum, ac sacrum Virginum vellus suscipiebant, inclusæque appellabantur, ad aliarum diversitatem, quæ sub obedientia, & in castitate Canonicarum habitu in privatis domibus degebant, ut ex quamplurimis constat donationibus, quæ inter nos asservantur. Ex Canonicis fœminis prima reperitur Domna Monia, quam S. Theotonius

in Canonicam induit, cujus memoria traditur in suæ professionis, ac testamenti charta, quæ in Monasterii archivo custoditur.

Ego Monia Martini filia, timens ultimi judicii diem, trado meipsam Deo, & Colimbriensi Monasterio S. Crucis, ac vobis quoque Domno Theotonio ejusdem Monasterii Priori, & ceteris Canonicis ibidem in perpetuum commorantibus; & offero ibi mecum Villam nomine Almassam integram juxta flumen Mondeci sitam, pro qua ego dedi aliam Villam, quæ dicitur Terroso, ultra Dorium. Offero etiam mecum sextam partem de Villa Seapanes, quam habui ex meo patrimonio .... Trado itaque me cum omni possessione mea, sicut dictum est, Monasterio S. Crucis; & hoc facio pro remissione animæ meæ, meorumque parentum: .... Facta hujus testamenti, & professionis meæ charta mense Martio Era 1175. Ego Monia, quæ hanc chartam facere jussi coram testibus idoneis, cum propria manu robo ✠ ro, & confirmo.

Quam vitæ religiosæ austeritatem degebant in Monasterio Canonici quis non mirabitur? Choro assidue intererant; die, ac nocte orationibus vacabant, dum quiescebant alii, psalmis vigilabant alii; carnibus, Dominicis diebus exceptis, abstinebant; duobus diebus in hebdomada piscibus vescebantur, alios tres pane, & aqua jejunabant, Sabbato olera in refectionem addebant. Claustra egredi non consueverant; silentium omni tempore, & loco servabant, tempore excepto, quod à capitulo usque ad Tertiam recitandam excurrebat à Pascha usque ad diem 14. Septembris. Pueros in Monasterio instruebant. Eorum vestimentum tunica erat alba, superpeliceum, cucullus, & aliquando in choro pallium magnum: quod certo constat ex vetustissimis Constitutionibus, quas venerationis ergo sanctas appellamus, servamusque in Bibliotheca. Canonicorum Regularium S. Rufi in Galliis ritus, ac mores tenendos decreverunt pari omnium consensu, & à nullo in posterum mutandos. Quapropter Domnum Petrum Presbyterum Salomonis filium ad S. Rufi Canonicos miserunt his literis datis.

Domi-

Dominis, & Patribus S. Rufi Abbati Willelmo, Sancto, religiosoque Conventui, Theotonius S. Crucis Prior, etsi indignus, atque humilis congregatio morum disciplinæ, & vestrarum medelæ animarum qualemcunque partitionem. Quantas Deo, vestræque sanctitati pie persolvemus grates pro benevolentia, & charitate devota in Dominicum Diaconum, & Joannem tunc Magistrum, nunc autem Archiepiscopum, & Tellonem Archidiaconum, cujus anima requiescat in pace (ii omnes Roma per Gallias venientes S. Rufi adierant Monasterium. *Et nunc quia vestri cæpimus esse discipuli, quod nondum habuimus per Dominicum, per fratrem ejus Petrum pro amore fraternitatis mandari nobis subnixe obsecramus; valete.* Remansit itaque Domnus Petrus apud S. Rufum annum ferme integrum, scrutans si aliquid Canonicis nostris deesset, vel in more, seu aliqua Ecclesiastica doctrina. (*a*) Omni tamen Ecclesiastico ordine perfectus adduxit Capitularium integrum, Antiphonarii morem, Augustinum super Joannem, item super Genesim ad literam, super quasdam quæstiones Matthæi, & Lucæ, Exameron Ambrosii, item de Pœnitentia, item Pastoralem, & Bedam super Lucam; qui Codices manuscripti antiquitate sua plurimi faciendi diligentissime apud nos custodiuntur. Ex antiquo igitur Ordinario, quod è S. Rufi Canonicis transmissum fuerat, & à nostris observatum, constat cap. 147. per Lusitaniam id temporis vigere adhuc disciplinam, ac consuetudinem parvulis in Baptismo sacram tribui Eucharistiam: ibidem namque decernitur adultos Paschalibus festis baptisatos jejunos fore, ac parvulos nutricum ubera non sucturos antequam Eucharistiam sumerent.

(a) *Ex Mag. Petro Alfardi in Codic. manuscripto.*

Plurima alia circa Ecclesiæ disciplinam, ac ritus Lusitaniæ ex eodemmet libro referenda sunt: à Sabbato Sancto usque ad aliud ante Dominicam in Albis baptismate recens abluti vestibus candidis induti Sanctissimo Christi Corpore reficiebantur, & absolutis Vesperis ad baptisterium processione incedebant, donec vestes albas deponerent, quas in Baptismo susceperant. Eulogiarum usus etiam erat, Domi-

nicis, ac diebus solemnibus; peregrinis, & iis, qui in Paschæ festivitate non communicarent, distribuebantur: de oblationibus, quæ offerebantur à populo, vel de panibus, quos offerebant fideles ad Ecclesiam, vel certe de iis, quos offerebant Canonici, Presbyter convenienter partes incisas habebat in vase nitido, ut post missarum solemnia acciperent, qui communicare non fuerunt rati. Circa mortuos in Ecclesiis terræ mandandos à prioribus sæculis descitum non erat; persuasissimum quippe Canonicis iis pene fuerat Ecclesias dehonestari, inquinari altaria, si ibi contumularentur alii, quam Martyres, vel longo pœnitentiæ curriculo incruentam martyrii palmam adepti. Cœmeteria erant in Monasterio, aliud pauperibus tumulandis, aliud Canonicis; Episcopi, viri insignes, ac Regum filii in claustro ad parietem sepeliebantur, Priores in capitulo, Reges ipsi in Ecclesia, sed sepulcrum eorum complanabatur, soloque æquabatur; quod observatum est in Venerabilis Regis Alfonsi sepultura.

De Canonicorum erga pauperes misericordia quid non referam? Beati ii, qui intelligebant super egenum, & pauperem: juxta Monasterium pauperibus, ac peregrinis suscipiendis hospitale extruxerunt, quibus diligentissimi ministrabant; redditus annuos destinarunt, quos meminit Domnus Joannes de Taide Monasterii tertius Prior in literis ad Domnum Pelagium S. Vincentii Olyssiponensis Priorem, qui eum ea de re consuluerat. *Dilectis fratribus, & amicis Pelagio Dei gratia Sancti Vincentii Priori, suoque conventui Joannes S. Crucis Prior, & ejus capitulum salutem. Ex relatione fratrum vestrorum G. G. didicimus quoniam ad refectionem infirmorum, & adventantium pauperum, hospitale construxistis; verum quia parvitatem nostram super his de quibus nostro hospitali decimas damus, consulere voluistis, taliter vobis secundum Augustini præcepta respondemus, qui ait: oportet, ut Prælati Ecclesiæ præcedentium Patrum exempla sectantes aliquod præparent receptaculum, ubi pauperes colligantur, & de rebus Ecclesiæ tantum ibidem deputent, unde sumptus necessarios juxta pos-*

ſibilitatem rerum habere valeant, exceptis decimis, quæ de Eccleſiæ villis ibidem conferuntur. Ideo nos à minimis incipientes uſque ad maiora de omnibus eidem decimas damus, ita quod etiam ova cum ipſo decimamus. Præterea Clerici, qui ſub noſtra juriſdictione vivunt, hoſpitali noſtro ſuas decimas fideliter perſolvunt. Inſuper ſi contingat fratres noſtros de grangiis nobis piſcatum coctum, vel crudum, vel ſartaces, vel aliquid tale mittere, totum decimamus, redditus noſtrarum hæreditatum de venditione panis, & vini, & aliis directuris, quam Prior, vel Præpoſitus pro utilitate Monaſterii mandant facere, decimamus. Præterea de Sementeira, quam in grangiis ad ſeminandum relinquimus, ſuam partem hoſpitali aſſignamus; ſiqua quippe Eccleſiaſtica, ſeu ſæcularis perſona intuitu miſerationis, victum crudum, vel coctum nobis miniſtraverit, ſuam ſimiliter juſtitiam hoſpitali non denegamus. De mortuariis omnibus, & de denariis, ſeu aliis oblationibus, quæ altari offeruntur, & de cera, quæ de grangiis, ſeu de aliis locis ad Sacriſtam venerit, ſua pars fideliter hoſpitali reſervatur. Valete ſemper in Chriſto, eadem menſura, qua menſi fueritis, remetietur vobis.

Is erat erga pauperes, ac peregrinos in hoſpitali Canonicorum affectus, ut iidemmet ſecundum veteres Conſtitutiones in Sabbatis per totum annum in hoſpitali Mandatum agerent in pauperum pedum lotione; in Quadrageſima vero ſingulis diebus tribus pauperibus poſt miſſam, & tribus poſt completorium, euntes ad hoſpitale nudis pedibus pſallendo, pedes abluerent. Tandem Monaſterium iſtud virtutum omnium erat viridarium, quarum odor etiam ultra Luſitaniam diffundebatur. Monachum quemdam Ciſtercienſem in Gallia fertur in ſpiritu viſionem vidiſſe, aream ſcilicet in medio maris, quæ undique fluctibus impetebatur; & ſeniorem candida veſte indutum undarum fluxum detinere, ne, qui in area ſervabantur, mergerentur. Colimbriam inde adventaſſe Monachum, & cum Theotonio colloquutum, eundem agnoviſſe, quem in viſione viderat, Monaſteriumque

fuisse aream, in qua Domini triticum erat à sæculis fluctibus immune. Hyacinthus Cardinalis legatus, postea Romanus Pontifex Cælestinus III. Alexandri III. nomine Lusitaniam veniens, & Monasterium istud ingressus devotione adeo profusus est, ut ad Pontificium solium evectus privilegia sua firmaverit. Canonicorum Monasteria, quæ per Lusitaniam id temporis florebant, sub S. Crucis Canonicis in meliorem perfectionis frugem reparabantur; Monasterio huicce suarum virtutum debebant incrementum. Venerabilis Domnus Egas in Reformatorem Villæ bonæ assumptus est; venerabilis Domnus Garcias in S. Georgii; venerabilis Domnus Petrus Joannes in Monasterium de Arganil; venerabilis Domnus Joannes Peculiaris in Ecclesiolæ, Beatus Menendus in Fundatorem Monasterii de Ribas. Alii quidem insignes viri ibidem sanctimonia, & literis enituerunt, quos suis locis non tacebo.

In libro Erarum ejusdem Monasterii id portentum fertur anno Domini 1199. contigisse: *Tertio Nonas Junii in eadem die, qua Christus passus est sexta feria, & in eadem hora, qua tenebræ factæ fuerunt per universum mundum in passione Domini scilicet à sexta usque ad nonam sub Era 1237. facta fuerunt signa, qualia numquam fuerunt à passione Domini usque ad supradictam eram, fuit enim inf. VI. & VIII. vere nox, & sol factus fuit nigrior pice, & Luna, ac plura sydera in cælo apparuerunt, deinde recedente nocte illa, tenebræ subsecutæ fuerunt, quibus recedentibus, & recuperante sole vim claritatis suæ, congregata in Ecclesia Sanctæ Crucis Colimbriæ maxima multitudine hominum, & mulierum tam sæcularium, quam religiosorum, cum omnes unanimiter præ nimio timore non aliud, quam mortem subitam expectantes, clamarent, & ulularent, ac Divinum subsidium implorarent, quibusdam ex fratribus Te Deum laudamus, & Litaniam cum difficultate maxima canentibus, & Divinam exorantibus pietatem, semi vivis, & stupefactis aliis omnibus manentibus, ac inde admirantibus universis in choro Sanctæ Crucis Colimbriæ septem signa Lunarum apparuerunt quartarum exi-*

stentium, vel quintarum, quæ signa ibi antea, neque postea sunt inspecta, hujusmodi autem Lunarum signa per totam Colimbriæ civitatem apparuisse multis exstitit manifestum, ubicumque solis radii perforant aliquid intrabat. Hactenus antiquus Scriptor.

§. II.
De Monasterio S. Georgii.

D. Nicolaus à S. Maria in Chronico S. Georgii Monasterium (*a*) sæculo undecimo fundatum refert à Sesnando Colimbriæ Comite in S. Georgii memoriam ob insigne miraculum erga ipsum inter venandum perpetratum. Verum cum ejusdem Monasterii archivi membranas, veteraque monumenta excuterem; à sæculo duodecimo initium affirmare non renuam. Salvator Guimaris Diaconus primus legitur Monasterii Auctor ex donatione ab ipsomet facta anno Domini 1136. Era Hispaniensi 1174. „ In Dei nomine placuit mihi Salvatorio Diacono Guimaris scripturam donationis, & firmitatis facere hominibus quibuscumque religiosis „ mecum conversari volentibus, sive successoribus eorum de „ illa Eremitica Ecclesia S. Georgii Martyris, quæ est con„ structa in finibus Colimbriæ supra ripam fluminis Mondeci „ cum turri, quæ dicitur de Camardo tali videlicet pacto, „ ut ab hac die, & deinçeps eam cum eis inhabitem, nihil„ que eorum, quæ ibi jussus sum possidere, nunquam meum „ esse dicam, sed sint nobis ibi omnia in Christo communia „ cum totis pertinentiis, & adjacentiis suis à me emptis pro„ prio censu perenni jure. Et hoc facio pro salute animæ „ meæ, & illorum, qui mecum in eo loco caste, & pie vi„ vendo regulariter Deo servire studuerint. Proinde si postea „ ego, aut quilibet in mea voce, diabolo suggerente, hoc „ præclarum testamentum disturbare, aut vobis auferre præ„ sumpserit, quisquis fuerit, non habeat super hoc licentiam „ per ullam assertionem, sed pro sola præsumptione in duplum „ eam ibidem sic conversantibus ab Episcopo, sive Principe

(a) P. 2. lib. 8. cap. 13.

„ civitatis cogatur componere, & insuper sit anathema ma-
„ renaca, id est perditio in adventum Domini, nisi resipisce-
„ rit. Facta donationis, & firmitatis charta mense Julii
„ Era 1174. Ego autem supradictus Salvatorius, qui hanc
„ chartam jussi fieri; cum propria manu mea roboravi, & si-
„ gnum hoc ✠ feci. Qui præsentes fuerunt, & viderunt
„ Joannes Dei gratia electus conf. Salvatus Diaconus conf.
„ Tellus Presbyter adfui. Suarius Presbyter adfui. Zoleima
„ Diaconus adfui. Arias adfui. Martinus Presbyter adfui.
„ Suarius Codena testis. „ S. Georgii sacellum ante Monasterium extructum ex monumento constat, licet incerto tempore; Monasterii vero fundatorem Salvatorem Diaconum fuisse quis non annuat.

Canonicos ibi floruisse, ac peregrinorum, pauperumque hospitali ministrasse ostendit monumentum aliud ex eodem archivo transcriptum: „ In nomine Patris, & Filii, &
„ Spiritus Sancti bonum, atque placitum videtur mihi Salva-
„ tori Venegas, ut faciam istam chartam Domino, & fra-
„ tribus Sancti Georgii. In primis mando mandationem me-
„ am per illas partes, quæ mihi placitæ, & bonæ videntur.
„ Ad Sanctum vero Georgium mando totam meam hæredita-
„ tem de Castello Venegas, & totam hæreditatem de illo lo-
„ co, qui dicitur Maurifcas, & totum quod habeo per cir-
„ cuitum de Camardo, & totam meam hæreditatem de Gau-
„ dela. Et mando fratribus S. Georgii, ut vendant meas va-
„ kas, quæ remanent de mandatione mea, & meam mulam,
„ atque mulum, & faciant inde de pretio illud signum, quod
„ melius arbitrati fuerint pro suo posse in Canonica S. Geor-
„ gii. Ad Hospital S. Georgii mando omnem meam hæredi-
„ tatem de Ladeia, & tria juga boum. Insuper rogo, ut de-
„ ferant corpus meum ad atrium S. Georgii sepeliendum.
„ Mando hæc ita esse post mortem meam & concedo, &
„ Kartam roboro ✠ sub Era 1197. Qui adfuerunt: Stephanus
„ Martini conf. Petrus Martini conf. Ferdinandus Martini
„ conf. Ferdinandus Salvatoris conf. Joannes Martini conf.
„ Joannes Presbyter. „ Magni Parentis Augustini regulam

profitebantur, ex Codice ejusdem regulæ membraneo suis divisis capitibus, ac paragraphis a Salvatoris Diaconi tempore scripto, qui in ipsius Monasterii archivo asservatur.

§. III.
De Monasterio S. Romani de Sena.

PRope oppidum Senæ ad Herminium Canonicorum Regularium floruit Monasterium S. Romano Martyri nuncupatum. Era 1176. anno Christi 1138. Joannes Cidis, & Fafila Presbyteri, S. Theotonii, ac Canonicorum S. Crucis virtutibus ad exemplum promoti sacellum S. Romani, cujus cultui incumbebant, iisdem S. Crucis Canonicis donarunt, ut ibidem Monasterium novum extruerent, quo Canonici degerent Herminii incolas pietate, ac virtutibus instructuri. En donationis monumentum: „ In nomine Patris & Filii, & „ Spiritus Sancti. Amen. Ego Joannes Cidis Presbyter indi-„ gnus Jesus Christi servus, intelligens me miserum plurimos „ per annos sordidam, atque cœnulentam vitam imprudenter „ duxisse, & plurimos Christicolas mei infamia commacu-„ lasse, quamvis sim in decrepita ætate positus, Deo inspi-„ rante, statui resipiscere, & durissimam cervicem meam „ suavissimis Christi jugis subdere, ipso attestante, qui ait: Ju-„ gum meum suave est, & onus meum leve, item alio lo-„ co. nisi quis renuntiaverit omnibus, quæ possidet non po-„ test meus esse discipulus. Igitur his, atque aliis Domini „ commonitis pie eruditus: testamentum Colimbriensi Eccle-„ siæ Sanctæ Crucis facere decrevi de mea Ecclesiola S. Ro-„ mani de Sena cum omnibus ædificiis, plantationibus, at-„ que hæreditatibus, quæ Deo auxiliante ibi acquisivi, & „ feci. Quam Ecclesiolam cum quanto ei pertinet Henricus „ Consul, & uxor ejus Regina Tarasia Magni Imperatoris „ Alfonsi filia spontanee mihi, meoque socio Fafilæ Presby-„ tero hæreditario jure dederunt. Nunc vero mea sponte, & „ nullo cogente cum consensu socii mei, prædictam Eccle-„ siolam, & hæreditatem integram cum quanto ad eam perti-

„net, per ubi melius eam invenerint, Ecclesiæ S. Crucis „prædictæ, ejusque Priori Domno Theotonio hæreditario „jure in perpetuum libere concedo: quatenus memoria „nostri magis pro Dei amore, quam pro nostro dono ibi ju-„giter celebretur; & mihi, & socio meo, quantum victui, „& vestitui nobis sufficiat, omnibus diebus vitæ nostræ porri-„gatur. Igitur ab hac die de jure nostro sit abrasa, & in ve-„stro dominio sit tradita, atque confirmata in temporibus „sæculorum. Facta charta testamenti coram idoneis testibus „mense Junio in Era 1176. „

Venerabilis Rex Alfonsus erga S. Crucis Canonicos Joannis, & Fafilæ donationem firmavit: *In nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Ego Alfonsus ex divina providentia Portugalensium Princeps Magni Imperatoris Alfonsi nepos, Comitis Domini Henrici, & Reginæ Domnæ Tarasiæ filius, nulla necessitate compulsus, sed prompta, ac benevola voluntate, & divino amore commotus, Ecclesiæ S. Crucis, atque fratribus ibidem commorantibus, facio cautum ad illam vestram Eremitam Sancti Romani sitam juxta castram Senæ, quam prædictæ Ecclesiæ testati sunt Joannes Presbyter, & Fafila Presbyter. Sciendum vero, quod Pater meus Domnus Henricus, & mater mea Regina D. Tarasia dederant illam Eremitam prænominatis Presbyteris, ut haberent eam in vita sua, & post mortem suam reliquissent illam ubi Comes, & Regina voluissent: nunc autem filius eorum, & hæres, quod Presbyteri fecerunt vobis, ego confirmo, & totum vobis dono, atque concedo, quin etiam ibi cautum facio pro remedio animæ meæ, & ejusdem patris, ac matris meæ, & aliorum parentum meorum. Facta est hujus cauti, & testamenti firmitudo mense Decembris Era* 1176. Hæc sunt ex archivo S. Crucis.

Extructo Monasterio, S. Theotonius Domnum Pelagium Godinum in Priorem evexit, qui cum aliis novem S. Crucis Canonicis novæ plantationi operati sunt. Populum, qui undique illuc confluebat, exemplis, ac verbo erudiebant; quam-

quamobrem piissimorum virorum oblationibus brevi crevit Monasterium, quod inter cetera Canonicorum per Lusitaniam ex ditioribus erat; & in libro veteri testamentorum S. Crucis, quamplurimæ exscriptæ sunt largitiones, quibus fuerat locupletatum. Ea erat inter S. Romani, ac S. Crucis Monasteria fraterna consuetudo, & amor, ut ex redditibus plurima habuerint communia: id constat ex citato testamentorum codice p. 4. n. 14. *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Hæc est charta testamenti, & firmitudinis, quam facio ego Adosinda Nonelis Monasterio S. Crucis de Colimbria, & Eremitæ S. Romani de tota mea parte illius hæreditatis, quæ est in Valesin, id est media parte de toto Valesin .... habeant igitur Canonici Sanctæ Crucis, & S. Romani prædictam hæreditatem, & possideant hæreditario jure pro mea anima, & parentum meorum, & faciant de ea quidquid illis placuerit in perpetuum ... Mense Augusti Era* 1179. *Ego supradicta Adosinda Nonelis hanc chartam confirmo, & robo✠ro. Ego Salvator Arias filius ejus confirmo, & concedo quantum mea mater fecit.* Et n. 16. *In nomine Christi. Ego Ferdinandus, & fratres mei Reirigus, & Martinus facimus chartam testamenti Canonicæ Sanctæ Crucis, & Monasterio Sancti Romani de uno Kasale, quod est in Villa Sanctæ Eulaliæ territorio Senæ, quod mater nostra Domna Elvira jussit offerre eisdem Ecclesiis ante obitum suum. Nos vero post discessum illius damus ipsum Kasale pro anima ejus, sicut ipsa jussit cum omni suo jure per ubi illum potuerint invenire, ut ab hac die in perpetuum faciant quidquid illis placuerit ... Facta stabilitatis scriptura mense Aprili Era* 1180. *Nos supradicti fratres propriis manibus hoc testamentum roboramus, & signa hæc facimus jjj.*

Nec minor fuit erga Sancti Romani Canonicos Sanctii I. Portugaliæ Regis benevolentia, qui anno 1186. omnia ipsorum privilegia confirmavit, & Monasterii ejusdem oppida, ac villas *Cauto* immunes fore decrevit. Diu tamen non

germinavit nova plantatio, quamvis cœlo flores, ac fructus sanguine suo purpuratos parturiret. Secundum Erarum codicem Monasterii S. Crucis archivi Era 1233. anno Christi 1195. die 14. Kalendas Augusti: *Lis magna fuerat inter Christianos, & Saracenos in loco, qui dicitur Alarcos præsente Miramolim ex parte Saracenorum, & ex parte Christianorum Rege Domno Alfonso Castellæ, qui victus fugam petiit, in quo prælio interfecti fuerunt tres Episcopi, videlicet Abilensis, Segobiensis, & Seguntinus.* Victores Mauri Lusitaniam aggressi sunt, & Beirensem tractum impetentes anno 1196. die 17. Februarii ad Sancti Romani Monasterium accesserunt obsidentes. Cum Canonicorum neminem, qui janüis omnino clausis, claustro se incluserunt, possent capere, in Christianæ Religionis odium, ignem Monasterio undique admoverunt, in quo Prior Domnus Pelagius Godinus, ac Canonici ceteri combusti sunt, & Deo in sacrificium Martyres immolati. In veteri S. Crucis Monasterii Neucrologio legitur: *Decimo tertio Kalendas Martii commemoratio illorum Canonicorum, qui in exustione de Cea mortui sunt.* Restauratum postea reperitur Monasterium, anno scilicet Christi 1226. quo ejusdem Priorem agebat Dõnus Andreas Alvarus, quem meminit D. Nicolaus à Sancta Maria in Canonico Chronico: licet de tempore, quo tandem extinctum est, nullum produci valeat monumentum.

§. IV.
De Monasterio S. Vincentii.

QUo Auctore, quo-ve tempore extructum fuerit Sancti Vincentii Monasterium Olyssipone ad plagam orientalem, brevi, ac simplici stylo tradidit Scriptor Coætaneus in opere suo, quod inscribitur: *Indiculum fundationis Monasterii Beati Vincentii Ulisbonæ*: se omnia ait descripsisse pro eorum relatu, qui rebus iis interfuere, dum gerebantur, Ferdinandi scilicet Petri hominis militaris magnum in civitate obtinentis locum sibi à Rege constitutum, & apud

cives suos fide præclari; Othæ quoque viri natione Theotonici, & præfati Monasterii conversi, à prima fere ejusdem fundatione vitam ducentis ibidem satis religiosam. Quæ omnia ex illo archivo educta sunt. Anno igitur Incarnationis Dominicæ 1147. Venerabilis Rex Alfonsus Henricus Olyssiponem obsidens votum voverat Deo: *Si Dominus Deus noster tradiderit suis servis civitatem hanc, placueritque sibi deleri nomen infidelium istorum de terra, noverit ipse omnino me servum suum sibi constructurum in ipsis locis, in quibus cœmeteria hæc fieri rogo, duo Monasteria, & in eis positurum Religiosorum collegium, qui pro me, & ipsis, qui ibi sepulti fuerint, officiis intenti divinis coram Domino semper assistant.* Regis pietatem, ac votum collaudavit Joannes Peculiaris Archiepiscopus Bracarensis, & in Regis affectibus nimis lætus à loco consurgens Coepiscopos, qui aderant, convocavit, Regisque aperuit voluntatem. Illis secum assumptis, subsequente pariter & Clero, adit Francorum castra, ut Rex utraque imperaret. Quo adveniens notavit loca cœmeteriis apta, & invocato Deo Trino, aquam aspersit benedictam, lapides duos signavit, traditque Regi ad Ecclesias, ut promiserat, in illis fundandas; quos Rex acceptos erexit, cupiens prævenire quod voverat votum; non enim hæsitabat Deum sibi traditurum urbem, quam tenebat obsessam.

Ex lapidibus unum fixit in cœmeterio Teutonicorum, ubi situm est nunc Monasterium Sancti Vincentii; alterum in cœmeterio posuit Anglorum, ubi nunc est Ecclesia Sanctæ Mariæ ad Martyres, propter eos scilicet dicta, qui ad mortem usque constantes pro Christo ibidem erant sepulti. His peractis cœperunt Franci Ecclesiastica consuetudine interfectos suos sepulcris mandare, & inchoatas super eos fabricare Basilicas, opemque ferre de propriis sumptibus proposito Regis, cujus animum cernebant esse promptissimum ad construenda ibi in proximo cœnobiorum ædificia, ceteraque divina officia, quæ celebrabant Clerici, qui cum iis venerant plurimi, & sacris literis eruditi: ex quibus nonnulli

Monachi erant religiosissimi, & in timore Domini ambulantes soliciti. Porrò Theutonici Basilicæ Sancti Vincentii, quæ in suo cœmeterio construebatur, præposuerunt Presbyterum nomine Roardum, & ut alii dicunt, Wivandum, qui in singulos dies Missas cantaret, qui oblationes reciperet à populo ad Basilicam erigendam. Constituerunt, & alium bonæ vitæ virum nomine Henricum Laicum, qui patriæ suæ more ad horas pulsaret campanam, quam ibi suspenderant, excubansque pro foribus Ecclesiæ atrium attentius intus, & foris custodiret.

Plurima quidem miracula in novo construendo Monasterio perpetrata sunt, quæ ex vetusto codice manuscripto supra citato coævi Auctoris exscribo. *Dum ea agerentur, contigit quemdam militem Coloniensem, nomine Henricum, oriundum à Villa, quæ est ultra Coloniam per quatuor leucas nomine Bonna, virum utique stemate nobilem, & moribus, in urbis corruisse conflictu. Quo sepulto, sicut ceteris, in eodem cœmeterio Sancti Vincentii, indicare cœperunt miracula ad tumbam ejus, divina operatione, creberrime facta, eundem fuisse verissimum Martyrem Christi, mortemque ejus in conspectu Domini pretiosam existere: de quibus videlicet miraculis, hic vel pauca attingere nitimur; ut liquido appareat quanta Dei beneficia comitantur eos, qui ex toto corde quærunt illum. Factum est igitur, ut duo juvenes ambo surdi, ambo muti à nativitate, qui videlicet cum ipsis venerant Francis, sigillatim juxta sepulcrum Christi militis Henrici excubarent; ipso (ut fertur) Martyre in effigie peregrini palmam ad scapulas deferentis, illis apparente, & ad excubias invitante: ubi cum paululum quievissent, mirabile dictu, invenerunt se ita dicere loquentes simul, & audientes, ac si semper loquela usi fuissent, pariter & auditu. Quodque multo mirabilius est, ut terra diversi erant, & natione, sic conceditur eis diversa, & ipsa loquela. Propalato igitur in castris tam mirabili facto, cuncti qui videbant, & audiebant, glorificabant Dominum semper mirabilem in Sanctis suis habentes de*

de cetero militem Henricum, utpote dilectũ Martyrem Christi. Post paucos vero dies accidit, ut armiger ejus cecidisset in bello, quem tollentes contribules ejus sepelierunt aliquantulum longius à sepulcro domini sui. In somniis itaque Christi miles Henricus adiit eum, qui excubabat in atrio præfatæ Basilicæ Sancti Vincentii, de quo antea fecimus mentionem, & vocans eum nomine suo rogat, multumque precatur, ut surgat, tollatque de nocte armigerum suum à loco, in quo erat, & ponat eum juxta se. Quod factum est semel, & bis: cumque ille deprecanti non acquievisset, venit tertio vultum gerens quasi iratum, multumque terribilem; etiam minabatur ei, si ultra differret implere rogata. Quamobrem ille expergefactus surrexit tremens, pavensque (erat namque solus in loco) venitque ubi humatus erat armiger ille, quem levans sepelivit circa dominum suum, seorsum tamen in proprio monumento. Qui narrans de mane quod acciderat, dicebat se nullum in levando, vel deponendo sensisse laborem, nullamque molestiam.

Dicam & aliud (prosequitur idemmet Auctor coævus) *quod per idem tempus in eadem Basilica operatione Divina contigit miraculum. Factum est autem, ut populus ad Ecclesiam iturus, peractis missarum solemniis, eulogiis, vel pane benedicto cuperet præmuniri; ita namque quotidie consueverant. Cumque Sacerdos vellet facere particulas, quas singulis porrigeret, & jam uni ex panibus secandis culter immitteretur (res miranda) ecce secati panis medietas cruentata reperitur sanguine desudante: tunc Sacerdos, omnesque qui aderant in stuporem conversi sunt subitum: nam visa re, vehementer fuerant perterriti; cumque causam rei indagine sedula quærerent, inventum est panem illum fuisse confectum de usurpata farina, quam quidam moriens egenis præceperat erogari. Quod tandem cum annuntiatum esset in castris, ad spectaculum concurrerunt universi, videntesque quod factum fuerat, revertebantur admirantes, & divinum adjutorium secum esse non*

dubitantes, plena fide laudabant, & glorificabant Dominum, qui facit mirabilia magna solus. En clarissimum monumentum de eulogiis sæculo duodecimo per Lusitaniam observatis.

Post hæc quærente diligentius Rege sanctæ conversationis viros, quos in eadem Basilica Sancti Vincentii (quam ipsemet Rex in perpetuum possidendam cum omni jure suo Patronatus retinuerat) *posset constituere, ad sepulcrum Christi militis Henrici divina renovantur miracula; nam palma more peregrinorum ad scapulas è Jerosolymis allata, secumque in sepulcro ad caput deposita parvo post tempore revirescens ascendit de terra, quæ crevit in altum, factaque arbor vestita foliis, atque vigore. Omnes ergo male habentes ad sepulcrum illius supplicandi gratia, venientes, tollentesque de palma illa suspendebant ad collum, vel redactam in pulverem bibebant, statimque curabantur à quacumque detinebantur infirmitate, stetitque ibi (sicut perhibent, qui viderunt) donec tota languentium manibus, inde levata est; sunt autem, qui dicunt, nullo custodiente, furtim inde fuisse eradicatam, ut alibi transplantaretur.* Hodie tamen in eodem Monasterio in S. Antonii altari vitro inclusa omnium est in veneratione.

Dum Rex de constituendo Monasterio cogitabat, en quidam summæ sanctitatis vir Gualterus nomine Ulixbonam venit cum quatuor sui Præmonstratensis ordinis Canonicis; cujus itineris causa fuerat novam construere congregationem. De cujus pietate Alfonsus certus eum præfatæ Basilicæ præficere intendit. Gualterus Regem adiens locum novo ordini stabiliendo aptum postulavit, cui Rex ipse respondisse fertur in prædicto codice: *Abbas, quædam Basilica est mihi de novo fundata, quam apud me vehementer diligens usque modo servari sperans de die in diem mihi destinari à Deo hominem bonum, cui securus regimen ejus committere possem: nunc ergo cernens spem meam divino nutu ad votum esse completum, opto vos ejusdem Basilicæ suscipere curam: & consilium plane nostrum, & auxilium cum patrocinio æque regio vos semper comitabuntur.*

His à Rege peroratis, Ecclesiæ S. Vincentii regimen suscepit Abbas Gualterus; indeque cœpit Alfonsus largitionibus suis regiis novum Monasterium locupletare, & omnes qui ibi sepulturam eligerent, partemque de suis conferrent facultatibus, suos cohæredes fecit: quapropter scriptum hoc exarari jussit. *Quia Principum, ac Regum est loca sancta ditare, benefactoribus concedere, possessionibus ampliare; idcirco Ego Rex Alfonsus vobis Civibus Ulixbonæ, atque omnibus aliis fidelibus, facio chartam possidendi mecum Ecclesiam Sancti Vincentii, quam in captione Ulixbonæ à Mauris tuli, ut videlicet quicumque apud ipsam Ecclesiam sepulturam suam habere, secum-ve ibi beneficium, vel eleemosynas dare voluerint, ipsi, & filii, & progenies eorum sint mecum, & filiis, omnique progenie mea hæredes perpetuo in eadem Ecclesia. Quod & scriptum vobis, Ego Rex Alfonsus propriis manibus roboro, meoque sigillo communio, assistentibus mihi, & subscriptionibus Giiberto Ulixbonensis Ecclesiæ Episcopo, & Gonsalvo de Souza meo maiore domus, & Petro Pelagii meo Alferas.* His sane studiis novo Monasterio ampliando operam dabat Alfonsus, & tot beneficiis fovebat. Ejus erat pro suo patronatus jure Rectores præficere viros optimos, ac insignes: primum per vices Presbyteros constituebat, qui quotidie missas canerent, quorum primus fuit Roardus: secundus Otha genere Anglus, tertius Salericus etiam Anglus, & Monachus; deinde prælatus est Abbas Gualterus: ast cum vellet novum Monasterium Præmonstratensi suo subjicere; nec Rex acquiesceret, nec annueret, dimisit ille, & in patriam ad suos reversus est: illum tamen nunc præstet meminisse.

Gualterus, sive ut alii volunt, Walterus de Mauritania honestis, & divitibus parentibus ortus, à primis ætatis suæ incunabulis adeo supernæ patriæ amore flagravit, ut omnia, quibus delectatur corpus, despisceret, ac solius immortalitatis desiderio æstuaret. Ejus charitas tanta, ac tam locuples erat, ut cuncta, quæ præter simplex indumentum habere poterat, pauperibus distribueret. Cum Lauduni sub Magi-

ſtro Radulpho literis vacaret, & in ea civitate S. Norbertum concionantem audiret, concione ea permotus, mox cum ſex paris pietatis ſociis Præmonſtratum petiit, ſeque Norberto tradidit inſtruendum. Ubi inter ceteros Canonicos cæleſtibus ſtudiis, orationibus, vigiliis, charitatiſque muniis ſe mancipavit; ita virtutum profectu emicuit, ut Canonicis Præmonſtratenſibus, quos S. Norbertus ad petitionem Bartholomæi Laudunenſis Epiſcopi in Monaſterio S. Martini ejuſdem Laudunenſis civitatis anno Domini 1124. conſtituerat, præponi poſtea meruerit. In hujus Monaſterii ſuſceptione, ac præfectura quanta optimi Paſtoris, ac Religioſi viri exempla non protulit? Vix creditur quanta illius in veſtitu, & victu frugalitas fuerit: ſemper enim ſobrius, ac pene jejunus à menſa ſurgebat; appoſita omnia ægrotis, egenis, mendicis impertiens. Lectulum ſpernebat, & humi frequenter, vel in tabula cubabat. Veſtis perpetua cilicium erat; ipſius meritis, & oratione plurima præſtitit Deus infirmis beneficia. Ex Canonicis, qui ſub Gualteri diſciplina proficiebant, plurimi aſſumebantur ad nova regenda Monaſteria, quæ id temporis per Gallias extruebantur. Ex Luſitania ad ſuos tandem reverſus indies, atque indies virtutum omnium exemplo progrediebatur. Et poſtquam Bartholomæus Laudunenſis Præſul Epiſcopatus ſui anno 38. & Chriſti 1150. vitam cupiens ſolitariam, dimiſſo Epiſcopatu, in Fuſniacenſi Monaſterio Ciſtercienſem Ordinem amplexus eſſet, Gualterus à Clero, populoque Laudunenſi, licet invitus, in ejus locum ſuffectus eſt. Qua in dignitate pietatem retinuit, terrena ſub pedibus ſubjecit, totus ſemper in oratione, totus in lectione, totus in miſericordiæ operibus. Pauperes quotidie ad menſam vocabat, quos non modo alimentis reficiebat, ſed & veſtiebat.

Jam ſenectute gravatus, mortem prævidens, cum noctu tota ejus domus immenſo lumine efulſiſſet, ſequenti die Sacratiſſimo Corporis Chriſti Viatico communitus eſt, circunſtante tam familiari Clericorum, quam Religioſorum Collegio, animam ſuam operibus bonis divitem Deo reddidit 3. Nonas Octobris anno Domini 1153. Sancto Bernardo Claræval,

ravallensi Abbati consuetudine junctus est; & ejusdem Doctoris Meliflui extat Epistola brevis n. 272. ad eundem Gualterum jam Laudunensem Episcopum, unde Gualteri erga Sanctum Bernardum merita, & amor dignoscentur. Gualteri S. Vincentii Abbatis meminit Joannes Le Paige Theologus Parisiensis, Canonicus Præmonstratensis in sui ordinis Bibliotheca lib. 2. à pag. 445. usque ad 454. & Beatum appellat; ipsius vitam descripsisse ait ex iis quæ erant in antiquis S. Martini Laudunensis Cœnobii, & ordinis manuscriptis codicibus, ex Chronico Laudunensis Ecclesiæ, ex Sigeberti continuatore, Roberto Altissiodorensi, & Jacobo à Guisia.

Abeunte Gualtero, Rex Priorem constituit Canonicum quemdam Ecclesiolæ Didacum nomine; qui tamen, paucis elapsis annis, ad Monasterium, unde venerat, rediit, Rege ipso jubente. Huic in Prioratu successit Canonicus de Balneo Godinus postea Lamecensis Episcopus. Godinum ex Prioratu ad Episcopatum Lamecensem fuisse assumptum Era 1200. anno Christi 1162. facile convincuntur qui asserunt; nam anno Domini 1169. Era 1207. Menendus Lamecensis Episcopus Godini Decessor in humanis erat, & libro censuali de *Linbares* subscripsit, qui in Monasterio S. Crucis asservatur antiquissimus. Vincentini Canonici non solum in choro Deo serviebant, verum & alia Religiosorum digna peragebant. Hospitale peregrinis, & pauperibus alendis condiderunt, quod ex veteri ejusdem Monasteri statuto, tempore Domini Pelagii tertio Priore palam facio: *Prior Monasterii Beati Vincentii Ulisbonensis cum fratribus omnibus salutem, & per obedientiam cœlestia Regna promereri. Dicimus vobis in virtute obedientiæ, ut persolvatis decimas omnium rerum, quas vobis Dominus dederit, hospitali nostro, sicut jam ex regula est determinatum in nostro Capitulo generali, & sicut nos Beatus Augustinus docet, ubi ait, Canonici Regulares tam de fructibus, quam etiam de omnium eleemosynarum oblationibus in usus pauperum decimas libentissime ad suum conferant hospitale. Ideo vos hilariter, & cum devotione decimas persolvatis de omnibus bonis, tam vi-*

delicet panis omnis generis, quam vini, olei, lini, aliorum, ceparum, & leguminum, mellis, & ceræ, salis, & omnium fructuum, & ceterarum bonarum omnium rerum, ut jam diximus, à minimis incipientes usque ad maiora. Ita tamen, ut unusquisque vestrum eas decimationes separatim reponatis in uno loco ita ut non pereant, & Commendator prædicti hospitalis mittet pro istis omnibus, prout sibi melius potuerit expedire. Si autem vestrum aliquis, quod non credimus, aliter agere voluerit, quod Deus avertat, sciat se esse sui ordinis transgressorem, & inobedientem, & redditurum rationem Deo, cui nuda, & aperta sunt omnia in districto examine, nisi se prius emendaverit. Valete; & hæc omnia bene adimplete, qua enim mensura mensi fueritis, remetietur vobis in tempore necessitatis. Id quoque fertur in supra citata Epistola Domini Joannis de Taide Prioris Monasterii Sanctæ Crucis ad Domnum Pelagium Sancti Vincentii Priorem. Videant hinc, quæso, S. Vincentii Monasterium à suo exordio Canonicorum fuisse Regularium.

Post Venerabilis Regis Alfonsi obitum Monasterii Priores communi omnium consensu eligebantur; à tempore scilicet Lucii III. Romani Pontificis, qui anno 1184. ad Domnum Pelagium Priorem literas dedit: *Obeunte vero nunc ejusdem loci Priore, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars consilii sanioris, secundum Dei timorem, & Beati Augustini regulam providerint eligendum.* A' Regibus tamen de suo patronatus jure acceptabantur, approbabanturque: Sanctius enim I. in Priorum electionem à Canonicis Vincentinis faciendam consenserat; Canonicique testati sunt nullum inde ipsi, ac Regibus suis successoribus auferri jus, quo utpote Monasterii fundatores in Prioribus designandis fruebantur.

Nec tantum Reges, sed & Romani Pontifices privilegiis novum Monasterium communierunt. Clemens III. anno 1190. diploma edidit, quo Monasterium ipsum sub Sancti Petri tu-

tela suscepit, & ab Episcopi Olyssiponensis jurisdictione immune fecit:,,Clemens Episcopus Servus Servorũ Dei dilectis fi-
,, liis Pelagio Priori Ecclesiæ Sancti Vincentii de Ulixbona,
,, ejusque fratribus tam præsentibus, quam futuris Canoni-
,, cam vitam professis in perpetuum salutem, & Apostolicam
,, benedictionem. Quoties a nobis petitur, quod religioni, &
,, honestati convenire dignoscitur, animo nos decet libenti
,, concedere, & petentium desideriis congruum suffragium
,, impertiri. Quapropter dilecti in Domino filii, vestris ju-
,, stis postulationibus clementer annuimus, & præfatam Ec-
,, clesiam S. Vincentii, in qua divino mancipati estis obse-
,, quio, ad exemplar felicis recordationis Lucii Papæ Præ-
,, decessoris nostri, sub B. Petri, & nostra protectione susci-
,, pimus, & præsenti scripti privilegio communimus. In
,, primis siquidem statuentes, ut Ordo Canonicus, qui secun-
,, dum Deum, & B. Augustini Regulam in eadem Ecclesia
,, constitutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus
,, inviolabiliter observetur. Præterea quascumque possessio-
,, nes, quæcumque bona, quæ eadem Ecclesia in præsentia-
,, rum juste, & canonice possidet, aut in futurum concessio-
,, ne Pontificum, largitione Regum, vel Principum, obla-
,, tione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino,
,, poterit adipisci, firma vobis, & successoribus vestris, & il-
,, libata permaneant. In quibus hæc propriis duximus expri-
,, menda vocabulis: locum ipsum, in quo præfata Ecclesia
,, sita est cum Parochia, & aliis suis pertinentiis, domos, &
,, torcularia, quæ habetis intus, & extra muros civitatis U-
,, lixbonæ .... Totum jus Ecclesiasticum villæ, quæ dici-
,, tur Ruta, cum domibus, vineis, & ceteris pertinentiis
,, Ecclesiæ S. Mariæ ipsius villæ. Prædium, quod habetis in
,, ripa de Alemquer, dictum Turris cum domibus, vineis,
,, & terris suis cultis, & incultis. Prædium, quod habetis in
,, loco, qui vocatur Abucellas cum molendinis, hortis, &
,, terris suis cultis, & incultis, & cum plantatu S. Juliani; ...
,, Prædium de Romaneyra cum terris suis cultis, & incultis,
,, Ecclesiam S. Matthæi de Monte Maiori novo cum perti-

„ nentiis suis. Sane novalium vestrorum, quæ propriis manibus, aut sumptibus colitis, sive de nutrimento animalium „ vestrorum, nullus à vobis decimas exigere, vel extorquere præsumat. Licet quoque vobis Clericos, vel laicos è sæculo fugientes liberos, & absolutos ad conversionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere. Cum „ autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis, & interdictis, non „ pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare. „ Præterea libertates, & immunitates, nec non antiquas, & „ rationabiles consuetudines à Regibus, & Principibus, & „ aliis personis tam Ecclesiasticis, quam mundanis eidem Ecclesiæ concessas, & hactenus observatas ratas habemus, & „ eas futuris temporibus illibatas habere sancimus. Inhibemus insuper nequis vos novis, & indebitis exactionibus, „ seu gravaminibus aggravare præsumat; sed ipsa Ecclesia „ vestra S. Vincentii à Pontificali jurisdictione, sicut fuit hactenus, sit exempta. Crisma vero, oleum sanctum, consecrationes Altarium, seu Basilicarum, ordines Clericorum, „ qui ad Sacros Ordines fuerint promovendi, & cetera Ecclesiastica Sacramenta à Diœcesano suscipietis Episcopo, „ siquidem Catholicus fuerit, & gratiam, atque communionem Apostolicæ Sedis habuerit, & ea vobis gratis, & absque pravitate aliqua voluerit exhibere; alioquin liceat vobis quemcumque malueritis Catholicum adire Antistitem, „ gratiam, & communionem Apostolicæ Sedis habentem, qui „ nimirum nostra fultus auctoritate, quod postulatur, indulgeat. Sepulturam præterea ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni, & extremæ voluntati, qui se „ illic sepelire deliberaverint, nisi forte excommunicati, vel „ interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum „ Ecclesiarum, à quibus mortuorum corpora assumuntur. „ Obeunte vero te, nunc ejusdem loci Priore, vel tuorum „ quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia, seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi „ consensu, vel fratrum pars consilii sanioris secundum Dei

„ timorem, & B. Augustini Regulam providerint eligendum. „ Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum fas sit præfa- „ tam Ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones au- „ ferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexa- „ tionibus fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum „ pro quorum gubernatione, ac sustentatione concessa sunt, „ usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolicæ au- „ ctoritate. Ad indicium autem, quod eadem Ecclesia sub „ B. Petri, & nostra protectione consistat, quatuor massamu- „ tinos Nobis, nostrisque successoribus annis singulis persol- „ vetis. Siqua igitur in futurum Ecclesiastica, sæcularis-ve „ persona hanc nostræ Constitutionis paginam sciens, contra „ eam temere venire temptaverit, secundo, tertio-ve com- „ monita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit „ potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se di- „ vino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & „ à Sacratissimo Corpore, & Sanguine Dei, & Domini Re- „ demptoris N. J. C. aliena fiat, atque in extremo examine „ divinæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua ju- „ ra servantibus sit pax D. N. J. C. quatenus, & hic fructum „ bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præ- „ mia æternæ pacis inveniant. Amen Amen Amen. ✠ Ego „ Clemens Catholicæ Ecclesiæ Episcopus. Datam literam per „ manum Moisi S. Romanæ Ecclesiæ Subdiaconi vicem agen- „ tis Cancellarii XI. Kalendas Martii, Indictione nona, In- „ carnationis Dominicæ anno MCXC. Pontificatus vero Do- „ mini Clementis Papæ III. anno quarto. „

En Monasterii S. Vincentii Canonici Ordinis, & instituti ante Innocentium III. illustre monumentum, quod non vidit recens scriptor Lusitanus Fr. Antonius à Pietate in suo novo opere meridiano. In meridie cæcutiit, qui clarius cerneret in densa pulveris archivorum nube, si illum ex abscon- ditis antiquitatis monumentis excuteret. In Monasterii im- munitates à Clemente III. concessas invectus est Olyssipo- nensis Episcopus; quapropter Innocentius III. Ferdinandum Priorem, & Petrum Cantorem Alcobatiæ delegatos judices

instituit, qui litem inter Vincentinos Canonicos, & Episcopum super libertate componeret, compositionemque anno Pontificatus sui octavo, & Incarnationis Dominicæ 1206. datis literis, quæ incipiunt: *Cum transcriptum privilegii* Apostolica auctoritate roboravit. Hujusmodi Innocentianæ literæ, & Clementinæ in eodem Monasterio asservantur. Stephanus Balusius edidit alias Innocentii literas, pro eadem exemptione in lib. 14. Epistolarum Innocentii III. n. 120. Monasterii immunitas extra Ecclesiam non erat; à Priore, sicut ætate nostra, Clericus, qui animarum curam gereret, præficiebatur ad nutum removendus, & confirmandus: intra eandem Ecclesiam Pontificalia exercere nulli licebat Episcopo Diœcesis. Pontificalia tamen insignia, mithra, baculus, & annulus anno 1263. ab Urbano IV. ejusdem Monasterii Prioribus fuere concessa, quibus insignibus mitra, & baculo in divinis officiis in diebus solemnibus Monasterii ejusdem Cantores utebantur ex sequenti Bulla.

Urbanus Episcopus Servus Servorum Dei. Dilecto filio Priori Monasterii S. Vincentii Olyssiponensis Ordinis S. Augustini salutem, & Apostolicam benedictionem. Exhibita nobis devotionis tuæ petitio continebat, quod in Monasterio S. Vincentii Olyssiponensis Ordinis S. Augustini cui præsides, de consuetudine est obtentum, quod Cantores ipsius Monasterii, per quos chorus regitur in divinis officiis diebus solemnibus Mitræ, & Baculi usum habent; unde quia decens, & congruum videretur, si persona Prioris, qui caput est aliorum, & loco, ac dignitate præstantior, ornatu insigniorum hujusmodi in divinis officiis una cum aliis ad maiorem chori decentiam, & decorem honorabilis appareret, nobis humiliter supplicasti, ut in his personam tuam, & Monasterium in persona curaremus de munere liberalitatis Apostolicæ honorare. Nos igitur devotionis tuæ supplicationibus inclinati, utendi Mitra, & Baculo diebus illis, quibus Cantores ipsi in divinis officiis, dummodo Diœcesanus Episcopus non sit præsens, cui per hoc nolumus quoad jura alia, siqua ibidem habere di-

gnoscitur, aliquod præjudicium generari. Annulo quoque utendi pro libitu tibi, & successoribus tuis auctoritate præsentium concedimus facultatem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum apud Urbem veterem Kal. Julii Pontificatus nostri anno secundo.

Cum Olyssiponensis Episcopus opponeret semper se esse præsentem in sua civitate, Clemens IV. anno sui Pontificatus secundo literis Perusii datis V. Kalendas Martii ad Monasterii Prioris postulatum declaravit præfatum privilegium, & gratiam concedi, prædicto Episcopo in dicta civitate morante; dummodo in Monasterii Ecclesia, celebrante Priore, non adesset: & omnia insignia iterum confirmavit, sicut ceteris Abbatibus, & Prioribus, quibus ea ex Apostolicæ concessionis gratia competunt.

Tandem S. Vincentii Priori subjiciebantur Canonicæ quædam, quarum aliæ in claustro prope Monasterium communem degebant vitam; & aliæ in propriis domibus servata sibi propria rerum substantia; Priori tamen, & conventui obedientes, quæ sorores tantum dicebantur: illæ Domnæ appellabantur, & inclusæ sorores, quarum memoria est in veteri ejusdem Monasterii Neucrologio: *Obiit Sancia Vincentii Priorissa, quæ fuit sororum S. Vincentii.* De aliis sororibus plura etiam sunt monumenta in ejusdem archivo, de Constancia Esteves, Catharina Annes̄, &c.

§. V.
De Monasterio de Chelas.

ANtiquum istud Monasterium Romanorum tempore Vestæ fuisse nuncupatum nostrûm est traditio: incertam tamen illam arbitrantur alii; quod Vestales Virgines extra Romam domicilium non habuerint, utpote quæ ex Onu-

phrio Panvinio de Civitate Romana cap. 29. eligi non poterant, nisi eorum filiæ, qui in Italia commorarentur, & à Numa Pompilio Romæ fuerant institutæ ignem sacrum publicum totius Urbis, & Populi servaturæ. Nec propterea nostrûm traditio infirmatur, quæ in invento ibidem lapide, cippo-ve, monumento equidem vetustissimo fundamentum fixit.

JULIA. Q. F. F. V.
Q. JULIUS. Q. F. C.
SEVERUS
H. S. SUNT.

Julia Quinti Filia Flaminia Vestalis
Quintus Julius Filius Quinti Caius
Severus hic sepulti sunt.

Extra Italiam Vestæ Virgines extitisse ait Tertullianus de Castitatis exhortatione cap. 13. *Novimus Virgines Vestæ, & Junonis apud Achaiæ oppidum.* Ante Numam Troianos coluisse Vestam est apud Virgilium 2. Æneid. de Hectore.

Sic ait, & manibus vittas, Vestamque potentem,
Æternumque adytis effert penetralibus ignem.

In Italiam Vestalem ignem Æneas è Troia cum Penatibus tulisse dicitur, conditoque Lavinio Vestæ ædem consecrasse. Postea Ascanius, ædificata Alba Longa templum Vestæ extruxit in montis Albani parte, cui suberat locus, in quo Ilia Vestalis mater Romuli, & Remi à Marte vi compressa est ex Livio lib. 1. cap. 3. Denique Numa Romæ Vestæ templum erexit anno ab Urbe Condita 40. & Virgines, quæ sacra ejus facerent, legit ex eodemmet Livio lib. 1. cap. 8. Mirum igitur non est Olyssipone etiam in Lusitania hujusmodi floruisse Virgines eo tempore, quo civitas illa Romanorum juris erat; cum civitates ex Civitate Romana, Aulo Gellio teste, quodammodo propagarentur, & cum apud Achaiæ oppidum, & ante Romanos apud Troianos Vestam colerent Virgines.

Anno igitur 1191. Era 1229. in loco isto duplex conditum fuisse Monasterium Religiosorum, ac Religiosarum constat

constat ex donationis scripto: *In Christi nomine. Hæc est charta donationis, & firmitudinis, quam jussi facere ego Gonsalvus Joannis, vobis Domno Petro Priori, & fratribus de Achelas. Placuit mihi per bona pacis, & pro remedio animæ meæ, ut faciam vobis chartam donationis, firmitudinis de tota mea hæreditate, quæ fuit de meo patre Joanne Esmoriges, & de mea matre Domna Ausenda, ubi vocitant Aroil cum casis, cum aquis, cum ingressu, & regressu, & cum quantum in se obtinet. Do itaque vobis illam ad sustentationem Domnarum in eodem Monasterio Deo servientium, ut pro me orent tam in vita, quam in morte. Igitur ab hac die habeatis vos ipsam hæreditatem usque in perpetuum. Facta charta coram idoneis testibus mense Martio Era* 1229. Ex Domnarum verbo plane fit Canonicas ibi religiosam vitam fuisse professas, quæ nomenclatura illa per Lusitaniam id temporis vocabantur. Earum fundatrix fuerat Domna Justa Rabaldis, quæ in Monasterio Canonicarum S. Joannis Colimbriensi professionem emiserat, & inde ad istud novum Olyssiponense Monasterium transmigravit institutura. Ejus sepulcrum in veteri Monasterii claustro inventum est anno 1217. à Suario Olyssiponensi Episcopo, hoc inscripto epitaphio:

Justa à Cruce dicta; Justa nomine, & vita
Jacet hic à nece extincta
Prima Fundatrix, & optima contemplatrix
At nunc in cœlo est pro nobis auxiliatrix.

Justæ memoria cognomine quoque Rabaldis observatur in codice antiquo manuscripto archivi Monasterii S. Crucis Colimbriensis. Nullum quidem, nisi fallor, firmum extat monumentum, quo eruditissimus, ac clarissimus Vir Fr. Ludovicus de Sousa Ordinis Prædicatorum in sui Ordinis chronico Monasterium istud à suis fundamentis Dominicani fuisse instituti arbitretur. (*a*) Ex præfato donationis monumento constat extructum esse ante insignem Prædicatorum Religionem, quæ ex Natali Alexandro sapientissimo ejusdem Ordinis scriptore ad sæculum 13. cap. 7. art. 5. à S. Dominico initium

(a) *P. 1. fol.* 57.

habuit anno 1215. Fulcone Tolosatium Episcopo, & Simone Montis fortis Comite faventibus; & 11. Kalendas Januarii anno 1216. apud S. Sabinam ab Honorio III. Romano Pontifice fuit confirmatus. Fortasse Canonicæ illæ sæculo decurrente 13. Dominicanis aliquando parerent; quod neque novum, neque incongruum; cum sub eadem Magni Parentis regula degerent, quam Prædicatores fratres profitentur.

Inter cetera, quæ hujusce Monasterii præ ceteris Lusitaniæ antiquitatem prædicant monumenta, sacræ sunt exuviæ Sanctorum Martyrum Felicis Africani è Scyllitana oriundi, & Gerundæ sub Diocletiano Imperatore Christianos in Hispaniis per Præsides persequente extincti, ac martyrio coronati, simul & Adriani, Nataliæ, ac sociorum, qui sub Maximino Cæsare pro Christi pietate pugnanda Nicomediæ egregiam operam fortiter posuerunt, & martyrii palmam adepti sunt. Hæ reliquiæ à Gothorum imperii tempore, ante Saracenorum in Hispaniis tyrannidem cœlestis Numinis beneficio ad arenarias id temporis cœnobio vicinas appulerunt; in quarum memoriam Christiani templum extruxerunt, quod inter Arabum barbariem permansit, ubi sacros suos conventus peragebant. S. Martyris Felicis apud Gerundam passi reliquias ait S. Gregorius Turonensis lib. 1. de Gloria Martyrum cap. 92. sæculo sexto apud Narbonem in Basilica retineri. Tamaius in Martyrologio Hispano ad diem 1. Augusti ex Auctore Domineco, qui secundum Bollandianos ad eamdem diem scripsit anno circiter 1602. ait S. Felicis caput in Ecclesia Collegiata sæculari apud Gerundam in ejusdem Sancti honorem erecta extare. Quapropter non omnes S. Felicis reliquiæ in Monasterio de Chelas veneratione coli conjectandum est.

Venerabilis Rex Alfonsus Henricus, Olyssipone jam Mauris erepta, & crucis vexillo stabilito, cum nova templa condere, & quæ antea extiterunt, elapsa ex ruderibus reparare, & erigere intenderet, in veteri hujus Monasterii Ecclesia Sanctorum reliquias invenit, & in templo, quod recens instauravit, altaria duo in ipsorum honorem, & memoriam erigi jussit his inscriptionibus.

BEATISSIMO CHRISTI DOMINI MARTYRI FELICI DIACONO, ALIISQUE DUODECIM MARTYRIBUS, QUI IMPIORUM GLADIO SUB DIOCLETIANO OCCUBUERUNT, QUORUM CORPORA HIC JACENT ANTE ALFONSUM PRIMUM PORTUGALIÆ REGEM, HOC ALTARE DICATUM EST.

In honorem Sanctorum Adriani, & Sociorum.

FIDELISSIMO, ATQUE INVICTISSIMO CHRISTI DOMINI MARTYRI ADRIANO, ET NATALIÆ UXORI EJUS, ALIISQUE UNDECIM SOCIIS, QUI SUB MAXIMINO VARIO TORMENTORUM GENERE OCCUBUERUNT, QUORUM CORPORA ANTE ALFONSUM PORTUGALIÆ REGEM HIC QUIESCUNT, HOC ALTARE DICATUM EST.

Ex veteri S. Vincentii Monasterii Neucrologio constat istud Vincentinis Canonicis obsecundasse, Prioremque ex ipsis habuere: *Decimo quinto Kalendas Augusti obiit Domnus Augustinus Sucrii Prior de Achiles Canonicus Sancti Vincentii.* Achelas nomen ex Achile olim ibi latente corrivasse in tantis antiquitatum tenebris præterire potius arbitror, quam fabulam confirmare.

§. VI.

De Monasterio de Refloriis, sive Refugii.

PRope Forum Limicorum Monasterium *de Refloriis*, vel ut alii appellarunt, *de Refugio*, extructum est. Alfonsus Ancemondes ex Lusitaniæ primoribus, qui Henrico Comiti in tot certaminibus memorandus socius fuerat, sæculi illecebras abhorrens avitum solum petiit cum Deo tantum vitam acturus. Beatissimæ Virgini, cujus auxilio in præliis semper victor evaserat, grates impensurus, Ecclesiam condidit, & Monasterium, in quo Clerici secundum Magni P. Augustini Regulam degerent in hymnis, & canticis laudantes Deum. Nobilibus viris sanctæ vitæ propositum amplectenti-

bus anno circiter Christi 1140. Petrus Menendus Alfonsi filius prælatus est. En Alfonsi donationem : *Alfonsus Ancemondes , & filius meus Menendus Alfonsi , & filia mea Maria Alfonsi , & Gelvira Alfonsi , & nepotes mei Menendus Gelvires , Didacus Gelvires , & Nuno Gelvires , cum filiis , & filiabus nostris , ac nepotibus , nec non cum omnibus parentibus nostris ob remedium animarum nostrarum , & propter honorem Dei , ac Beatæ Mariæ semper Virginis , omniumque Sanctorum toto mentis affectu de eadem Ecclesia cum omnibus suis præstantiis , quæ nunc possidet , vel in futurum adquirere poterit scripturam libertatis facimus tibi Petro Menendi præfatæ Ecclesiæ Priori , & omnibus Canonicis sociis tuis , qui tecum in præsentiarum sub Regula S. Augustini Deo militare videntur ; nec non cunctis successoribus tuis , qui secundum eandem Regulam vivere voluerint ; ita scilicet , ut nec nos , nec aliquis nostræ posteritatis præsumat de hujus Ecclesiæ redditibus , vel possessionibus quoquo modo , seu qualibet occasione minuere , fraudare , vel aliquas immissiones facere , sed omnia vobis , vestrisque successoribus integra, illibataque permaneant. Obeunte vero te ejusdem Ecclesiæ Priore , nullus ibi qualibet subreptionis astutia , vel violentia præponatur , nisi quem fratres communi consensu , vel fratrum pars consilii sanioris secundum Dei timorem canonice elegerint. Decernimus etiam , ut nulli omnino hominum tam de nostris , quam de extraneis liceat eundem locum super hac nostra confirmatione temere perturbare , aut ejus possessiones auferre , vel ablatas retinere , sed omnia integre conserventur eis , pro quorum sustentatione , ac gubernatione concessa sunt omnimodis usibus profutura ... Facta scriptura libertatis quarto Idus Novembris Era* 1192. *Ego Alfonsus Ancemondes , & filius Menendus Alfonsi , & Gelvira Alfonsi cum supradictis parentibus nostris hanc scripturam libertatis perpetuæ , volenti animo propriis manibus roboramus. Regnante in Portugalia Rege Alfonso Henrici Comitis , & Reginæ Tarasiæ filio ,*

Cardinalis etiam Hyacinthus nomine, qui tunc temporis aderat præsens, laudavit, & auctoritate Apostolica confirmavit. Ego Joannes Archiepiscopus Bracarensis.

Domnus Nicolaus à S. Maria in Canonico chronico (*a*) ait hanc Alfonsi Ancemondes donationem fuisse factam Era 1162. anno scilicet Christi 1124. sed deceptum ipsum existimo, ex numeralibus characteribus, quibus Era scripta est in veteri monumento: sic inscribitur Era *MCLXII.* literam *X* supra signatam ille non inspexit, quæ apud veteres Lusitanos quadragenarium numerum exprimebat; & in Eram 1192. incidit. Cetera etiam, quæ ibidem enarrantur, nec ad annum 1124. nec ad Eram 1162. contigisse creduntur. Nondum enim erat Bracarensis Archiepiscopus Joannes Peculiaris, qui subscripsit, nec Alfonsus Henricus regni moderamen susceperat; ut ex antehabitis capitibus agnoscet quisquis legerit: nondum Hyacinthus Cardinalis, qui Anastasii IV. primam legationem per Hispanias susceperat, Lusitaniam venerat. Hyacinthi Cardinalis adventus memoria invenitur in veteri Ordinario Monasterii S. Crucis à tempore S. Theotonii: *Dominicæ Incarnationis anno* 1153. *temporibus Domini Alfonsi Portugalensium Regis Comitis Henrici, & Reginæ Tarasiæ filii, ac Regis Hispaniarum Alfonsi nepotis: vir venerabilis Domnus Hyacinthus Cardinalis Sanctæ Ecclesiæ Romanæ legatus processione in Colimbriensi Monasterio Sanctæ Crucis honorifice susceptus est.* Omnia tamen ad Eram 1192. annum Christi 1154. bene conveniunt.

(a) *P.* 1. *lib.* 6. *cap.* 8.

Menendus Alfonsus Alfonsi Ancemondes filius de prole suscipienda nullam spem habens Beatissimam Virginem, quæ in Reflorii Monasterio veneratione maxima colebatur, bonorum suorum hæredem instituit. *In Dei nomine Ego Menendus Alfonsus, & uxor mea D. Gontina Pelais timentes extremum judicii diem, quando retribuetur unicuique secundum opera sua; decrevimus offerre servis Dei portionem nostræ possessionis, ut nos illorum orationibus adjuti à Domino Jesu Christo in cœlestibus Regnis merea-*

mur coronari. Offerimus itaque Deo, & Sanctæ Mariæ de Resloriis, tibique Petro fratri nostro ejusdem Ecclesiæ, & Monasterii de Resloriis Priori, & ceteris Canonicis tuis ibi degentibus in perpetuum totum nostrum Condadum, quod est in eodem loco de Resloriis cum suo Palatio, sicut illum mihi dedit pro meo servitio inclytus Infans D. Alfonsus Henrici Comitis, & Reginæ Tarasiæ filius cum omnibus præstantiis suis, & terris ruptis, & non ruptis, & fontibus, & cum omnibus ruribus suis. Hoc autem totum facimus pro remedio animarum nostrarum, parentumque nostrorum, & ut semper in orationibus, & sacrificiis ejusdem Monasterii partem habeamus. Quicumque vero contra hoc totum facere præsumpserit sit maledictus, & cum damnato Juda in inferno crucietur, & quantum inde auferre tentaverit, tantum in duplum componat. Facta testamenti charta mense Junio Era 1178. De hujus donationis tempore dubietatem ingerunt subscriptiones; subscripserunt quippe Menendus Lamecensis Episcopus, & Odorius Visensis; utrumque anno 1144. ad Episcopatum evectos supra scripsi: ex scriptorum igitur vitio vertendum puto, qui ad annum 1140. ad Eram scilicet 1178. retro traxerunt: Eram potius 1198. annum scilicet Christi 1160. conjecturabo.

Tot largitionibus, ac Canonicornm virtutibus locupletatum Monasterium de Pelagio Tudensi Episcopo, intra cujus Diœcesis limites id temporis erat circumscriptum, ita est meritum, ut ille ab Episcoporum jurisdictione de sui Capituli consensu immune redderet, & Ecclesias, quæ eidem Monasterio tributæ fuerant. Immunitatem firmavit Hyacinthus Cardinalis Sedis Apostolicæ legatus: *Hyacinthus Dei gratia Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconus Cardinalis, Apostolicæ Sedis legatus; dilectis filiis Petro Priori Monasterii de Resloriis, ejusque Canonicis regularem vitam professis in perpetuum ... Nihilominus instrumenta libertatis à venerabili fratre nostro Pelagio Tudensi Episcopo consensu Canonicorum suorum, & ab illustri Alfonso Duce Por-*

tugaliæ, nec non & à fundatore Alfonso Ancemondes, filioque suo Menendo Alfonso, & ceteris ejusdem loci cohæredibus, tibi, & Ecclesiæ tuæ collata, rata, & in perpetuum inviolata, Apostolica auctoritate permanere censemus... Datum Tuden per manum Roberti Capellani Domni Hyacinthi Diaconi Cardinalis Apostolicæ Sedis legati; 18. Kal. Decembris Indictione 3. Incarnationis Dominicæ 1154. Anastasii Papæ IV. anno secundo.

Anno 1163. Summus Pontifex Alexander III. Monasterium in B. Petri protectionem suscepit, libertatemque in posterum observari indulsit: *Ecclesiam B. Mariæ de Refoiis, in qua divinis obsequiis estis mancipati, in Beati Petri tutelam, protectionemque suscipimus, statuentes ut Ordo Canonicus, qui secundum Deum, & Beati Patris Augustini Regulam ibidem, cooperante Domino, noscitur institutus perpetuis temporibus inviolabiliter observetur... Præterea libertatem illam, quam Pelagius quondam Tudensis Episcopus vobis, & Ecclesiæ vestræ concessit, & scripto proprio roboravit, vobis auctoritate Apostolicâ confirmamus. Statuit siquidem, ut eadem Ecclesia cum omnibus suis pertinentiis, & Parochianis ab omni Episcopali jure, & exactione sit omnino libera.* Et ad libertatis indicium singulis annis duo bisantii Apostolicæ Sedi solvebantur.

§. VII.

De Monasteriis de Landim, & de Oliveira.

MOnasterium Sanctæ Mariæ de *Landim*; quod veteres appellabant de *Nandim*, undecimo vergente sæculo, tribus leucis a Bracarensi Civitate ad meridionalem plagam situm est. Primum hujus Monasterii fundatorem traditur fuisse Domnum Gondisalvum Roderici fratrem Gondisalvi Pereira, nepotem Domni Roderici Frojás hujus nominis secundi, & pronepotis celeberrimi illius viri Domni Nonii Frojás de Trastamara, quos meminit Serenissimus Infans Domnus Petrus in libro, quem edidit de Lusitaniæ Primoribus tit. 2.:

quo tamen tempore conditum, & anno non reperitur. Anno 1177. à Virginis partu Monasterium istud moderabatur Præsul D. Nonius Menendus; eoque Præsule eodem anno filii Domni Gondisalvi Roderici prædicto Monasterio donarunt asylum, seu cautum de *Palmeira*, quod anno 1306. Domnus Alfonsus IV. suamet ipsius sententia, & postea anno 1385. Domnus Joannes I. Lusitaniæ Reges firmarunt. Hujus Monasterii Prior omni civili fruitur jurisdictione in ipso *Cauto*, cujus incolæ inter se judices, ædiles, & cetera munera eligant, quos Prior ipse confirmat.

In veteris claustri angulo sepulcrum visitur: est omnium traditio Domnum Michaelem Sylvium Priorem Monasterii Commendatarium, Visensem Episcopum, tandemque Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, illud aperire jussisse, & viri Dei ibidem conditi ossa in alium locum transferre, quod id temporis nimius odor, & flagrantia exierit: sepulcri lapis inscriptum habet epitaphium.

VIR BONUS, ET RECTUS JACET HIC SUB LAPIDE TECTUS
OBIIT KAL. MARTII PETRUS GARCIÆ PRIOR ERA 1236.

Duplex quoque fuisse Monasterium ex veteri constat Neucrologio S. Crucis in ejusdem archivo. *Obiit 8. Kalend. Martii Domna Elvira soror de Nandim.* En filiorum Gondisalvi Roderici erga Monasterium donationem. „ In nomi- „ ne Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Nos Filii de „ Domno Gondisalvo Roderici, Fernandus Gondisalvi, & „ & Gondisalvus Gondisalvi, & Elvira Gondisalvi, & Ro- „ dericus Gondisalvi, eodem animo, & eodem consensu „ facimus scriptum firmitudinis inter nos, quod numquam „ à nobis in vita nostra, nec à filiis, & progenie nostra post „ nos sit licitum infringere. Placuit nobis, & juramento, „ ac benedictione, & maledictione, atque pœna firmavi- „ mus cautum, quod Pater noster bonæ memoriæ Domnus „ Gondisalvus Roderici fecit Monasterio de Nandim, & Or- „ dini Sancti Augustini pro remedio animæ suæ concessit, „ ratum, & stabile in perpetuum permanere. Ita videlicet,

quod

„ quod ille, qui præfuerit Monasterio habeat liberam pote-
„ statem uti eodem cauto, pro sua, & Canonicorum ibidem
„ commorantium voluntate; nec aliquis nostrum in omni vi-
„ ta nostra, vel filii nostri post nos habeamus in eo cauto
„ vassallos, vel exigamus ibi contra voluntatem illorum
„ quaslibet exactiones: quicunque de nobis, vel de filiis no-
„ stris, vel progenie nostra, istud scriptum compleverit ha-
„ beat Domini benedictionem, & Dominus Jesus Christus
„ donet ei feliciter vivere, & hic, & in futuro; qui vero
„ aliter, quam statutum est facere temptaverit sit maledictus,
„ & excommunicatus, & in hoc sæculo, atque in alio sem-
„ per, & infeliciter vivat: insuper autem quicumque ille fue-
„ rit persolvat Monasterio mille soldos. Nos filii de Domno
„ Gondisalvo Roderici supernominati, hoc scriptum manibus
„ nostris roboramus. Facta charta mense Junii Era millesi-
„ ma ducentesima decima quinta. Regnante Domino Alfon-
„ so Rege in Portugale, in Bracara Archiepiscopo Domno
„ Godino Munio, Menendo, Petrus, testes, & multi, qui
„ viderunt, & audierunt, & confirmant, Menendus notavit.

„ Item de Monasterio Sanctæ Mariæ de Nandim Pe-
„ trus Joannis Prior ipsius Monasterii juratus, & interroga-
„ tus dixit; quod Dominus Rex non est Patronus, nec ha-
„ bet ibi colletam, quod quitavit eam in perpetuum per su-
„ am chartam, quam nos Inquisitores vidimus, & legimus;
„ & Monasterium ipsum est cautatum per Patronos à Dom-
„ na Regina Tarasia filia Magni Regis Alfonsi, & habent
„ chartam de ea, quam nos similiter vidimus, & legimus
„ continentem, quod omnia illa, quæ ibi prædicta Regina
„ habebat, ipsi Monasterio pro eleemosyna conferebat. Item
„ dixit, quod terminos ipsius cauti, secundum quod in char-
„ ta expressi sunt, nunquam amplius dilatavit, nec dilatari
„ audivit. Item dixit, quod homines istius cauti non exeunt
„ foras laborare, quantum ad istos Parochianos pertinet hæ-
„ reditates forarias, seu Regalengas Domini Regis. Item
„ dixit, quod forarii Domini Regis non sunt ibi, nec ali-
„ quod aliud est ibi, de quo Dominus Rex incurrat dam-

„ num. Pelagius Novaes Canonicus ipsius Monasterii, Di-
„ dacus Egeæ, Dominicus Pelagius, Domnus Julianus,
„ Domnus Romeus, Martinus Stephani, Gonsalvus Fernan-
„ di, jurati, & interrogati dixerunt omnibus, & per om-
„ nia, sicut Petrus Joannis Prior. „

Cum Monasterium S. Mariæ de *Oliveira*, de quo sæculo 11. cap. 6. §. 7. egi, non longe situm sit à *Landim*, hic advertendum duxi, quod alibi omisi. Equidem Era 1071. fuit extructum, non ab Aria de Brito, ut ex quodam monumento veteri, sed incerto, & impolito fui deceptus; verum à Micto, & Aldosinda; quod palam fit ex donationis scripto, quod ex ejusdem Monasterii de *Oliveira* archivo latinitate barbara adductum est: *In nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & in honorem, vel amorem Christe triumphatilem Apostolorum, & Martyrum tuorum, nos exigui servi vestri Mictus, & Aldosindæ ob nostro inclyto solatio edificamus nos auxiliante, ob remedio animas nostras, edificamus Ecclesiam vocabulo S. Salvatoris, & S. Mariæ semper Virginis, & Genitricis Domini nostri Jesus Christi, & duodecim Apostoli, & S. Michaelis Archangeli, & S. Adriani, & Matalitiæ, & Sanctorum Belleem nutitorum Martyrum, & S. Vincentii Levitæ, quæ sunt reconditæ in villa, quæ vocitatur Olivaria, quæ est subtus cautum saucroso discurrente rivulo Ave territorio..... Urbium Bracaren. ipsam villam concedimus, & præstationibus suis ab integrum per suis terminis, & locis antiquis, concedimus ad ipsum templum, quæ sint pro vestimentum, vel tegumentum servorum, vel ancillarum, quæ in isto loco in vita sua persisterint sub manus patrocinio, vel Abbati nostro Atani confero, id est ipsum locum, in quo Ecclesiam in nostro nomine fundata esse dignoscitur cum ornamentis ejus, quod ad hujus nostræ Ecclesiæ pertinet...... Factum series testamenti X. Kal. Madii Era M.LXXI.* Duplex erat Monasterium Canonicorum, & Canonicarum, *servorum* scilicet, vel *ancillarum.* Ariam Tellonem Germanum fuisse Micti, & Aldo-

findæ conſtat ex ipſius monumenti verbis , quæ diffuſionis vitandæ cauſa non exſcripſi : *Et Villa Belmil, quod caduit in portionem de Germano noſtro Tello Arias pro remedio animæ ſuæ.*

§. VIII.

De Monaſterio S. Salvatoris de Paderne.

INter cetera, quæ in hujus Monaſterii archivo inveniuntur monumenta de prima ſua conditione nullum eſt ; ex quadam tamen donatione à Rege Domno Alfonſo Henrico erga Abbatiſſam Domnam Elviram anno Domini 1140. conſtat fuiſſe Monialium , quæ ſub eadem Elvira communem agebant vitam. A' Paterna Comitiſſa Elviræ matre , & Comitis Tudenſis Hermenegildi conjuge Fundatrice *Paderne* cognomen habuit. Quo tempore Canonici ibidem florere cœperint , & Monialium Monaſterium deſerit, certum quidquam proferri nequit. Attamen anno 1231. Canonici ſub Priore Domno Joanne Pires incolebant , quos Alfonſus III. privilegiis , ac donationibus plurimis locupletavit. En Venerabilis Regis Alfonſi Henrici donationem ergaElviram Abbatiſſam.

„ In nomine Sanctæ , & Individuæ Trinitatis Patris , „ videlicet & Filii , & Spiritus Sancti , quorum diviſa maje- „ ſtas , & una Deitas per infinita ſæculorum ſæcula. Amen. „ Dominis meis invictiſſimis , atque triumphatoribus , glo- „ rioſiſque Sanctorum Sancti Salvatoris, Sanctæ Mariæ ſem- „ per Virginis , Sancti Michaelis Archangeli , & Sancti Pe- „ lagii , Juſti , & Paſtoris , & aliorum Sanctorum , & San- „ ctarum Virginum , quorum eſſe dignoſcitur fundata eſt „ Baſilica , quæ vocitatur Sancti Salvatoris de Paterni ſubtus „ mons Leborario territorio Tudenſis ſedis juxta fluvium „ Minei. Quoniam Ego Rex Alfonſus Portugalenſium Prin- „ ceps , filius Comitis Henrici , & Reginæ Taraſiæ filius „ Magni quoque Regis Alfonſi nepos in provinciarum pro- „ pria largiri deſidero , ut in futurum , quod ſeminaverim „ metam ; & quaſi cum pimgue lapade ingrediar cum ſponſo

„ ad nuptias, facio largitatem ad honorem Sancti Salvato-
„ ris, & Sanctæ Mariæ Virginis de Monasterio Paternii jam
„ supra nominato pro remedio animæ meæ, & matre meæ,
„ & parentum meorum, & pro servitio, quod mihi fecit
„ Domna Ilvira Sarrazeni Abbatissa ipsius Monasterii, servi-
„ tio scilicet decem Equas cum suos pullos, & triginta mo-
„ dios de vino, & unum equum adapretiatum in quingentos
„ soldos, & centum aureos. Istum pretium, & servitium
„ fuit datum quando tomavit Dominus Rex Castellum de
„ Leborario, & pro amoris cordis, quem erga eam habeo,
„ ut habeant inde in vita sancta perseverantes refectionem,
„ unde vivant, & hospites, ac peregrinos recipiant. Cauto
„ igitur prædictam Ecclesiam Sancti Salvatoris, & Sanctæ
„ Mariæ Virginis per terminos istos habeat. Itaque terminum
„ Montezelo, & inde ad portum de Carvalho, deinde sub
„ Oiteiro de Cabronis, deinde vadit ad petra aguta subtus
„ verea de Sancto Thome, inde vadit ad ribalo de Molinus,
„ & intrat in Mouro, deinde vadit sursum per ipsum fluvium
„ de Mouro, deinde vadit sursum per Rialem de fontano co-
„ bo, deinde quomodo dividitur per costa mala, deinde ad
„ Fontem de Seixo, & descendit ad Fontem de Pezo, deinde
„ descendit ad Cabeça de fonte de Cobello, & descendit per
„ ipsum rivulum de Cobello, & inde ascendit ad ipsum oi-
„ teiro de Sante, & venit ad Cepeda, deinde quomodo vadit
„ pera a petra, inter Sanctum Pelagium, & Monasterium,
„ inde per illum de festam usque ad pontem de Cotos, &
„ descendit per ipsum rivulum: inde ad civitatem, inde cau-
„ tum de Maceira. Deinde quomodo vadit per illum agrum
„ de frontania, & deinde admonstezelo. & versum unde pri-
„ us inchoavimus. Habeat itaque prædictum Monasterium
„ per hos terminos quantum ego ipse habeo, & ad Regem
„ pertinet potestatem exopeto unum meum casalium, qui est
„ in loco, qui dicitur Rial, & illi casali habeat Monasterium
„ suas voces, contra quod factum nostrum quicunque vene-
„ rit ad derrumpedum, quam de propinquis, quam de ex-
„ traneis quantum invaserit, vel rapuerit, tantum in triplum

„ prædictæ Ecclesiæ componat, & sit maledictus usque ad „ septimam generationem, & à fide Christianorum excom- „ municatus,& cum Atam, & Biram vivat in infernum, & cum „ Juda traditore habeat portionem, & teneatur persolvere „ Domino Regi secundi auri talenta, vel ei, qui terra im- „ peraverit, & facta charta cauti sub die, quod erit XVI. „ Calendas Maii Era MCLXXVIII. Ego Rex Alfonsus Hen- „ rici hoc cautum propria manu confirmo, & nobis Garcia „ Mendes Alferes confirmat, Gonsalves confirmat, Petrus „ confirmat, Egas Monis confirmat, Laurentius Egee confir- „ mat, Egee Nunes confirmat, Nuno Rodericit confirmat, „ Gonsalves Roderici confirmat. Portugal Alfonsus Rex, „ ac testibus Petrus testis. Pelagius gradiator scriba Domini „ Regis notavit.„

§. IX.
De Monasterio S. Martini de Crasto.

IN oppido de *Crasto* Interamnensis provinciæ Bracarensis Diœcesis Domnus Onericus Suarius in honorem S. Martini Turonensis Monasterium Canonicorum extruxit Era 1174. & ex inscriptione veteri in lapide supra januam commonstratur: *Era MCLXXIIII. XVI. Kalend. Maii cœpta est opera ista.* Primus Monasterii ejusdem regimen habuit Prior Domnus Dominicus Paes ex Canonicis Sanctæ Crucis.

Anno Domini 1190. Clerici quidam ex Onerici progenie, quorum nomina infra in monumento scripta sunt, erga Monasterium testamentum suum condiderunt, & regularem vitam sunt amplexati. *Ad honorem Domini nostri Jesu Christi, ac gloriosissimi Sancti Martini de Crasto, & omnium Reliquiarum Sanctarum, quorum Basilica fundata esse dignoscitur. Nos famuli Dei, qui sumus Clerici, & ex progenie Domni Onerici Suarii de Crasto nati; ego scilicet Onericus Venegas, & ego Rodericus Fernandes, & ego Guterres Suarii, & ego Petrus Suarii testamentum elegimus facere ad ipsos Sanctos, quos superius diximus;*

idcirco damus, & testamus pro remedio animarum nostrarum ipsas Ecclesias, quas habemus de manibus parentum nostrorum, videlicet: Sancti Adriani de Oleiros, Sancti Jacobi de Sam pris; Sancti Romani de Sancta Olaya, & Sancti Michaelis de Brivanes; testamus illas cum omnibus pertinentiis illarum, dictæ Ecclesiæ, & Monasterio Sancti Martini de Crasto, pro Ordine Canonico Sancti Augustini, quem ibi accepimus, & ubi habemus in communi victum, & vestitum, ut subveniat nobis Dominus in die judicii, & audiamus vocem Domini dicentem: venite benedicti Patris mei. Facta series testamenti II. Aprilis Era MCCXXVIII.

Ea erat S. Martini Canonicorum disciplina, ac virtutum incrementum, ut Domnus Godinus Canonicus Regularis Archiepiscopus Bracarensis tempus, quod Episcopatus oneribus aliquandiu eripiebat, cum iis insumeret soli Deo facilius vacaturus. De Bracarensium Canonicorum assensu, ac Regis Alfonsi, & Reginæ Mafaldæ precibus inclinatus eidem Monasterio exemptionis privilegium indulsit, & ab omni jure Episcopali prorsus absolvit; quamobrem possessionem quamdam in Villa de *Mollas*, & duo casalia in terra de *Regaldos* Archiepiscopus ipse in compensationem accepit. Ab humanis sublato Godino, inter Bracarensem Antistitem illius successorem, & S. Martini Canonicos orta est lis.

Bracarensis Archiepiscopus opposuit prædictum Monasterium, cum adhuc Parochialis Ecclesia existeret, & postmodum cum per Bracarensem Archiepiscopum Godinum facta esset Canonica Regularis, jura Episcopalia Bracarensi Ecclesiæ persolvisse; Canonicos vero Archiepiscopo memorato duo *Casalia* conferentes, juris Episcopalis relaxationem impetrasse, sed dissensione postmodum exorta, Canonicos eosdem, *Casalibus* prædictis receptis, jura Archiepiscopo, & successori diutius persolvisse: adjecit quoque, quod ipse ab eadem Ecclesia, sicut ab aliis Monasteriis Bracarensis Diœcesis, jura Parochialia, & procurationes annuas aliquandiu recepisset, quæ cum sibi præsumpsisset post mo-

dum denegare, post primam, secundam, & tertiam commonitionem, suspensionis in Priorem, & in Monasterium interdicti sententiam promulgavit, ac postea tam Priorem, quam Conventum, quia sententiam ipsam non servarent, excommunicationi subjecit

Coram Guidone S. Romanæ Ecclesiæ Cardinali Diacono, qui id temporis in Portugalia legationis officio fungebatur, quæstio istæc fuit agitata, & tandem Priori Monasterii Sanctæ Crucis ex ipsius delegatione commissa: pars adversa, lite pendente, ad Apostolicam Sedem accedens veritate tacita prædicti privilegii confirmationem à Cælestino III. impetravit. Allegabat tamen Archiepiscopus Bracarensis, ex privilegio ita impetrato nullum debere sibi præjudicium generari, & ante omnia debere restitui, cum jure consueto a Priore, & Canonicis auctoritate propria spoliaretur. Denique ad Innocentium III. anno 1. sui Pontificatus à Virginis partu 1198. integra causa delata est; qui cum ad plenum de præmissis non esset certus ad Lamecensem Episcopum, & Priorem de Ecclesiola Apostolica scripta mandavit, ut partibus convocatis, audirent hinc inde proposita, & quod justum foret inter eos, appellatione postposita, statuerent, & quod decernerent, firmiter observari præciperent.

Anno 1199. Bracarensis Archiepiscopus vehementius conquestus est obedientiam, ac reverentiam à S. Martini Canonicis denegari; quapropter Innocentius eorundem Priori scriptis suis præcepit, ut non obstante hujuscemodi privilegio, & commissione, quam ad Episcopum Lamecensem, ac Ecclesiolæ Priorem dederat, Bracarensi Antistiti, & Ecclesiæ Bracarensi, quemadmodum alii suæ Diœcesis Prælati, humiliter obedire curaret. Quocirca ad Episcopos Portugalensem, & Lamecensem, ac Abbatem de Burio literas misit, ut si S. Martini Prior parere renueret, veritate cognita, per censuram Ecclesiasticam sine appellationis obstaculo compellerent. Innocentianas literas in lucem prodidit Stephanus Balusius n. 119. & 150. nec non Eminentissimus de Aguirre tom. 5. Conciliorum Hispaniæ.

§. X.
De Monasterio S. Marinæ da Costa.

ANno Domini 1154. Domna Mafalda Portugaliæ Reginæ, ac Venerabilis Regis Alfonsi Henrici conjux in honorem Sanctæ Marinæ prope Vimaranum Canonicorum Regularium Monasterium extruxit de *Costa* nuncupatum, quod ævo nostro à Monachis Hieronymianis ab anno 1528. incolitur. Novo conventui primus præfectus est Domnus Menendus ex septuaginta duobus Canonicis S. Theotonii discipulis, quem Mafalda ipsa ad confessiones suas destinaverat: id equidem constat ex veteri monumento Emphyteutico Era 1183. inter Menendum, ac Didacum Amarellum virum ex Lusitaniæ primoribus. Inter Bracarensem Archiepiscopum, ac Monasterii hujus Priorem dissidium crevit. Prior Archiepiscopo obedire renuebat, seque immunem referebat; Archiepiscopus ad Innocentium III. Romanum Pontificem detulit, qui tamen literis suis Priori jussit, ut Bracarensi Ecclesiæ obedientiam, ac reverentiam debitam, sicut alii ejusdem Diœcesis clerici, impenderet; quin tempus præscriberet: ex cap. 12. lib. 2. Decretalium tit. 26. de Præscriptionibus.

Gaspar Estatius (*a*) existimat Reginam Mafaldam non in honorem S. Marinæ Gallæcæ, aut Portugalensis, sed Antiochenæ, quam Martyrologium Romanum ad diem 20. Julii meminit, Monasterium condidisse. Quis crederet Mafaldam in extraneæ, & non in Lusitanæ, & concivis suæ obsequium opus insigne perfecisse? Domnus Theotonius de Mello Canonicus Regularis, ac Prior Monasterii de Refloriis inter cetera monumenta, quæ scripta Chronico Canonico laborando reliquit, ait inter alia, quæ in Auriensis Sedis archivo de Domno Petro Seguino S. Crucis Canonico, & illius Sedis Episcopo invenerat, id reperisse Reginam Mafaldam Seguino supplicasse, ut S. Marinæ, quæ ibidem ad *Aquas Sanctas* passa erat, reliquiam ad se mitteret in novo Monasterio omnium venerationi collocandam, & Seguinum Sanctæ ejusdem

(a) *De Antiquit. Lusitaniæ cap* 25.

ejuſdem capitis portionem per Canonicos ſuos obtuliſſe, quæ argento circumcluſa anno 1156. veneratione maxima habita eſt. Idemmet ſcriptor addit poſt Maſaldæ mortem ad S. Vincentii Olyſſiponenſis Monaſterium fuiſſe translatam, ibidemque miraculis quamplurimis coruſcaſſe. Id tamen prœterire nequeo Marinam Martyrem Antiochenam apud Luſitanos Maſaldæ tempore maxime coli, quod videre erit in vetuſtiſſimo codice de Sanctorum vitis manuſcripto a tempore S. Theotonii, qui apud nos in archivo cuſtoditur.

Plurima alia præter dicta erant per Luſitaniam duodecimo ſæculo Canonicorum Regularium Monaſteria, quorum nomina catalogo dicam ex manuſcripto codice Sanctæ Crucis archivi. Alia Canonicis jam deſtituta, vel ex Regularibus Collegia Clericorum ſæcularium ſunt effecta, vel Commendata, vel ad alios Ordines Regulares ſunt translata, illisque unita. Quæ Canonicis Regularibus jam carent, & facta ſunt ſæcularium, vel ad alios Ordines pertinent, iſta ſunt.

Eccleſia Leirinenſis, quæ ex ſimplici Collegiata, erecta eſt in Cathedralem, & ſæcularis effecta.

Eccleſiæ Scalabitanæ Sanctæ Mariæ de Alcaçova, & Maravillæ.

Monaſterium de Leça juxta fluvium Leça ædificatum, nunc Ordinis militiæ S. Joannis Hieroſolymitani.

Monaſterium Aquarum Sanctarum ejuſdem Ordinis Melitenſis.

Monaſterium Sanctæ Mariæ vulgo Sedofeita juxta Portugalenſem civitatem, nunc Canonicorum ſæcularium.

Monaſterium Sancti Martini de Mancellis, nunc Prædicatorum Ordinis S. Dominici.

Monaſterium S. Andreæ de Anſede, nunc ejuſdem inſtituti.

Monaſterium Sanctæ Mariæ de Carquere prope Durium non longe à Lameco, quod Jeſuitæ poſſederunt.

Monaſterium S. Joannis Longarum Vallium ejuſdem poſtea inſtituti.

Monaſterium S. Jacobi Dantas, nunc Abbatia ſæcularis.

Monasterium S. Salvatoris de Balneo, olim nobilissimum, modo Commendatum Ordinis militiæ Jesus Christi.

Monasterium S. Salvatoris de Ribas, nunc Commendatum, cujus Prior, & Canonicus Beatus Menendus sanctitate floruit, & ob ejus sanctimoniam post illius obitum sepulcro inscriptum fuit: *Hic jacet Domnus Menendus hujus Monasterii Prior, qui nunquam dum vixit, pedem movit, nisi ad obsequium Dei.* Quod epitaphium à veridicis inscriptum, compertum est anno 1565. annis circiter quadringentis ab depositione transactis, cum Rodericus de Mello ejusdem Monasterii Commendatarius ob famam sepulcrum aperiri jussit: nam repertum est cum epitaphio corpus reliquum in cineres volutum præter pedes, & crura integra, & cum carne quasi animata, cum caligis, & calceis, quæ crura, & pedes tegebant, quæ ita reperta sunt illæsa ad viri Dei sanctitatem, & epitaphii veritatem probandam.

Monasterium S. Torquati, nunc ad Ecclesiam Vimaranensem unitum.

Monasterium Rivuli mali, quod ad S. Simonis da Juncaria nunç pertinet.

CAP. VII.

De Monasteriis, quæ sub regula S. Benedicti floruerunt.

§. I.
De Monasterio S. Joannis de Tarouca.

QUo jure Cistercienfi Ordini devincitur Lusitania, quæ per tot clarissimorum Monachorum merita, & orationes à Saracenorum jugo est liberata? Sanctus Bernardus Claravallensis Abbas sæculo ineunte duodecimo per Gallias tot Monasteriorum Auctor, & Parens in Lusitaniam spiritum suum, & animam dividere intendit. Monachos octo,

quos virtutibus ornatos agnoverat, Boemundum, Aldebertum, Joannem, Bernardum, Albericum, Sesnandum, Rolandum, & Alanum misit, qui in Hispaniarum terminis Monasterium conderent loco, quem Deus iis destinaret. Per ipsos ad Joannem Ciritam virum quemdam insignem literas dedit, sub cujus auxilio, & ope novo operi incumberent. Lusitaniam ingressi Lamecum petierunt, & prope hancce civitatem Ciritam in via invenientes lætati sunt, & S. Bernardi literas tradiderunt.

Venerabili Fratri Deo dilecto, & in via sæculi hujus commilitoni nostro Joanni Ciritæ Bernardus Abbas dictus de Claravalle salutem in Domino sempiternam. Permittente Patre miserationum, & Deo totius consolationis, qui non sinit animas peccatorum in æternum baratrum demergi, scivimus de Fraternitate, quo pacto assiduis orationibus pectus dominicum pro peccatorum venia pulsare non sinis, & quia vir desideriorum es, adimplevit Dominus desiderium tuum, dum nobis aperuit exaudiri deprecationes tuas, & nos qui in eadem voluntate societatem tuam sequimur, mittimus hos filios tuos, quos lacte sanctissimæ doctrinæ Domino nutrivimus, ut quocumque miseratio Divina disposuerit, & signum cæleste micaverit, Monasterium condatis, cujus tu, dum advixeris, tanquam Prætor, & ceterorum signifer praeeris, & sub invocatione S. Joannis, eidem, & Altissimo, qui sic voluit, consecrabis. (a) *Fraternitatem tuam servet Dominus, & in melius augeat.*

(a) *Ex Archivo de Tarouca.*

Perlectis literis, Joannes Abbas, ac ceteri Monachi Vimaranum ad Alfonsum Portugalensium Principem properarunt, à quo Joannes ipse postulavit locum, in quo novum conderet Monasterium: Piissimus Princeps non tam annuit, quam chartam fecit exarari: *Alfonsus Gloriosissimus Princeps Portugalensium, Comitis Henrici, & Reginæ Tarasiæ filius, magni quoque Alfonsi nepos pro remedio animæ meæ, & parentum meorum facio vobis Abbati Joanni, & fratribus, qui vobiscum sunt, chartam, & cautum, nequis*

vos impediat eundi, & ædificandi Monasterium Ordinis Sancti Benedicti sub nova reformatione, tali pacto, ut solum ubi illud feceritis, sit nostri dominii, & si alterius fuerit, ematur nostris expensis: & si aliquis de vassallis nostris, vel militibus contra hoc venerit, sit maledictus à Deo, & inferno dampnatus. Facta charta cauti apud Vimaranes, Kal. Octobris. Era .... Ego supradictus Princeps hanc chartam propriis manibus roboro.

Regis nutu accepto, ad fluvium Barosam redierunt, & in montis declivi sacellum erexerunt, ubi per aliquot dies in oratione perseverantes spectabant, ut Deus opere adimpleret, quod Sancto Bernardo promiserat. Nocte quadam Frater Boemundus cœlum aspiciens lucis radium in imo vallis juxta fluvium conspexit, & per alias septem noctes reliqui omnes demirantes crediderunt id à Deo signum ostendi, ut Monasterium fieret; quapropter ad Joannem Ciritam scripserunt, qui erat apud Lafoés. *Venerabili Patri Joanni Ciritæ, Boemundus, & reliqui, qui cum eo sunt, salutem. Noveritis, miseratione Divina sic disponente, signum mirabile indignis oculis conspexisse, non solum ego, sed & nos omnes, quos in hoc loco reliquistis, & quia duodecim jam transierunt noctes, postquam illud primitus vidimus, & à Patre nostro, qui nos huc direxit, simile prodigium audivimus, ideo visum est hoc sibi eis referre, ne forte velit Altissimus hac parte Monasterium stabilire. Valeat Paternitas tua, & hos filios apud Deum commendatos habe.* Literas non sine lacrymis legit Joannes, & respondit.

Dilectissimis fratribus, qui sunt in Romitorio supra fluvium Barosæ ad montem curvum Joannes indignus servus Christi in Salvatore mundi perpetuam salutem. Misericordiam Domini in æternum cantabo, quam dignatus est ostendere super servos suos. Fiduciam habete, & credite verbis Magistri vestri, quia secundum ea appropinquat dies gaudii vestri, & ne falsis ostentationibus deducamini, innixe observate, & cum lacrymis petite à Domino universorum, ut signum istud iterum dignetur ostendere, &

quo loco post missarum celebrationem claritatem videritis, signate, & circumvallate, ut in eo, Domino adjuvante, Monasterium construamus. Servet nos servator omnium, & in sanctis orationibus vestris veniam postulate pro peccatis meis.

His transactis, lux iterum pristino loco emicuit, & paucis post elapsis diebus, venit Joannes, cui in oratione lux ipsa apparuit: quo portento commotus cum Monachis Bracaram ad Alfonsum profectus est Principem de prodigio certum redditurus, facultatemque habiturus, ut Monasterium construeretur in loco, quem Deus ipse signo probaverat. Eorum desideriis, ac postulatis annuit Alfonsus, septuaginta quatuor *frisantes* de argento pro adjutorio designavit. *Frisante* nummus erat id temporis usitatus, cujus tamen valoris esset, in tanta veterum nummorum regni varietate nemo est, qui invenerit. Cum Mauri Trancosum impeterent, ac vastarent, Alfonsus collecto milite Lamecum venit, & Barosam pertransiens novi Monasterii meminit, ac invisit. Monachorum in tuguribus degentium pauperiem, nec non cœlestium rerum assiduam contemplationem demiratus Angelos in terris vivere credebat.

Vidit sub Boemundo Abbate divinis laudibus, & laboribus manuum spiritum, & corpus terentes, & tamen nihil præter panem ex typhe confectum, nigrum, & insipidum gustare, nec illo semper vesci licebat; nam multa oppressi penuria vix aliquando oleribus aqua pura decoctis sine oleo, sine sale, aut aceto saturabantur. Hæc dum Princeps sedula meditatione perpenderet, interius commotus est, quod si sanctæ illius Congregationis muniretur suffragiis, facile de Saracenis reportaret victoriam. Cum inter ceteros Aldebertum sanctitate præcipuum agnosceret, eum secum ducere statuit, ut orationibus, & meritis tanti viri hostium exercitum adoriri non timeret. Aldebertus, annuente Boemundo Abbate, ferens secum æneam crucem, quam ipsi Sanctus Bernardus in amoris signum dederat, & reliqua ad peragendum sacrum necessaria, in Alfonsi comitatu discessit.

Brevi confecto itinere, Albucasanum numerosis copiis constipatum in Trancosi obsidione inveniunt, qui in militum suorum multitudine confidens, exiguum Catholicorum exercitum contemnebat. Alfonsus milites suos ad prælium præveniens, piis verbis exhortabatur, ut in Domino spem omnem collocarent. Et conversus ad Aldebertum rogavit, ut dum ipse certaret, precibus suis Deum oraret, Divinamque eflagitaret clementiam, qua de hostibus obtineret victoriam. Igitur certamine inito, Arabes in congressu Lusitanos nimis collidebant, ipsis viriliter resistentibus. Interea Sanctus Monachus ferventissimas preces Deo pro Principe, ac populo fundebat; & quo magis in oratione incalescebat, eo plus roboris christianis divinitus augebatur. Dum hostes se plus solito vexari cernerent, nostris terga præbuerunt; Alfonsus eos insequitur, innumeros stravit, reliquos fugavit, victor divina virtute factus est, ac divisis inter milites spoliis, Domino, & ejus famulo Aldeberto grates impendit. Inde nuntiatum est Principi, aliquos Saracenos ex his, qui fugerant, versus Pacem Juliam tendisse, Lusitaniam, & quæcumque Alfonsi esse sciebant, vastasse. Quare equitibus collectis, occurrit, Aldebertum in tentoriis reliquit, & sese hostibus medium dedit. Saraceni semper eos irruentes, fortiterque congredientes, multis prostratis Lusitanis, in fugam dederunt. Alfonsus fugiens tristis evasit, & in certamine crucem illam æneam Sancti Patris Bernardi amisit.

Lusitanorum stragem Princeps ægre tulit, agnovitque se antea non suorum fretum virtute, sed Aldeberti precibus victorem extitisse. Ad castra reversus, Trancosum militibus, ac bellicis instrumentis munivit, & versus Araducam iter egit. Ecce inimicus iterum vires erexit, copias suas disposuit, quibus vias occupavit, transitumque juxta fluvium Tavoram obsedit. Alfonsus priori cæde cautus exercitum suum composuit, & Aldebertum præveniens, ut inter præliandum Deum exoraret, prælium iniit, contra Mauros fortiter dimicans, ipsos præ nimia clade fatigatos fugere coegit, & absque periculo cum suis flumen trajecit. Sequenti die Sancti Joan-

nis de Tarouca Monasterium victor intravit, lætantibus Monachis, & Divinam Potentiam, ac Pietatem hymnis recolentibus. Tunc Alfonsus munificentia sua Christi pauperibus ex spoliis adquisitis magnam partem tradidit, & se illius Monasterii Patronum, & Fundatorem constituit. Ad quod incipiendum, perficiendumque Joannem Froylacum egregium sui temporis Architectum accersivit: & Princeps ipse primum lapidem jecit in fundamentum die Junii anno 1122. Sic illius expensis Monasterium erectum est, in cujus templó, ne tanti miraculi memoria periret, Regis Arabis Pacensis vexilla militaria magno populi applausu collocavit. Extat in ejusdem Monasterii archivo hujus victoriæ, ac fundationis monumentum; istud scilicet Alfonsi privilegium.

In nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Ego Alfonsus Portugalensium Princeps victoriosissimus, Comitis Henrici, & Reginæ Tarasiæ filius, Magni quoque Alfonsi Imperatoris Hispaniarum nepos, notum facio præsentibus, & futuris; quod Rex Albucasan, Rex de Bodalbouce venit cum sua gente destruere nostras terras, & circumdavit Trancosum, & multa alia Castella de mea terra depopulavit, & levavit captivos homines, mulieres, parvulos, jumenta, & multos ganetos, & fecit multum roxum, & reliquit destructam totam terram; per ubi ego congregavi meos homines, & fui per ubi erant fratres Sancti Joannis de Barosa, & inveni eos, quod vivebant in multa sanctitate, & quia cognovi Dominum esse cum illis, levavi de ibi Priorem Aldebertum, ut rogaret pro me, & pro mea hoste, & diceret missas; & adjuvavit me in prælio sic bene, quod cum oraret, ego vincebam. Et uno die reliqui meam hostem, & fui sine illa rixare cum Mauris, in qua rixa perdivi unam crucem, quam levavi de Monesterio, & multos milites, & cum Lazeria recessi, propter qui rixavi sine oratione boni viri. Ego igitur prædictus Princeps cum intellexi virtutem, & bonum secorrum, quod mihi dederunt suæ orationes pro servitio Dei, & remedio animæ meæ, & paren-

tum meorum do Monasterio Sancti Joanni, & fratribus; qui in eo servierint, casalia, reguenga, quæ habeo apres Trancosum, ut sit illis in victum, & vestitum cum omnibus suis pertinentiis, ingressibus, & regressibus. Si vero aliquis tam de nostris, quam de extraneis, hoc pactum erumpere temptaverit, imprimis sit maledictus, & cum Juda traditore in inferno damnatus. Facta charta mense Junio Era 1160. *Ego præfatus Princeps hanc chartam, quam fieri jussi propriis manibus roboro, & mea auctoritate confirmo.*

§. II.
De Monasterio S. Christophori de Lafoés.

PRope fluvium Vaccam in monte aspero, & inculto, quidam Lusitaniæ viri sub Joanne Peculiari postea Canonico Regulari, & Archiepiscopo Bracarensi eremum coluerunt, quibus etiam adscriptus est Joannes Cirita postea hujus Monasterii Abbas, qui sæculari militia derelicta, soli Deo militare intendit. Joannis, ac Eremitarum ceterorum meritis excitatus Alfonsus Portugalensium Princeps facultatem præbuit, ut novum Monasterium conderent: *In Dei nomine. Quoniam decet unicuique fidelium de bonis sibi à Deo collatis, Dei ministros participes efficere. Idcirco Ego Infans Alfonsus, Dominus Portugalensium, Comitis Henrici, & Reginæ Tarasiæ filius, cognoscens bona, quæ quotidie de manu Dei suscipio, facio vobis Abbati Joanni Ciritæ cautum, & donationem de illa terra, quæ jacet super fluvium Vacca ad rivulum de Tortello, ut possitis ibidem facere Monasterium in loco, quem volueritis pro servitio Dei, & Martyris Sancti Christophori, & nemo vos contradicat, nec impediat, neque de nostris, neque de extraneis; quod si aliquis attentaverit, sit à Deo, & ejus Martyre Christophoro maledictus, & in inferno cum Juda traditore damnatus, insuper pariat decem solidos, & charta firmiter maneat in suo robore. Facto cauto mense Januario Era* 1161. *Ego supra nominatus Infans roboro, & confir-*

confirmo. Petrus Cancellarius Principis , qui notavit.

Elapsis aliquot annis, ad annum circiter 1136. Sancti Benedicti regulam amplexus est Joannes Cirita, & qui cum eo erant apud *Lafoés*, nec in Sancti Christophori tantum Monasterio, verum & Sancti Joannis de Tarouca vixit Abbas: quod constat ex monumento veteris donationis a Rege Alfonso Henrico erga idemmet Monasterium: *Pro vobis Abbate Joanne Cirita, & Aldeberto, & reliquis fratribus, qui vobiscum regulam Sancti Benedicti Patriarchæ tenent, facio cautum ... Era* 1169. Ex alio quoque monumento Sancti Joannis de Tarouca archivi fit certum: *Abbas* (Boemundus) *claruit miraculis, & dedit habitum ordinis nostri* (Sancti Benedicti) *Joanni Ciritæ, qui suos fratres in Romitorio de Alafum commorantes sub eadem regula, & reformatione constituit, & in ea sanctissime vixit.* Joannes, derelictis dignitatibus, quibus veluti Abbas Generalis Cisterciensibus Monachis præerat, in Sancti Christophori Monasterio dies suos transegit; morti proximus eos, qui secum erant, ad perfectionem commonuit, & ad absentes epistolam misit.

Joannes pauper virtutum, & dives defectuum vobis Religiosis viris, qui Domino offertis sacrificium immaculatum, salutem sempiternam, & mei recordationem. Placuit Domino Jesu Christo deducere me ad finem, quem desiderabam, appropinquat dies resolutionis, & gaudii mei, sed quia me novi inopem vestrarum virtutum, & timeo non sine oleo compaream coram sponso, vos qui cum tempore præparastis lampades vestras succurrite mihi, dum tempus est, ne forte audiam illud durum eloquium: nescio vos: & si Dominus dederit quam spero lucem inaccessibilem, meum erit vestris non deesse necessitatibus, quippequi frater, & socius vester fui in tribulationibus, vos non relicturus tempore gaudii, & quia infirmitas labefactat corpusculum, salutat vos anima, pro qua Dominum deprecemini. In eodem Monasterio post obitum sepultus est hoc veteri inscripto epitaphio:

JOANNES ABBAS CIRITA REXIT MONASTERIUM SANCTI JOANNIS, SANCTI CHRISTOPHORI, SALZEDÆ, ET SANCTI PETRI, CLARUS VITA, CLARUS MERITIS, CLARUS MIRACULIS, CLARET IN CŒLIS OBIIT DECIMO KALENDAS JANUARII ERA MCCII.

Joannes non tam à Cifterciensibus laudatur, verum & ab omnibus, qui Lufitani imperii initia memorarunt. D. Nicolaus Antonius in veteri Bibliotheca Hifpana lib. 7. cap. 6. eum inter veteres fcriptores numeravit, quem fequutus eft Regiæ Academiæ, & Liturgicæ eruditiffimus Socius Didacus Barbofa Machado in Lufitana Bibliotheca. D. Cafimirus Oudinus de Scriptoribus Ecclefiafticis fæculi 12.

§. III.
De Monafterio Alcobatiæ.

CUm Saraceni, quos Alfonfus junctis copiis non femel profligaverat, reaffumpto exercitu, rapinis, ac incendiis Lufitanorum agros devaftarent, & Scalabim munitiffimam urbem obtinerent, unde veluti ex tutiffimo propugnaculo exeuntes crebris incurfionibus Chriftianos infeftabant. Alfonfus populum fuum variis, adverfifque bellis protritum cernens, conatus omnes intendit, ut civitatem illam fitu arduam occuparet, & Saracenorum jugum excuteret. Paucis igitur, fed ftrenuis militibus ftipatus, rem aggreditur. Vifa civitate, rupium altitudine, murorum fortitudine, à fpe, quam conceperat, refiluit; & nimio dolore angebatur. Alfonfi frater Petrus Alfonfus, qui aderat, Regis anxietatem agnofcens ei perfuafit, ut negotium illud Beati viri Bernardi precibus committeret, nec de felici eventu dubitaret. Quibus verbis commotus Catholicus Princeps in cacumine montis, ubi cum exercitu caftrametatus fuerat, flexis genibus deprecatus eft Deum. Promifit etiam fe Ordinis Cifterciensis Monafterium extructurum, cui omnia quæcumque

cernere poterat, in perpetuum Monachorum usum assignavit. Edito voto, exauditæ sunt preces, statimque Deus famulo suo Bernardo Regis oppressionem, preces, & de ædificando cœnobio votum revelavit, qui etiam indicavit fratribus suis Claravalensibus, ut & ipsi Divinam pro ea necessitate interpellarent Clementiam.

Sequenti nocte eidem Alfonso precibus, & orationi insistente Sanctus Bernardus apparuit, pio Regi animum dedit, victoriam promisit. Visitatione ista munitus Rex iterum Scalabim obsidere parat, ducentos, & quinquaginta deligit, & proficiscitur: nulla suorum clade, hostium tamen plurima, munitissimam urbem obsidet, expugnat, possidet. In hujus prodigii memoriam columna ex lapide erecta est, ubi votum de ædificando cœnobio voverat. Era 1185. anno Domini 1147. novo extruendo Monasterio locum dedit Alfonsus, anno vero 1148. in die Purificationis Beatissimæ Virginis Mariæ, ipse Rex primus omnium ligone apprehenso, terram fodit, (*a*) qua sportam implens humilis asportavit: ejus exemplum imitatus est Petrus ipsius frater, & post ipsum ceteri nobiles. Domum illam ex quadrato lapide singularem extruxit, censu divitem, ope quidem visendam, magnitudine augustam, incolarum numero tam frequentem, ut semper alii per vices canendo in orbem ire dicerentur; & perenni laude choro adessent, cum non posset tam ingens multitudo simul omnis in idem officium convenire; aliquando enim nongentos fertur superasse. Tanta erant exempla, ut omnis fere Lusitania commota Alcobatiensibus claustris includi videretur.

(a) *Chrisostomus Henricus in fasciculo Sanctor. Cistercienfium lib. 1. dist. 4. cap. 27.*

Nec tantum Alfonsus, verum & Ferdinandus Hispaniarum Rex Monasterium redditibus ampliavit. *In nomine Domini Jesus Christi. Amen. Regiæ Majestatis officium esse dignoscimus, sancta loca, & religiosas personas diligere, ac venerari, & eas largis ditare muneribus, ut dando terrena adipisci mereatur æterna. Ea propter ego Dominus Fernandus Dei gratia Hispaniarum Rex recipio in protectione, & defensione mea omnes res Monasterii de*

Alcobaça, videlicet mercaturas, & equitaturas, & universam pecuniam supradicti Monasterii, & mando, quod in toto Regno meo nullus sit ausus pedagium, sive de rebus, vel de mercaturis suis accipere. Quicumque igitur de cetero portaticum in aliqua parte regni mei de rebus, vel de mercaturis jam dicti Monasterii acceperit, vel ullam injuriam, seu violentiam in illis eidem Monasterio fecerit iram Dei Omnipotentis, & Regis indignationem incurrat, & cum Juda Domini traditore in inferno sit damnatus, & pro temerario ausu parti Regis mille morabitinos persolvat, & quod invaluerit quadruplum reddat, & hoc scriptum semper maneat firmum. Facta charta apud Zamoram mense Aprilis Era M.CCXII. Regnante Rege D. Fernando Legione, Extrematura, Gallæcia, & Asturiis.

Mortuo Alfonso, Sanctius I. ejus filius non minus erga Monasterium istud afficiebatur, & præter donationem de Abemeneci in Algarbio hanc fecit exarari, quæ in ejusdem asservatur archivo. *In nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Catholicorum Regum devotio idcirco commendatur, quatenus quod ab eis pie agitur firmi roboris teneat dignitatem, & habeat exinde posteritas, quod studeat imitari, ut tunc se sentiat boni parentis hæredem, qui succedit in regno, cum in moribus, fide, & religione, possit non dissimiliter inveniri: quapropter ego Sanctius Dei gratia Portugalensium Rex, & uxor mea Domna Dulcia, una cum filiis nostris Rege Domno Alfonso, & Rege Domno Petro, & Rege Domno Fernando, & filiabus nostris Regina Domna Tarasia, & Regina Dõna Sancia, volentes pro temporalibus cœlestia, pro perituris æterna mercari ad honorem ejus, qui nobis, ut simus contulit, & regnemur, & Beatæ Mariæ de Alcobatia, & omnium Sanctorum Dei. Damus, & in perpetuum habendam concedimus paludem de Otta à loco illo, quo discurrere solebat rivus de Alamquer usque ad portum de Saicera, sic dividitur per illa cauta, quæ jussione nostra Magister Domnus Galdinus, & Pelagius Dadi Prætor tunc de Santaren,*

& Egeas Pelagii, & Joannes Carapesal tunc Prætor Leirene, & Fernandus Bispo, & Menendus de Repesti, & Gondisalvus DD, & Suerius Ribeira, & Suerius Monachus cum Portario nostro Petro Magistro utrique erexerunt vobis Domno Martino Abbati Alcobatiæ, & loci ejusdem Priori Fratri M. & Christi pauperibus ibidem sub religione regula conversantibus, ut misericors Deus nos suos hæredes constituat, qui si datum reputat, quod processius pauperibus erogatur, cum integra igitur devotione vobis quidquid infra prædicta cauta concluditur, assignamus, & ut factum nostrum robur obtineat in perpetuum, quod pie fecimus præsentis inscripti testimonio confirmamus, abhibemus etiam nequis ausu temerario assignata à nobis cauta transgredi præsumat, ut inter quidquid volente subtrahat inter quidquid facere temptet contra voluntatem pauperum Christi, quibus pernominata hæreditas assignatur; at si quisquam fecerit, tanquam Regii transgressor mandati voci Monasterii ducentos solidos pro cauto rupto componat, & damnum, quod fecerit, dupliciter restauret. Siquis igitur de successione nostra, quod à nobis factum est in melius promovere studuerit, & assignatam Christi pauperibus hæreditatem manu tenuerit, benedictionibus desuper illustretur, ut videat, quæ desideraverit oculis ejus, & à bono desiderio non fraudetur, si vero secus facere præsumpserit pro ausu temerario Dei maledictionem, & nostram incurrat, sitque illi successor, quidquid boni fecerit ipse pervertat. Amen. Facta charta donationis, & cauti mense Martio Era M.CCXXVII. Ego Rex Domnus Sancius una cum uxore mea, & filiis, & filiabus nostris supra nominatis vobis Domno Martino Abbati Alcobatiæ, & Priori Domno M. & Fratribus vestris præsentibus, & futuris hanc chartam roboro, & confirmo ..... Julianus Cancellarius notavit. Qui adfuerunt. Comes Domnus Menendus Maior domus Curiæ confirmo. Domnus Petrus Alfonsus signifer Regis conf. Domnus Petrus Fernand. confirmo. Domnus Gonsalvus Gonsalvi, confirmo. Domnus Alfonsus Hermi-

gii conf. Alcaydus Domnus Menendus Hestrema confirmo, Domnus Joannes Fernandi Dapifer Regis conf. Egeas Pelagii testis, Petrus Menendi testis. Suerius Ulixbonensis Episcopus conf. Pelagius Eiborensis Episcopus conf. Martinus Colimbriensis Episcopus conf. Joannes Visensis Episcopus conf. Godinus Lamecensis Episcopus conf. Reymondus Joannes testis. Suarius Suarii testis. Pelagius Minis testis. Ex hoc monumento putarunt alii Domnum Menendum primum fuisse Comitem in Lusitania à tempore Venerabilis Regis Alfonsi; immerito tamen; cum alios eodem titulo ante ipsum subscripsisse videremus.

Romani Pontifices gratiis, & privilegiis novum Monasterium exornarunt. Alexander III. anno 1163. die vigesimaseptima Martii literis suis illud sub Apostolica protectione suscepit. Urbanus III. anno 1186. ad Archiepiscopum Bracarensem scripsit, & ad ceteros Præsules suffraganeos, ut subditis suis prohiberent, ne de possessionibus Alcobatiæ, ac reliquorum Monasteriorum Cisterciensium, quæ intra Dioeceses suas sitæ erant, & à Monachis sumptibus propriis cultæ, decimas peterent. Lucius III. Clemens III. ac Cælestinus III. erga Monachos ipsos plurimarum gratiarum largitores fuerunt munificentissimi. Id quidem erga Romanam Sedem Monachorum sanctimonia promerebatur: per universam Lusitaniam Sancti, & Christi pauperes audiebant; *(a)* ita ab Venerabili Rege Alfonso nominabantur. Regi eidem Alfonso, ac successoribus adeo grati erant, ut Alcobatiæ Abbates à Regum eleemosynis, & consiliis instituerentur, ante militarium ordinum Magistros post Episcopos in curia olim sedebant, ac subscribebant. Domnus Martinus I. Abbas Alcobatiæ post Alvarum Olyssiponensem Episcoporum ultimum, qui subscripsere, suo nomine donationis roboravit monumentum, quod Venerabilis Rex Alfonsus de oppido Abiul erga Laurbaniense Monasterium jusserat exarari anno 1175. *(b)* Post Martinum in Abbatem assumptus est Domnus Petrus, cui alius Martinus successit, ad quem Sanctius Rex præfatam donationem fieri jussit; & in ejusdem Monasterii capitulo se-

(a) *Ex archivo Alcobatiensi.*

(b) *Ex archivo Laurbaniensi.*

pultus est : *Era M.CCXXXII. Kal. Octobris obiit Domnus Martinus Abbas III. Alcobatiæ.*

§. IV.
De Monasterio de Burio.

Clarissimus Vir Fr. Antonius Brandaõ (*a*) monumentum quoddam se habuisse testatur, quo notum fit Monasterium illud ab anno usque octocentesimo octogesimo tertio Cluniacensis Ordinis extitisse. Postea tamen sæculis decurrentibus, Cluniacensem Ordinem ibidem fuisse extinctum, ac Eremitas degisse indicio est scriptum aliud monumentum apud eundem clarissimum virum. *Ego Alfonsus Rex Portugaliæ, una cum filiis meis facimus cautum vobis Abbati de Burio Domno Pelagio, & vestræ Eremitæ.* Enim vero Inclytus Rex Alfonsus cum domum Dominæ nostræ de *Abbadia* tot miraculis claræ apud Burium visitaret, Alfonsum exuens, & Antonium Magnum induens persuasit Abbati Nonio, & Eremitis aliis, qui illic pie, ac libere vivebant sine votis, ut cœnobium conderent, & aliquam ex sanctis regulis ab Ecclesia approbatis profiterentur; & ut haberent, unde viverent, pingui donatione promovit, nempe integro castro Sanctæ Marthæ, & regia parte salinarum *Fan*, quorum primum anno 1152. posterius 1158. privilegiis firmaverat, quæ hodie in cœnobio perseverant. His possessionibus auctam Burii domum loco, quo nunc extat, ejusdem Regis consilio, auxilioque Nonius Abbas Cistertio tradidit sub filiatione domus Alcobatiæ, in qua ipse professus, & inde secum Monachos adduxit, qui reliquos docerent Cistertii mores.

(a) *Monarch. Lusit. lib. 10. cap. 2.*

Anno 1161. inopinato incendio suorum privilegiorum, quæ in scriptis servabantur, jacturam passum est Monasterium; verum Alfonsus religiosum statum promovendi, & conservandi zelum ostendens omnia, quæ Nonio Abbati dederat, successori Pelagio firmavit: ,, Ego Alfonsus Rex Portugaliæ una cum filiis meis facimus cautum vobis Abbati de ,, Burio Domno Pelagio, & vestræ Eremitæ, vestrisque

„ ſucceſſoribus in perpetuum promovendis, ſicut jam alii „ Abbati feceramus, ſed quia ſcripturæ veſtræ in domibus „ veſtris cum aliis rebus arſere, cautum illum deletum eſſe, „ & eleemoſynam noſtram deſtitui, Deo donante, paſſi non „ fuimus. „ *Eremitam* Alfonſus vocat Monaſterium, & ad tempus, quo Eremitæ incolebant, reſpicit, quibus ſub Abbate Nonio primum donaverat. Erga idem Monaſterium Alfonſi Patris gratum animum imitatus eſt Sanctius filius, qui anno 1206. oppidis Sancti Joannis de *Rege* illud locupletavit.

§. V.
De Monaſterio de Ceiça.

NOn longe à faucibus, per quas Munda fluvius in Diœceſi Colimbrienſi Oceano ſe immiſcet, Monaſterium de *Ceiça* ſitum eſt. Ejus origo Beatiſſimæ Virginis delubrum fuerat, quod Joannes Abbas Laurbanienſis, parta de Saracenis victoria, condiderat, ibidem ſoli Deo in ſolitudine vacaturus. Ad ſæculum uſque duodecimum exiens Monachorum Laurbanienſium Benedictinorum ſacellum illud erat, & ab Eremitis quibuſdam colebatur: noſtra vero ætate cœnobium Ciſtercienſe perennat, quod Venerabilis Rex Alfonſus Deiparæ beneficiis adſtrictus, inchoavit, abſolvit tamen ejus filius Sanctius. Ad Mundæ ripas ſpatiabatur Alfonſus graves animi ægritudines, & mordaces curas, quæ illius pungebant cor, amæno fluminis proſpectu depoſiturus, ſupervenit nuntius non longe conditam eſſe Dei genitricis ædiculam, de qua mira plurima commemorabantur. Statuit Rex ſacram ædem inviſere, ad quam cum ſe reciperet, à quodam Anachoreta ibi degente ſuſceptus audiit prodigioſum illius ſacelli principium, & vulnerum apparentium in ſacris Matris Virginis, ac pueri Jeſus imaginibus, quas Joannes Abbas populorum venerationi collocaverat.

Regis fidem, ac devotionem auxerunt, quæ ipſius in comitatu acciderunt. In leporem ante oculos excitatum tanto impetu eques equum immiſit, ut ad fruticis radices impactus,

ctus, ab equo supinus in terram deflueret, quem equus in ruinam præceps ita propulsavit, ut exanimi similis corrueerit. Ad Virginis sacellum delatus ut sepeliretur, acerbissimam calamitatem Alfonsus adeo ægre tulit, ut pristinus ille mæror animum jam melius habentem denuo vellicaret. Ubi vero ad ædiculam horrentes inter sylvas extructam venit, ante Deiparæ aram in genua provolutus, animi mœrorem ita deposuit, ut in posterum, nec mœstitiæ quidem vestigium animum perculleret. Ille tamen, qui mortuus habebatur, statim atque sacelli pavimentum attigit, ad pristinum vigorem restitutus, Virgini auxiliatrici grates impendit, & voto facto, se Deiparæ obsequio mancipavit.

Devotus Rex erga Virginem gratum animum ostensurus eo loco sub ejusdem Deiparæ nuncupatione novum Monasterium condere decrevit. Quo extructo, Laurbanienses Monachos Benedictinos accersivit, quibus illius loci cultoribus Abbas Præfectus est Domnus Martinus, qui exemptionis Monasterii Sanctæ Crucis monumento subscripsit anno 1162. Era 1200. coram Rege Alfonso, & Michaele Colimbriensi Episcopo exemptionis largitore. Anno 1175. Era 1213. Alfonsus ipse, Pelagio Egeæ Abbate Martini successore, Monasterii *Cautum* instituit, redditibusque ampliavit: & cum ab humanis discederet, Sanctio filio novi cœnobii curam commisit; qui Patris voluntatem peramenter adimplens opus perfecit, quod ille inceperat. Cistercienses Monachi id temporis per Lusitaniam maxime florebant, quorum virtutibus undique evolantibus instructus Sanctius ab eis Monasterium habitari decrevit, præsertim cum Cisterciensis Ordo Deiparæ cultui, ac patrocinio totus devoveretur. Die 1. Martii Era 1233. anno Domini 1195. Domno Menendo Abbati, & ceteris Alcobatiæ Monachis de Monasterio donationem firmavit, ex quo tempore Cistercienses sub Alcobatiæ filiatione doctrina, & exemplo eo loci emicant. En donationis monumentum.

In nomine Domini nostri Jesu Christi. Amen. Quoniam antiqua temporis institutione juris debito rationabilis con-

ſuetudo penes omnes emerſerit, ut factorum ſeries, ſucceſſuum, numerorum, fortunarumque eventus ſcripto commendentur, ut commendata ab hominum memoria non decedant, & omnibus præterita præſentialiter conſiſtant, idcirco Ego Sanctius Dei gratia Portugalenſium Rex, una cum uxore mea Regina Domna Dulcia, & filiis, & filiabus meis facio chartam donationis, & perpetuæ firmitudinis vobis Domno Menendo Abbati Alcabatiæ, & fratribus veſtris de Monaſterio de Ceicia, quod damus vobis, & cunctis ſucceſſoribus veſtris jure hæreditario in perpetuum poſſidendum cum omnibus ſuis pertinentiis, ut ſit filia Monaſterii Alcobatiæ; & concedimus vobis plenariam poteſtatem inſtituendi ibi Abbatem, Priorem, aut deponendi juxta diſcretionem, & voluntatem Abbatis, & Conventus Alcobatiæ in cunctis ſæculorum temporibus vobis Abbati Domno Menendo, & Conventui Alcobatiæ, & cunctis ſucceſſoribus veſtris ſit poteſtas integra ordinandi cuncta in Monaſterio de Ceicia in perpetuum; & ſi aliquis vobis reſiſtere præſumpſerit, juxta beneplacitum veſtrum tractetur. Quicumque igitur contra hoc factum noſtrum venire præſumpſerit ſit maledictus à Deo. Amen; & qui vobis illud integrum conſecravit benedictionibus repleatur. Facta charta donationis, & perpetuæ firmitudinis apud Leirenam Kalendas Martii Era M.CC.XXXIII. Nos ſupra nominati Reges, qui hanc chartam fieri mandavimus coram ſubſcriptis eam roboravimus, & hæc ſigna in ea fecimus, qui affuerunt Joannes Fernandi Dapifer Regis conf.

§. VI.
De Monaſterio de Salzeda.

INter cetera Ciſtercienſis Ordinis clariora Monaſteria, quæ per Lúſitaniam ſæculo duodecimo florere cœperunt, poſtremum locum non obtinet Salzedæ Monaſterium intra limites Diœceſis Lamecenſis. Parentem, & Fundatricem habuit Domnam Tharaſiam Alfonſum Egæ Moniſii conjugem ex

Lusitaniæ primoribus, Regis Sanctii I. ac Reginæ Domnæ Urracæ Regis Alfonsi filiorum nutricem; quod constat ex vetustissimo epitaphio in lapide sepulcrali inscripto, quod clarissimus Vir Cisterciensis Fr. Antonius Brandaõ vidit, licet post Illustrissimæ illius Fœminæ translationem ad novum templum non extet.

Hoc loco latet, cujus per sæcula latere fama nequit
Solita perpetuare bonos, fama mori claros, nec morte (a)
Sinit, sed & ipsa clarorum meritis, vivere semper habet,
Multis domina modis lituit Tharasia famam
Sanguine, progenie, moribus, ac operis.
Ex ducibus sanguis soboles clarissima Regum,
Absque voto mores est opus ista domus.
De bis sexcentis, & denis Monade dempta,
Invenies eram, quæ sepelivit Heram.

(a) *Ex Archivo de Salzeda.*

Mira quidem Tharasiæ erat munificentia, quæ Monasterium tot largissimis donationibus ditavit, ut inter alia ditius numeretur. Anno Domini 1156. Era Cæsaris 1194. Abbati Joanni Ciritæ illud tradidit à Monachis sub regula Benedictina incolendum: *Facio chartam testamenti pro remedio animæ meæ vobis Domno Abbati Ciritæ, & omnibus fratribus vestris, atque sequacibus, qui ibi regulariter juxta normam Patris Benedicti vivere voluerint, de loco illo, qui dicitur Salzeda ... Facta charta testamenti mense Majo 4. Kalend. Junii Ildefonso Rege regnante, Menendo Lamecensi Episcopo existente. Era M.CLXIIII.* Nec temporalibus tantum privilegiis, verum & spiritualibus Illustrissima Fœmina cœnobium augeri fecit; ab Menendo Lamecensi Episcopo, Rege quoque Alfonso postulante, Monasterii exemptionem ab Episcoporum jurisdictione obtinuit; quam ad hanc usque ætatem servat: in compensationem tamen libertatis Piissimus Princeps Ecclesiam de Bagausto Menendo obtulit.

Hæc sunt Cisterciensis Ordinis illustriora Monasteria, quæ duodecimo sæculo per Lusitaniam floruerunt; alia tamen erant, quæ clarissimi ordinis ritus, ac mores observabant: videlicet Sanctæ Mariæ de *Tamaraes*, Sanctæ Ma-

riæ de *Fiaes*, Sancti Petri de *Aquilis*, & Sanctæ Mariæ de *Aguiar*.

Alia quoque erant, quæ ſub Benedictina regula Deo militabant, & à Monachis, quos nigros appellare conſuevimus, regebantur.

In Diœceſi Bracarenſi Sancti Petri de *Lomar*, Sanctæ Mariæ de *Adauſe*, ſive *Reundeuſe*; celeberrimum aliud de *Villar de Frades* ætate noſtra Canonicorum Sæcularium Sancti Joannis Evangeliſtæ; Sancti Salvatoris de *Travanca* prope Amarantum, Sancti Romani prope Nebim fluvium, Monaſterium in loco Caldellas à Regina Dóna Tharaſia erectum, & ſervo Dei Arnoldo traditum, & ſociis ejus Era 1162. Monaſterium Sancti Salvatoris de *Ganſei* prope Valentiam, Sancti Michaelis de *Boſtello* juxta *Arriſanam*, Sancti Salvatoris de *Palme* prope *Barcellos*, Sancti Joannis de *Arnoya* prope *Amarantum*, Sanctæ Mariæ non longe à flumine Ave, Sanctæ Mariæ de *Carvoeiro* non longe à *Vianna*, Sancti Joannis de *Cabanas* non procul a *Caminha*.

In Diœceſi Portugalenſi Monaſterium Sancti Salvatoris de *Vairaõ*, nunc Monialium ejuſdem Ordinis. Sancti Martini de *Cauto*. Monaſterium duplex S. Chriſtophori de *Rivolo tinto*. Monaſterium S. Petri de Seſmondo.

In Diœceſi Colimbrienſi Monaſterium de *Semide* ſub nuncupatione Beatiſſimæ Virginis in cœlos aſſumptæ olim Monachorum, nunc Monialium.

In Eborenſi Diœceſi Sancti Benedicti de *Caſtris* ætate noſtra Monialium Ordinis Ciſtercienſis. Monaſterium *Cucufati* in oppido *Villa de Frades* ætate iſta Canonicorum Regularium S. Vincentii patronatus Eccleſia.

Nec minus eodem ſæculo florebant illa, quæ decimo, & undecimo ſæculis clariora deſcripſi.

Tot Monaſteriorum Abbates Pontificalibus inſignibus nondum utebantur; Bernardi enim Sanctiſſimi Abbatis inſtitutis adhærebant Ciſtercienſes Luſitani, nec diſcedebant alii. Mellifluus Parens in Ep. 42. ad Archiepiſcopum Seno-

nensem, sive Tractatu de Moribus, & Offic. Episcop. cap. 9. Abbates redarguit, quod similia privilegia non sine multo labore, & pretio sibi compararent: *Multo* (ait) *labore, & pretio Apostolicis adeptis privilegiis per ipsa sibi vindicant insignia Pontificalia, utentes, & ipsi more Pontificum, mithra, annulo, atque sandaliis .... Quo ista ò Monachi? ubi timor mentis, ubi rubor frontis? quis unquam probatorum Monachorum tale aliquid, aut verbo docuit, aut reliquit exemplo?* Generale Capitulum Cisterciense constituit, ne ullius Ordinis Abbas uteretur umquam mithra, vel chirothecis Episcoporum; & hoc statutum ab Innocentio III. confirmari curavit, ut inconcussum deinceps hoc esset monumentum humilitatis. Decurrente postea sæculo, Pontificalium insignium exercitium, & usus Abbatibus privilegio, non ex dignitate, competiit, ut in cap. Ut Apostolicæ de Privilegiis in 6. Attamen baculus Pastoralis ad eos semper pertinuit antequam alia Pontificum insignia, mithra scilicet, annulus, sandalia, & similia, ipsis fuerint communicata: unde Sanctus Bernardus, aliique sui temporis scriptores dum agunt de Pontificalibus, quæ Abbates à Romana Sede solicitabant, quæque sibi in illis non placere ostendebant, nequaquam baculum numerant, quasi Pastorali jure iis competentem. Verisimile quippe est hoc ornamentum primitus fuisse Abbatum, sive Pastorum, ac temporis successu Pontificalibus adscriptum. (*a*)

(a) *Van Espen P. 1. tit. 31. cap. 6.*

Ex monumento veteri archivi Monasterii S. Vincentii Olyssiponensis sæculo hoc duodecimo eâdem Diœcesi floruisse inveni Monasterium S. Bartholomæo dicatum, sub qua tamen regula incertum, quamobrem in fine memorandum:
„ In Dei nomine. Hæc est Karta testamenti, & firmitudinis,
„ quam Ego Pelagius cognomine Claudus jussi facere Domno Pelagio Priori, & Fratribus Monasterii Beati Vincentii
„ Ulixbonensis de vinea, quæ fuit Petri Monachi S. Bartholomæi .... Facta Karta testamenti mense Martii Era
„ M.CC.XXXVIII. „

CAP. VIII.

De Viris ſanctitate, aut ſapientia clarioribus, & illuſtrioribus.

§. I.
De S. Theotonio 1. Priore Sanctæ Crucis.

INclyti Patris Theotonii vitam methodo licet brevi ſcripſit Auctor Synchronus nomine Diſcipuli Anonymi, ex quo poſtea didicerunt, qui admirabilis viri geſta in lucem prodere conati ſunt. Canonici Regulares per Luſitaniam ſuæ diſciplinæ, quæ jamjam perdi videbatur, Patrem agnoſcunt; & Luſitania Monarchiæ ſuæ fundatorem mirata eſt. Theotonii precibus tot palmas, tot coronas, tot triumphos debebat Alfonſus. Virum igitur Luſitanæ Eccleſiæ propagatorem tempore, quo Saracenorum jugo premebatur, præ omnibus, qui eodem ſæculo floruere ſanctitate periiluſtres, meminiſſe juvat, & laudare. Canonici Ordinis Chronographo potius, quam univerſæ Luſitanæ Eccleſiæ Hiſtoriæ ſcriptori licet in Clariſſimi viri geſtis deſcribendis immorari; amor tamen filii erga patrem non ſinet extenſiori, quam oportet, methodo non referre. In Gallæcia, civitatis Tudenſis Vico *Ganfei* primam lucem hauſit, ex honeſtis, juſtis, nobiliſſimiſque parentibus, patre ſcilicet Oveco, & Eugenia matre progenitus. Clariſſimam tamen avorum ſtirpem piis ſuis moribus extulit, optimiſque geſtis exornavit: nec ſine magno Sancti Spiritus præſagio Theotonius in baptiſmatis fonte vocatus eſt, quod Græce *Divinus* reſonat.

Vere divinus, & ſanctus, qui vitam ſuam ſanctiſſimis moribus adimplevit. Parentes diligentiſſime nutrierunt; & cum ad ætatem diſciplinæ opportunam perveniſſet, ſpiritualibus literarum ſtudiis tradiderunt. Inde Creſconius Colimbrienſis Epiſcopus ejus avunculus ipſum Colimbriam ſecum adduxit,

& Telloni ejusdem civitatis Archidiacono commisit in Ecclesiæ rebus instruendum. Sub Tellone profecit Theotonius Ecclesiastica disciplina apprime instructus. Ast defuncto Cresconio Colimbriensem Sedem dereliquit, Viseum petiit, & in Cresconii gratiam, quem Visenses desiderabant, in ejusdem civitatis Sede id temporis Colimbriensis Diœcesis recipitur. In cleri, ac totius populi oculis gratiam invenit mirabilis juvenis, omnibus verbis, ac exemplo gratus, nec aliud, nisi cæleste totus ille anhelabat. Presbyter ordinatus, qua morum prudentia, qua maturitate bonæ conversationis cœpit accrescere ? quo profectu, & sanctitate vivere non instituit? Sancti, ac perfecti Sacerdotis vita omnium vitæ erat exemplar. Sacerdotii munia diligentissimus obibat, otium fugiebat, nullique labori parcebat, populum rudem erudiebat, baptisabat; pœnitentes reconciliabat Deo, delinquentes ad pœnitentiam revocabat, pro omnibus exorabat tanquam bonus mediator inter Deum, & homines: non in persuasibilibus sapientiæ humanæ verbis, sed in ostensione suæ virtutis prædicabat.

Deo soli adstrictus, populique saluti; quid mirum quod sæculum abhorreret, luxum sperneret, & lenocinia; divitiis non tumeret, quas in pauperes erogabat, cum ex suis redditibus provenirent. Laudant alii ex coævis suis, quod nunquam curiositati studuerit, numquam servierit ambitioni, aut voluptati. Quis non mirabitur hominem nondum paupertatis voto adstrictum pauperiem ita adamare, ut in domo sua, neque lectum, vel scamnum, aut etiam scabellum, quo quiesceret, vel sederet, aliquando habere voluerit. Pudicitiæ habitus illi erat; ut semper ab illicitis longe esset, à se plerumque etiam licita abscindebat: cum fœmina sine teste nunquam colloquebatur, nec privatam earundem confessionem audiebat; ab iis veluti à facie colubri fugiens, familiaritatem omnem funditus extinxerat. Quis erga piissimum, ac justum virum singulari cordis nexu non ferretur? Quis animarum Magistrum non coleret Theotonium? non appeteret, non diligeret? Gondisalvus Colimbriensis Episcopus,

& Visensis populi precibus, & Theotonii ipsius moribus devictus eum, licet invitum, Visensis Ecclesiæ Priorem instituit. Quam prudens, & sapiens, quam rectus, ac diligens suarum ovium Pastor, quam fervidus ministeriorum Dei Dispensator!

Verum quia temporalibus honoribus non oblectabatur, sed abhorrebat; se abdicare conatus est. Hierosolymam sacra loca visurus petiit, & socio suo Honorio Presbytero Prioratum commisit; & in propria reversus amplius non recepit, quamquam omnium precibus, & Honorii quoque obsecrationibus plurimum rogaretur. Nec aliud honoris fastigium deinceps assequi voluit: sæpissime enim Henricus Comes, & conjux Regina Tharasia cleri, & populi consensu exorarunt, ut Episcopatum susciperet; numquam tamen adduci potuit, ut assensum præberet: mundana omnia quasi pestem fugiens in humilitate se mirabilem conservabat: soli Deo placere cordi illi erat, licet hominibus, etiam Principibus displiceret. Cum in una Sabbatorum jam sacerdotalibus vestimentis indutus incruentum Sacrificium in Dei Genetricis honorem de more offerre vellet, & Regina Tharasia, quæ pro foribus erat, ad ipsum misisset nuntium, ut cursim brevi missam perageret: respondisse fertur aliam in cœlo Reginam esse meliorem, longeque nobiliorem, cui ille cum summa veneratione solemnia Missæ agere disposuerat, in potestate vero ejus esse, vel sacro interesse, vel discedere. Quod cum Regina audiret, statim culpam agnoscens se peccatricem, Domnum vero Theotonium sanctum, & justum proclamavit: cujus ante pedes post peractam Missam humilis in genua provoluta est, & ad tanti Sacerdotis exhortationem erecta pœnitentiam lacrymis patefecit, orationemque pro se ab illo fieri postulavit.

Personarum non acceptor, omnium erat; subveniebat pauperibus, visitabat languentes, provocabat hospitio, leniebat blanditiis, cum gaudentibus gaudebat, cum flentibus flebat. Sextis feriis in Ecclesia Sancti Michaelis Archangeli, quæ extra murum Visensis civitatis erat in cœmeterio, pro cunctis fidelibus Missam celebrabat, cui eodem die, & pro reveren-

reverentia Sacerdotis, & pro charorum suorum memoria totius urbis populus confluebat, & plurima offerebat. Ex oblationibus nihil sibi reservabat, sed post sacrum, & generalem cœmeterii processionem cunctis indigentibus lætus, & pene non visus omnia distribuebat. Ita in bonis operibus exercebatur, ut sinistra nesciret, quod faceret dextra; sed quæ operta esse voluerat, & in abscondito, coram omnibus lucebant, & tot opera videbant bona Patrem in cœlis glorificaturi.

Id temporis quædam mulier Theotonium expetiit; & causam blando sermone confinxit: ast Dei famulus per diabolum laqueum sibi parari cognoscens, infervescente spiritu in faciem fœminæ, quanto potuit nisu, conspuit, & exprobravit. Alias quoque humani generis inimicus propter corporis speciem sæpissime tetendit insidias: statura quippe ejus tam bene formata erat, ut cum decenti quadam, & mirabili moderatione videretur esse deducta. Corpore magnus, ac pulcherrimus erat: facie venustus, & alacrior vultu. Hujus viri pulchritudine commota quædam magnæ dignitatis fœmina credibilem causam prætendens ad domum suam accersiri fecit Theotonium; qui accessit. Illa vero tanquam libidinis bestia seorsum eum religionis obtentu in cubiculum adduxit, blanditiis cœpit lenire, de ejus ore pendere, obsequium exhibere, calceamenta dissolvere, & quasi pro diei fervore temperando, pedes abluere: ad rem illicitam jamjam eum impellebat. Macte virtute Vir! Ille, quem ulla fœmina nunquam contigit, nec propius adstitit, impudentem mulierem miratus, crucis signo se muniens, nudis, ut erat jam pedibus, multo conatu foras sese præcipitem tulit, calceamenta dereliquit, ac domum execrando, vocatis Clericis, qui cum eo venerant, ad Ecclesiam se contulit.

Succensus igitur virtutibus, ac desiderio sanctorum locorum, non propinquorum, non possessionum suarum memor, cum peregrinis aliis patria egressus ad desideratam diu Hierusalem iterum proficiscitur. Post septem hebdomadas ad Sancti Nicolai portum venit, prosperis ventis cessantibus,

ſex ibidem hebdomadas cõmoratus eſt. Quibus operibus bonis ibi, & in omni peregrinatione non abundavit! pauperibus beneficientiam exhibuit; exemplo ſuo ſimul, ac verbo, & cives, ac Hieroſolymam euntes ad miſericordiæ opera provocavit; pacem, & concordiam inter diſſidentes compoſuit: omnes enim eum juſtum, & ſanctum eſſe ſcientes, quaſi omnium Patrem venerabantur, ad ſuam exhortationem intenti tacebant, diligentiſſimeque obtemperabant. Itaque aura flante ſecunda, navem conſcendit cum aliis plurimis, pro quibus aſportandis naulum dedit, & quos pro Dei amore paſcendos ſecum duxit. Cum poſt dies aliquos per Maleas navigaſſent, magna maris tempeſtas ſubito excitata eſt, cœlum tenebratur, nubes, agitantibus ventis, ac terribili fragore ſonantibus deſuper obumbrat: navis undarum molibus turbata modo in profundum mergebatur, modo de præcipiti profundo verſus ad ſuperiores aquarum montes, & cumulos ferebatur: nautæ cum ſumma celeritate arborem abſciderunt, & in undas projecta cœperunt vela deponere, rudentes, antemnaſque ligare, cunctaque armamenta, ne maris vi ſolverentur, componere; & ut navis ipſa levaretur, vaſorum, ac mercium jacturam fecere.

Terribilibus terribiliora ſuccedunt: mortis metum adauxit viſa cunctis in eodem periculo monſtruoſa, & valde horrenda beſtia, adeo formidoloſa, ut nulli poſſet comparari. Ejus oculi quaſi faces ignis accenſi. Alii dacronem, alii monſtrum, alii dæmonem eſſe dicebant. Nulla ſpes erat ſalutis; morti omnes parabantur: Omnipotentis auxilium precabantur cum lacrymis, ut qui eorum corpora fluctibus tradiderat, eorum animas benigniſſimus ſuciperet, aut à periculo liberaret. Theotonius vero cum lacrymis poſtratus, ac totus ad Deum converſus poſt Pſalmos, & Litanias Dominatorem vitæ, ac ſpiritus invocavit: „ Domine, Do-„ mine Jeſus Chriſte Fili Dei vivi, Fili Sanctæ Mariæ, qui „ cum Patre, & Spiritu Sancto unus Deus es in Summa Tri-„ nitate, & vera Unitate, ſuccurre nobis in ſupremo peri-„ culo conſtitutis, quatenus ex ſævientibus maris fluctibus

„ eruti, gloriosum sepulcrum tuæ sanctæ Resurrectionis, „ pro quo de finibus mundi venerando, & osculando ve- „ nimus, videre mereamur, & tuæ liberationi gratias agi- „ mus. „

Hortabatur etiam omnes, & consolando admonebat, ut peccata sua expiarent, & totam in Deum credentes, & orantes spem suam ponerent: denuntians eis, si perseverassent, in proximo Redemptoris clementiam adfuturam. Quod & factum est: nam dum hæc agerentur in navi; ecce flatus auræ cœpit placidior fieri, paulatimque elisis aquarum molibus, redditur mare tranquillum. Nova igitur lux cœpit oriri: & mirantes omnes fluctuum quietem debitas laudes Deo retulerunt. Liberatus itaque de pelago Maleæ ad Jopen appulit: longissimis viarum anfractibus per Beati Georgii sepulcrum circuivit, quousque Nasareth pervenit: inde abiit per viam, quæ ducit in Tabor. In cujus verticem ascendens, loca aspiciebat plurima, quæ Dominus itinere suo sanctificaverat. Inde descendens perrexit Samariam: vidit sepulcrum Beati Joannis Baptistæ, & duodecim Prophetarum, Elisei quoque, & Abdiæ: ad puteum, super quem Dominus residens, esuriensque Samaritanæ mulieris fide satiatus est, accessit: & adorato per singula loca Redemptore, lætus properavit in collem, quo diu desiderata conspicitur Hierosolyma: accolæ gaudii montem vocabant, quod peregrini de visa civitate ineffabile gaudium conciperent.

Quas Deo gratias impendit Theotonius! qua flexis genibus exultavit lætitia! Civitatem ingressus in Calvariæ montem accurrit Dominicam crucem visurus; quasi pendentem Dominum cerneret, adorabat; Redemptoris beneficia in se, & universum Orbem recordabatur. Hinc ad Resurrectionis sepulcrum conversus sacrum locum, quasi sitiens desideratas aquas fideli ore lambebat. Cum aliquandiu, prout sua devotio dictaverat, per memorata loca Vir sanctus orasset, postremo se in hospitium recepit; & dum mens ejus tota illa die, ac nocte per ea, quæ viderat, ducebatur, in pace dormi-

vit, ac requievit. Altera die, & sequentibus quanto studio, ac desiderio sancta loca orando circumierit quis dicat? Christum se videre credebat, de facultatibus suis, prout habebat, in pauperes eleemosynas erogabat & quidquid in eos conferebat, in Deum contulisse lætabatur. Multis autem diebus ad sepulcrum Domini permansit in oratione, & Divino opere: cujus sanctitatem ejusdem sepulcri Canonici Regulares adtendentes ejus orationibus se commendarunt: eumque mutuo suis beneficiis receperunt. Communem vivendi societatem ei dabant, si cum ipsis vellet habitare; & sepulcri custodiam, quod ipsum præ omni negotio desiderare cognoverant. Ille vero se id agere minime posse dicebat; nisi prius Hispanias rediret de domo sua dispositurus. Quamobrem per totam Hierosolymam ubique locorum sanctorum iterum, atque iterum attentius se Omnipotenti Domino commendans, Canonicis quoque, & cunctis Dei servis valedicens Jopen reversus est, quo prius appulerat. Unde ventorum vi per Græciæ insulas devectus, multos in itinere labores passus, siquidem navibus, nunc pedibus, nunc asello deportatus, attritus tandem, & debilitatus in Hispaniam ad propriam domum remeavit: modo ut in proximo Hierusalem rediret, & ad gloriosum sepulcrum ultimos vitæ suæ dies devotior clauderet.

Rebus suis dispositis, tertio ad sacra loca redire meditabatur, sed à Tellone Archidiacono, & ceteris Religiosis viris, de quibus in §. de Monasterio Sanctæ Crucis, præventus, ut sæculo derelicto, in novo Monasterio Deo inserviret, duodenarium sociorum numerum adimplevit. Diu tamen, multumque, licet pie, reluctatus est, asserens se ex multo tempore voto obstrinxisse ultra mare abeundi, & suorum dierum finem ad Dominicum sepulcrum præstolari. Religiosi tamen viri utilius esse referebant, in hac occidua mundi plaga, ubi vix Christi nomen prolatum erat, secundum Sanctorum Patrum regulam vivere; & ignaris aliis honestæ vitæ formam demonstrare. Devictus Theotonius tandem annuit, seque eorum in omnibus comitem effecit. Nec

mora; ea, quæ in sæculo adquisierat, fideliter dispensavit: partem dispersit pauperibus; partem Visensi Ecclesiæ contulit, partem quoque rebus novi Monasterii secum adjunxit: ut unde subministraret pauperibus, inde & ipse tamquam pauper voluntarius viveret, qui se in numero pauperum fratrum paupertatis amore constituebat.

In novo Monasterio Canonicus Regularis jam factus fratrum omnium consilio, voce, ac gratulatione Prior fuit electus; & cum ad tanti regiminis pondus iterum, ac sæpius se indignum proclamaret, virtute obedientiæ opposita, invitus suscepit. In tanta humilitatis arce se collocaverat, ut ne nomen quidem Abbatis aliquando habere voluerit; unde usque ad ætatem nostram Monasterium sub Prioratus nomine perseverat. Eo Patre, novum Monasterium brevi tempore Deus multis suæ gratiæ muneribus illustravit; optimis viris, ac Religiosis nobilitavit: nec minus amplum possessionibus, quam clarum virtutibus reddidit. A' vitæ suæ regularis exordio meritis ceteros anteivit, vitæ gravitate, abstinentiæ singularitate, & assidua oratione. Si quando ab oratione cessabat, numquam de manibus sacram lectionem deponebat: maxime enim Psalmodiæ operam dabat; nam quotidie præter Canonicas horas, & divinum officium, quod religiose complebat., totum percurrebat Psalterium: deinde ceteris bonorum operum exercitiis, aut quibuslibet Monasterii utilitatibus incumbebat. Mansuetudo, silentium, & omnium pax illi erat cordi; in tanta humilitate se dejecerat, ut omnium minimus videretur. Tanto præterea Canonicum erga ordinem fervore accendebatur, ut cum toto orbe quasi fugientem prosequeretur. Inde fuit, quod hujus rei gratia mitteret ad Compostellam, frequenterque ultra Pyreneos montes ad Sancti Rufi Monasterium.

Vir Deo plenus sic vivebat, ut nec in habitu, nec in actu, aut incessu reprehensibilis esset; nec susurrones, aut criminatores quidquam in eo notarent, quod sanctum, & justum non foret. Alii alias in eo numerabant, ac laudabant virtutes: alii humilem prædicabant; alii ejus innocentiam,

gravitatem, religionem, & fidei ardorem extollebant: alii mirabantur cum fratribus ſuis charitatis vinculum, quo omnibus ſemper fuit adſtrictus: ut Domini gregem tractabat; ſiqua ab iis facienda forent, non præcipiebat, ſed humilis demonſtrabat. Invicem eos obſequio, beneficio, & honore præveniebat. Superiorem locum fugiebat, non imperabat, ſine ſuperbia gubernabat. Siquos delinquentes, aut aliter quam dignum erat, agere cerneret, aut vanis confabulationibus terentes tempus reperiret, rectitudinis zelo objurgabat; & quandoque adeo ſeverus corrigebat, ut ceteris, præſertim juvenibus, terrorem incuteret; ne quid ſimile perpetrarent; ſed potius correcti in melius proficerent: prius tamen eos ſecreta monitione, & pio Patris affectu puniebat. Si aliqui inter ſe commovebantur, ſecundum Evangelium in lenitatis ſpiritu eos conjungebat, & illud Apoſtoli memorabat: ſol non occidat ſuper iracundiam veſtram.

Quæ ſaluberrima amantiſſima Parentis erga filios ſuos conſilia! quæ ſuæ ædificationis verba! eos ad bene vivendum informare non ceſſabat; ut qui ſæculum dereliquerant, Chriſti tenerent veſtigia, religionis donum ſibi divinitus collatum nullo modo macularent; ſed virtutum omnium incremento exornarent; & non ſolum erga Deum, ſed ab his, qui foris erant, bonum teſtimonium haberent. Ad juniores ſæpe alloquebatur: ,, Filioli affligendum eſt corpus, quod ,, in ſæculo vanitates ſequebatur; lingua cuſtodienda, quæ ,, omni tempore labitur ad peccatum; *& addebat*; quia di- ,, ves loquacitati ſervierat, in inferno poſitus vehementius ,, in lingua cruciabatur; *& aliud*: Mors, & vita in mani- ,, bus linguæ: ,, ad virtutes omnes provocabat, & à vitiis abſtinere erudiebat ſingula Divinæ auctoritatis ſubjiciens exempla. Omnia non pompoſa eloquentia, ſed ſimplici ſermone proferebat; & ſancta ſimplicitate, quæ interdum mundana Philoſophia, & facundia eſt efficacior, & magis neceſſaria ad fratrum ædificationem. Circa pueros, & adoleſcentes, qui in Monaſterio nutriebantur adeo invigilabat, & eos Eccleſiaſticis conſtringebat diſciplinis, ut eorum laſ-

civa ætas nullum poſſet reperire locum, quo in peccatum proruεret.

Utramque annonam ſpiritualem, ac temporalem Dominico gregi ſubminiſtrabat ſervus iſte fidelis, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam. Qua pietate ſenes, ac debiles, ſecundum virium imbecillitatem ſupportabat, honorabat, & honorare præcipiebat! Quæ ejus clementia erga ægrotantes, quos miris obſequiis, & miniſteriis confovebat, & gratia viſitationis aſſiduæ ſublevabat! Quæcumque enim diverſarum infirmitatum ſuſtentationi neceſſaria erant, omni obſervantia iis miniſtrari jubebat: frequenter fratribus aiebat: *Filioli, hujuſmodi portandi ſunt, quia de talibus ſuperna retributio adquiritur.* Cum aliis ægrotis large præſtaret omnia, ſi quando ipſe ægrotabat, ſibi non indulgebat: non delicata, aut inſolita ciborum genera, nec laute præparata appetebat: ſed ferculorum luxu ſpreto, aſſatum cepe cum ſale tantum ſumebat, aut omnino paucos, & frugales cibos. Nec in ægritudine tantum, verum & ſanus miram, & inimitabilem habuit parcimoniam. Numquam temperantiæ metas tranſivit; numquam diſciplinæ ſuæ oblitus eſt: ſemper cum fratribus communem ciborum uſum in refectorio habuit, & parcius de ſuo cibo, quam quis alius ſumpſit. Nativa bonitas, & diſciplinæ rigor cunctas petulantiæ gulas in eo extinxerat: numquam ad infirmorum domum, quamvis fratres rogarent, ire voluit ſanandus: numquam ſanguinem minuit; numquam vel leviſſimam potionem aliquando accepit; clementiam, qua in omnes, ſanos, infirmos, ac debiles utebatur, in duritiam erga ſe commutabat.

En inſigne Theotonii erga miſeros clementiæ indicium: cum Alfonſus ad Hiſpalim ducto exercitu pene totam Saracenorum provinciam deprædaretur, ejus milites inter ceteram prædam Moſarabes quoſdam Paganorum ditione detentos, Chriſtianos tamen ritus obſervantes captivarunt; atque belli jure ſervituti ſubjugarunt. Audiit Theotonius, & valde doluit: qui numquam ne ad exteriorem quidem Monaſterii januam de clauſtro exierat, fide ſuccenſus obviam Re-

gi egressus dixit: *O' Rex, & Barones cuncti, qui Sanctæ Matris Ecclesiæ filii estis; cur fratres vestros vobis in servos, & ancillas subjecistis? Peccastis Domino Deo vestro*: & cum alloqueretur, quod nisi ii liberarentur à servitute, Domini furor eis immineret; Rex illud hominum genus dimisit liberum. Non prætereundum quo honore Alfonsus, & optimates obviam venientes Theotonium susceperint: de equitatibus descenderunt, ac illius manum supplices osculantes promiserunt, quidquid ab iis postularet. Igitur Theotonii ope à servitute liberatis plusquam mille, exceptis fœminis, & parvulis; quicumque ex iis Colimbriæ commorati sunt, habitationis locum juxta Monasterium ipse dedit, eosque per plurimos annos de Monasterii annona pavit, utpote imbecilles, & extraneos.

Curandi gratia etiam emicuit: Alfonsus nimiis febribus æstuabat, & magnis stridoribus veluti extra se positus, in ultimo se constitutum esse clamabat, visitationem Theotonii ultimum medicamen anxius quæsivit: à quo visitatus, ejusque dextra clementer attactus, febri paulatim tepescente, salutem recuperavit. Tanta coram Theotonio virtus Dei Regi collata est, ut eadem hora cibum, quo diebus multis caruerat, nec concupierat, sospes acceperit. In Reginam Mafaldam Alfonsi conjugem non minus gratus fuit: Piissima fœmina ob partus difficultatem jam periclitabatur, post Deum penes se deliberavit; si à Theotonio signaretur, Deus ipse subveniret. Ad Mafaldam vocatus accessit ille, & crucis signo facto, ante pedes ejus filium produxit mater, quæ de nato læta sanitati restituta est. Beneficii vero oblita Regina, postea in Theotonium fuit infensa: nam cum quodam die ad ipsum visitandum venisset; & claustrum interius videre, & ingredi voluisset, Sanctus Prior blande restitit dicens aliam interius esse Reginam: nec esse ordinis, nec approbatæ consuetudinis, fœminam habitaculum mundum fugientium ingredi, nisi forte defunctam. Nec Reginæ officii esse: proponebat Oziæ Regis exemplum, quem lepra percussit, quod Domini templum intrare, & adolere incensum voluerit. Tan-

ta ordinis æmulatione tenebatur, ut Spiritus Sancti virtute præsumenti Reginæ intrepidus obsisteret: maluit ille Mafaldæ furentis odio succumbere, quam claustro abuti.

Dæmonibus erat timori Vir Sanctus. Monachus quidam Samuel Affu natione Anglus ægritudine correptus ad Monasterium istud perductus est. Ad extremum veniens vidit tetros, ac horrendos spiritus in se crudeliter spicula injicere: eorum imagine perterritus huc, illucque vertebatur: & turbatis vocibus id sibi adstantibus memorabat: ipsi malignos spiritus non videbant, sed eorum præsentiam in tremore, ac pallore illius, qui turbabatur, credebant. Ægrotum visitavit Theotonius, & mox maligni spiritus per tenues auras evanescentes, nusquam, Monacho teste, comparuerunt. Hujus Monachi causa ad perseverantiam, & obedientiam hortabatur. Dicere consueverat: *Si Monachus iste, qui de sui Abbatis licentia venerat, & commendatitias literas habuerat, de habitaculo suæ carnis sic evulsus est; quid de illis, qui levitatem, ac mentis mobilitatem sequentes per lites, & scandala dividuntur, & per inobedientiam à Monasterio recedunt? Propterea cavete vobis, ò filii, ne Domini jugum leve, & suave obtrectetis, ne Christi compedes abjiciatis: circuit enim diabolus quærens, quem devoret, & eos, qui de congregatione sua inobedientes fugiunt, cruciat, & extinguit.*

Simili pœna vexabatur in Monasterio frater quidam conversus, sine intermissione ante oculos habebat Ethiopis umbram, qui vehementer extento arcu sagittabat; cruciabatur miser plus pavore, quam infirmitate: quoties Theotonius ad fratrem accedebat, arcum protinus diabolus remittebat, & abscondebatur, nec coram eo jaculari audebat. Vir Dei præsciens qua de causa conversus lueret pœnas, dixit: *Confitere frater ruinam adulterii, in quod lapsus es.* Erat alius quoque in Monasterio valde devotus, qui à suæ conversionis initio à diabolo cruciabatur. Cum die quadam Theotonius extra chorum in Ecclesia debilitatus sederet, & prædictum fratrem à dæ-

mone cruciari cognosceret, nondum ipse pati viderat, mox apprehensa illius dextra, spiritum nequam comminando dixit: *Exi immunde spiritus in nomine Jesu Christi, & in virtute Spiritus Sancti præcipio tibi, ne ampliùs Dei servum conturbes.* Et confestim ex illa hora liberatus est.

Quid plura? Cœlestem vitam in terris agebat; quapropter Rex, Principes, & omnis utriusque sexus populus ad ejus genua provolvebantur, ab eo benedici enixius exorabant, & oris sui verba audientes, quasi cum Angelo Dei colloqui gaudebant, & maximis muneribus Monasterium illustrabant. Rex ipse de rebus suis plurima contulit; ut supra dixi cap. 6. magis Theotonio, quam alicui hominum confidebat, sequè, & res suas commendabat. Theotonius quoque Regem præ cæteris diligebat, qui in regno erant: idcircò paterno amore frequenter illum admonebat, ut Deum, per quem Reges regnant, & in cujus potestate sunt regnorum jura, timeret, & ejus mandata servaret. Cum Rex ad bellum proficiscebatur, Theotonius totus in Deum precibus pro illo ferebatur; Alfonsus pugnabat, Theotonius orabat; & Piissimi Sacerdotis orationibus debebantur triumphi, quos apud Scalabim, & Campum Orichium Alfonsus reportavit.

Post vigesimum, & primum ab ingressu Monasterii annum viribus suis fractus Prioratu se abdicare intendit soli Deo se daturus. Fratres in Capitulum accersivit, & coram omnibus Priorem elegit Domnum Joannem Theotonium, virum quidem prudentem, discretum, sobrium, benignum, omni genere virturum præditum, meritis, & nomine sibi successorem, & filium. Cui totius Monasterii regimen commisit, cunctis plaudentibus fratribus. Cum novo Priore per decem, quibus postea vixit, annos, ita fuit in concordi pace, ut singulis diebus, imo singulis horis, & penè momentis se invicem prævenirent, & benedictionis dulcedine, & signaculo Sanctæ Crucis. Ceteros verò fratres omni die benedicebat; & eos nominatim ex puritate animi Dei amicos nominabat; ac ex hu-

militate quotidie in singulorum orationibus se commendabat. A' Pastoralis curæ solicitudine liberatus, & absolutus soli deinceps contemplationi animum dedit; permanens semper in oratione, & lacrymarum compunctione pro hujus mundi miseriis, & cælestis Jerusalem desiderio. Unde sæpissimè in hujus civitatis sanctæ amorem raptus exultabat: *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.* Quamvis in claustri angustiis clauderetur, Paradisi latitudine fruebatur. Inde erat quod jam ciborum esuriem non sentiret, saturatus enim Christo erat. Sumebat tamen non vescendi desiderio, sed humana confectione, numquam tamen ante legitimam horam; & reficientibus ceteris, ille ex more suo ad Ecclesiæ limina gratia orandi semper penè invisus properabat: & in loco suo gementem, & dolentem, tamquam vere solitarium sua solitudo cohibebat.

Si tunc aliquis fratrum ei in solitudine sua apparebat, mox hilari vultu dulcia cum eo commiscebat colloquia. Semper in ore Christus erat, aut exempla Sanctorum Patrum: semper pax, & dulcedo charitatis: semper dulcius susurrabat: *Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ*: &: *quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini.* Sustentabat senilia membra sua baculo illo, quem ei pro munere, audita ipsius sanctitate, Sanctus Bernardus Claravallensis Abbas de Burgundiæ finibus per Monachos suos miserat, & frequenter cum eodem baculo doloris aculeos contingebat. Baculum istum hodie inter hujus Monasterii pretiosissimas reliquias veneratione maxima asservamus. Ex eo jam tempore inter Claravallense Monasterium, & Sanctæ Crucis Collimbriense societas, pactum, & fraternæ dilectionis vinculum sancitum est; itaut ab utroque Ordine per singulos annos generale servitium summa cum devotione pro invicem ageretur.

Canonicus quidam Monasterii Senex, ac boni testi-

monii per triduum in extasim raptus vidit se per visum fuisse in cœlis: vidit etiam quosdam, quos ipse bene noverat, qui adhuc in carne positi erant, & nonnullos jam vita functos adstare ante tribunal Christi Deum laudantes. Iis autem omnibus superior visus est Theotonius, & Deo propinquior, incomparabili candore vestitus. Qui cum Deum adoraret, maiorem præ ceteris gloriam à Deo sortitus erat. Senex verò ad sæculum reversus non sine multorum admiratione, quæ viderat, enarravit.

Ante paucos dies quam ab humanis discederet, hæc visio ipsimet apparuit: videbat se in turri quadam sublimi, quæ è claustri medio super cuncta Monasterii fastigia eminebat: manu quoque hastam gestare sibi videbatur sine cuspide, longissimam quidem, & candidam. E' regione vero vir venerandus habitu splendente apparebat, qui Domini mandatum se habere testabatur. Mox Theotonium blanda voce consolatur: ,,Homo Dei, laboras plurimum, ,,& diu peregrinaris carnis sarcina prægravatus: sed ,,æquo animo esto, quia in proximo est, ut pro brevi ,,labore æterna beatitudine perfruaris. Jam enim in hoc ,,sæculo bene pugnasti, & cuncta, quæ licuit sine fer- ,,ro superasti; id enim hasta sine cuspide significat. Age ,,ergo gratias bonorum omnium largitori, quia cito cu- ,,raberis, & ad antiquam possessionem diu peregrinatus ,,conscendes. Scitò etiam quod Omnipotens Deus per te ,,plurima bona fecit huic loco, & facturus est,,. Monstrabat ei præterea scalam in cœlum usque porrectam, perquam eos, qui de Monasterio purgatiores exirent, cœlum conscenderent. Nonnullos verò adhuc purgandos in Monasterio esse dicebat minus de perfectione habentes. Cum igitur hæc commemoraret, & nomen suum, quod esset Apostolus Petrus, indicaret, in cœlum disparuit.

Evigilans itaque vir Dei, & agnoscens obitum sibi imminere, Sacramentum unctionis accepit, & Domini Corporis Sacramento, quod per singulos dies peragebat, se munivit; fratres tamquam viscera sua admonuit: *Hodie,*

inquit, *vos filioli*, *Religiosum studium arripuisse arbitremini*: & universis fratribus circa eum dolentibus, ille consolabatur tristem Conventum. Cum septima Sabbati post matutinum seniorum canonicos benediceret, repente super humerum caput inclinavit: inde in cinere, & cilicio christiana traditione superpositus, sanus, & integer mortem lætus aspexit. Læto vultu quasi in occursum se erexit, itaut ex hilari vultu Sanctorum Angelorum præsentiam existimarent. Sed priusquam de sæculo exiret, immensus stellarum globus visus est de cœlo ad medium claustri descendisse ita coruscans, ut cunctos in admirationem converterit. Nil pallor mutavit in facie, sed ita dignitas quædam, & gravitas ora complevit, ut plane videretur non emori, sed migrare, & quasi amicos mutare, non relinquere. Quo miraculo eum viventem tota civitas haberet, in ejus obitu demonstravit. Omnes ei suas animas commendabant; omnes de beatitudinis gloria congaudebant. Favebant sibi homines de gloria ipsius, de cujus conversatione Angeli lætabantur in cœlo. Hæc vox una omnium erat, quod ejus anima felix, & beata transferretur ad cœlos. Rex quoque Alfonsus nimio dolore affectus usque ad vultus suffusionem dixisse fertur, *prius anima ejus erit in cœlo*, *quam corpus in sepulchro*.

Omnibus igitur pro funere peractis, fratrum gementium manibus in Ecclesiam translatus est: ubi non ululatus, & lacrymæ, sicut pro sæculi mortuis, audiebantur, sed per duos dies continuos choris psallentibus, fratrum suorum fervor circa corpus fuit exhibitus in orationibus, Psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus. Inde à Michaele Colimbriensi Episcopo, & ejusdem Monasterii Canonico in capitulo sepelitur. Dormivit in Domino duodecimo Kalendas Martii, & sepultus undecimo. Vixit in Religione annos 31. omne suæ vitæ tempus implevit, ut ipse referebat inter 70. annos, & 80. idest obiit octogenarius anno Domini 1162. Cum sancta illa anima corporis ergastulo soluta esset, adfuit humani generis hostis,

& quia in ea de suis actibus nihil invenerat, fremens, & frendens in quendam de Monasterii familia festinus agitator irruit, ac per dimidiam fere horam vexavit: dehinc confusus abscessit cunctis indicans quod Beata Theotonii anima in cœlum transcenderet. Numquam in Monasterio plures Canonicos admisit, quam ratio sineret, aut ejusdem Monasterii facultas suppeteret.

Cum miraculis plurimis micaret post obitum Theotonius; tota enim Colimbriensis civitas, & Visensis, quæ per ipsum Deus conferebat, beneficia mirabantur: Joannes Peculiaris Archiepiscopus Bracarensis, Michael Colimbriensis Episcopus, Petrus Rabaldis Portugalensis Episcopus, Menendus Lamecensis, ac Odorius Visensis, Canonici omnes Regulares in Monasterio Sanctæ Crucis convenerunt, & de tot conspicuis viri Dei prodigiis ex inquisitione certi, postulante Rege Alfonso, rogante Clero, ac populo Colimbriensi, Leiriensi, ac Visensi, die decima octava Februarii anno 1163. Theotonium Sanctorum fastis adscripserunt: & Joannes Bracarensis Missam de communi Confessorum: *Os Justi meditabitur sapientiam* solemni apparatu celebravit. Canonisationem ab Episcopis de more tunc factam Alexander III. vivæ vocis oraculo confirmavit. Sancti Theotonii festum fit per totam Lusitaniam; ab anno 1605. sub die 14. Septembris invenitur in registris Sacræ Rituum Congregationis Decretum recitandi de illo tamquam de Patrono in civitate Visensi cum octava. Quæ facultas inde est extensa pro tota Diœcesi in Decreto 17. Junii 1676. Etiam ex Sacra Rituum Congregatione emanarunt Decreta diversis temporibus pro Diœcesi Portugalensi, Lamecensi, & Algarbiensi cum concesso officio sub ritu duplici secundæ classis, & Sanctissimus Dominus Benedictus XIV. idem officium concessit pro Diœcesi Leiriensi cum ritu duplici secundæ classis, & pro Diœcesi Colimbriensi cum duplici primæ classis ex Decreto die 24. Augusti 1743.

In antiquis Breviariis Bracarensi, Eborensi, Alcoba-

tienſi, ac Benedictino, extra Luſitaniam in Tudenſi, Aurienſi, Oxomenſi extant Lectiones propriæ inter ſe diverſæ verbis, ſed in cetero cohærentes. Canonici Regulares S. Genovefæ in Gallia de eodem recitant cum Lectionibus propriis, & cum Lectione Evangelica cap. 9. ſecundum Lucam: *Dixit quidam ad Jeſum ſequar te quocumque ieris.* Cum aliis recitant Canonici Regulares Lateranenſes ex conceſſione à S. Pio V. per litteras in forma Brevis motu proprio, quæ leguntur initio libri officiorum ad uſum ipſorum Canonicorum. Erga Theotonium Regia Luſitaniæ domus tenerrima devotione fuit. Brigantiæ Sereniſſimi Duces filiis ſuis Theotonii nomen aliquando indiderunt. Unde ad maiorem devotionis affectum excitandum, Fideliſſimus Luſitaniæ Rex Joannes V. Sanctiſſimo Benedicto XIV. ſupplicavit, ut concederet pro ſuis dominiis officium ſub ritu duplici maiori ſine octava, remanente ritu claſſico tam cum octava, quam ſine illa, ubi jam eſt conceſſus: officium verò tam pro locis, ubi jam eſt conceſſum, quam pro illis ad quæ extenditur, juxta acta ab omnibus approbata, imò ſecundum Lectiones Breviarii Bracarenſis, Eborenſis & ſecundum alias antiquas approbaret, & concederet. Sanctiſſimus Dominus ad Fideliſſimi Regis preces die 17. Januarii 1750. annuit, & conceſſit, ut in omnibus ejuſdem dominiis officium proprium cum miſſa Sancti Theotonii ſub ritu duplicis maioris ab omnibus Chriſti fidelibus utriuſque ſexus, qui ad horas Canonicas tenentur, recitari, ac celebrari poſſet: firmo remanente altiori ritu tam cum octava, quam ſine illa, quo in aliquibus locis idem officium fieri conſuevit.

§. II.
De Venerabili Tellone Archidiacono Canonico Regulari.

Venerabilis viri Tellonis vitam descripsit Magister Petrus Alfardus Auctor coævus, & Con-canonicus. Clarissimus vir Fr. Antonius Brandaõ Domnum Salvatum Tellonis quoque Con canonicum ejusdem Archidiaconi vitæ fuisse scriptorem opinatus est ; sed Anonymus Canonicus in Theotonii vita Petrum Alfardum Auctorem refert : *Siquis desitu loci, & libertate Monasterii plenius nosse desiderarit, legat dictatum Domni Petri Alfardi Magistri.* Tanti operis Sanctæ Crucis Colimbriensis Monasterii Auctor fuit Tello Archidiaconus. Patriam habuit Colimbriam, Patrem Odorium ex Lusitaniæ proceribus, Matrem Eugeniam Sororem Sesnandi Colimbriæ Consulis. Vix pubertatem excesserat, à parentibus suis optimè instructus Domno Paterno Colimbriensi Episcopo traditus est, ut inter nobiles adolescentes in Colimbriensis Sedis Collegio Ecclesiæ disciplinis imbueretur. Ætate, ac sapientia proficiebat illustris adolescens, adeo ut Martinus Episcopus Paterni successor inter Canonicos Colimbrienses, qui id temporis Augustinianam Regulam in Communi degentes profitebantur, Tellonem susceperit. Post Martini mortem Cresconius in ejus Sedem evectus Tellonis meritis commotus eum suæ Ecclesiæ Archidiaconum instituit : qui in dignitate super omnes animi prudentia, morum honestate emicuit coætaneos : unde Principum familiaritate habebatur charus.

Sub nullo Colimbriensi Episcopo vixit, cui gratus in moribus non complaceret : maxime Mauritio Cresconii successori, quocum socio Hierosolymam ivit, & per triennium totius Curiæ, & Episcopi curam gerens, & cuncta pro suo nutu componens. Ibi cum sancta loca Vir tantæ discretionis circunspiceret, & pererraret, vidit diversos ordines loco, & habitu diversissimos, sed tenaci cha-

charitatis vinculo conjunctos ad summum, & unicum ascendentes trivium, quod est summum bonum: diversæ vitæ genera mirabatur Tello, & admirando obstupescebat, intra semetipsum quantum valebat, doloris gemitus comprimens aiebat: *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est: habitavi cum habitantibus cedar; sed animi ardorem cum non posset temperare, Institutores capit inquirere; ipsum Christum reperit caput, & Apostolos membra.* Tunc pro Canonicis Regularibus jam nimio affectus gaudio, institutiones cœpit scrutari: Præpositorum scilicet officia, subditorum eximiam, ac in omnibus devotam, humilemque obedientiam: Ecclesiasticarum rerum assiduam, perfectamque doctrinam: senum piissimam, misericordemque in omnibus patientiam, maiorum amabilem charitatem. Tam sancta instituta observare illi in deliciis maximè erat.

In rebus iis observandis, admirandisque triennio transacto, Bizantium cum Episcopo Mauritio appulit; ubi fermè per medium annum commoratus sacra illa instituta non obliviscebatur, & siquid iis deerat, pius Archidiaconus addebat. Cum incolumes jam remearent ad propria, Mauritius in locum defuncti Giraldi Bracarensis Archiepiscopi sufficitur; & in Mauritii Sede Colimbriensi sublimatur Gondisalvus; cujus cor efficitur Tello. Hic votum suum Hierosolymis conceptum perficere conabatur; Canonicorum, quos illic viderat, & adamaverat, institutum Colimbriæ stabilire procurabat; sed quamvis opibus, potentiaque opitulantibus, nequiit vel incipere desideratum, cum socii, locusque deficerent. Plurimis vero labentibus annis, postquam Gondisalvus non tam senio, quam infirmitate confectus cœlo redderet spiritum, Archidiaconus Tello moribus, & vita honestior à clero, & populo precibus quærebatur Episcopus. Regina Tharasia, & Ferdinandus Comes in id nitebantur; & quidem fieret, nisi Princeps Alfonsus Reginam, & Comitem regno expelleret, & suum susciperet Principatum. Ad tantum novi Monasterii Sanctæ

Crucis opus Deus Tellonem reservaverat. Quare vir iste religione plenus votum suum adimplendi cœpit urgere propositum.

Novo igitur extructo, ut jam diximus, Monasterio, sociisque adscriptis; quæ non fuit Tellonis diligentia, & cura, ut omnia firma stabiliret? Romam properavit à Romana Sede privilegia, & exemptiones petiturus. His omnibus pro illius voto compositis, cum jam post Innocentii II. manus osculum rediret in patriam cum Joanne Peculiari, qui in omnibus præerat, rei voti à raptoribus in medio itinere detinentur, voverant enim se sepulcrum Magni Parentis Augustini visitaturos, & aliquod pignus, si possent, ad suum Monasterium allaturos; quod cum non complerent à raptoribus spoliati, vix multis exantlatis laboribus, multaque viarum fatigatione pedites totum fere iter usque ad Sancti Rufi Monasterium calcarunt. Divinum sibi in omnibus adesse patrocinium Tello agnovit; & maxime, quod eum custodierit à pomis venenatis, quæ Joannes Michael itinere obviam factus ad ipsum composuit. Pro quibus omnibus Deo gratias referens cum Sancti Rufi Canonicis societatem firmavit, & secum adducens Domnum Dominicum, quem Theotonius ei obvium miserat, cum Joanne simul Peculiari Colimbriam reversus est, apud Sanctum Rufum dimisso privilegii exemplari, quod Romæ pro suo Monasterio obtinuerat. Ille vero, qui ei in itinere laqueum sub veneno tetenderat, justo Dei judicio peregrinus interiit, ante obitum tamen Monachus factus.

A' confecto itinere mensibus quinque nondum completis, Piissimus Pater lethali morbo corripitur, quod Arabes vocabant *Alvaram alfazamuni*, id est *Apostema*. A' morbo jam sanus, velut Martha satagebat circa frequens ministerium, Monasterio construendo vacabat, murum in circuitu construi fecit, turres erigi, domos intra, & extra claustrum ædificari; villas, & hæreditates propriis facultatibus emit. Quia vero totum, quale erat futurum, fundare, vel perficere minime poterat ædificium, veluti peritus Archi-

tectus totius structuræ internam, externamque dispositionem stylo descripsit, quam transgredi non liceret. Cum nimiæ infirmitatis languore, & diutino labore frangeretur, pondus, licet sibi gratum, ferre recusavit, & claustro inclusus illud Davidicum memorabat: *In me sunt Deus vota tua, quæ reddam laudationes tibi.* In dies, ac noctes se ipsum Deo vivo, & vero verum, & vivum sacrificium offerebat. Mors jam propinquabat; & quis suarum lacrymarum imbres uberrimos enarrabit, non pro se, sed pro suorum Canonicorum solicitudine, & amore, quos in Monasterii exordio relinquebat.

Non pro se lacrymabatur, quia Vir Sanctus erat: fuit enim à pueritia usque ad Senectam purissimæ castitatis amator; humilitatis mirabile exemplar; veritatis assertor verax, obedientiæ custos integerrimus, in adversitatibus gaudens, in tribulationibus patiens; in fide strenuus; in spe longanimis, de promissione certus, ut Abraham, hospitalitatem sectans, ut Lot, Justitia pollens, ut Isaac, charitate exuberans, ut Jacob, in sermone moralitatis dulcedine refertus, senum venerator, virorum frater, puerorum, ac juvenum pater. Mira fuerunt, & pene hominibus suæ ætatis incredibilia in eo divina revelata mysteria: quandiu potuit Canonicorum suorum manibus ad Domini altare ferri, sacrum Corpus, & Sanguinem Domini communicabat; ante ipsum altare, & ante crucem Dominicam, veluti ante Christi Tribunal judicandus in lacrymas profundebatur, & in mentis excessum rapiebatur. Ita mirabiles Tellonis dotes depinxit Alfardus.

In claustri medio inter olivarum consita recumbens fratres suos, quos ut filios, parturire videbatur, veluti Jacob benedixit: & inter spem cœlestem constitutus, & fratrum amorem proferebat: *Non adeo, ut dicebat Apostolus, cupio dissolvi, & esse cum Christo, necesse autem existimo esse in carne propter vos: gravis quidem est Domine corporeæ pugna militiæ: nec deficientem causabo ætatem, munia tua devotus implebo, pro tuis castris quoad ipse jus-*

feris militabo. At si parcis ætati, bonum est mihi, hos, quibus timeo, ipse custodias; tu namque es verus Pastor, & animam tuam pro his ovibus dedisti; quod minus est supple, qui, quod maximum est, consumasti. His dictis, uberiore lacrymarum vi profundebatur. Cum Deus ejus laboribus finem jam vellet imponere, & confessorem suum in cœlis suscipere; cincunstantibus fratribus, & lacrymantibus, feria quarta quarto Idus Septembris, illucente die post nativitatem Beatæ Mariæ agens ætatis quasi annum sexagesimum, deosculatis omnium manibus, ut in orationibus ipsius essent memores, protulit: *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum*, & dignum Sanctorum ordine emisit spiritum. Quantus fratrum Canonicorum mœrentium luctus, quantus sororum Virginum, & viduarum fletus! quantæ Colimbriensis populi lacrymæ! Tota civitas ruit, omnes ad sanctum Tellonis corpus videndum influunt uno ore clamantes: *Benedictus Deus, qui talem sibi elegit famulum*. Matronæ vero, ac paupercula fœminæ, quia eis prope adstare non liceret, vel ipsum corpus attingere, pro foribus adstantes, vel per rimulas, quantum fas erat, inspicientes pio ejulatu protestabantur, ut pro ipsis deprecaretur Dominum, pro quibus sæpe sancta monita, sæpe casta consilia, sæpe perutiles correctiones, eleemosynasque largissimas sancte, ac pie profuderat. Cum corpus devote, religioseque à latere Ecclesiæ dextro juxta altare Sancti Spiritus conderetur, fit maximus omnium clamor uno suspirio precantium: *Requiescat in pace*. A' populo Beatus nominatur, & à Lusitanis scriptoribus inter insignes viros prædicatur.

En Tellonis testamentum, & diligentiam pro Monasterio fundando: *In nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Pietatis Divinæ, & non aliunde est indictum conditioni humanæ, quibus virtutibus, quibusve modis perdita sedes queat recuperari, ac summa felicitatis participari. Sed quia virtutes perlongum est explicare, sub brevitate transcur-*

rimus, ut si quod legimus, opere exerceamus. Habemus jam unde gaudere debeamus. Quoniam sunt nonnulli, qui largitione eleemosynarum, alii monitione prædicationum, alii frequentatione orationum, & quod vilius putatur, datione aquæ frigidæ, æternæ beatitudinis gaudia Deo propitio adipisci possunt. Inter hæc quidem non parva penes Deum fulget gratia, qui ad ejus honorem, & laudem fundat ædem, in qua diversa membra efficiuntur unum. Legimus namque Salomonem mirifice Dei templum construxisse, & ob id magnifica gloria eum Dominum induisse. Hoc igitur exemplo Ego Tello Archidiaconus Sedis Sanctæ Mariæ divina gratia illustrante animatus, ad animæ meæ, parentumque meorum remedium; illius videlicet balnei, quod Dominus Infans Ildefonsus Magni Imperatoris nepos dedit mihi dono, prius accepta à me, quadam, quæ vulgo dicitur sella, maximeque in remissione suorum, parentumque facinorum, unde etiam firmitudinis chartam mihi roboravit; & illius horti, qui fuit de Domna Susanna matre Principis Alvacilis Sesnandi, quem à Pontifice Colimbriano Domno scilicet Bernardo, & à Domno Joanne ejusdem Sedis Colimbriæ Priore, suoque conventu pro triginta aureis nummis comparavi, & chartam ipsius venditionis libentissime roboraverunt, ad construendum ibi Sanctæ Crucis templum, illis qui ordinem Canonicorum devovere tenendum gratulantibus testamentum feci. Testamentum, inquam, feci, ipso Infante, ac Episcopo, omnibusque Principibus Portus Gayæ, ac nobilibus Colimbriæ collaudantibus, & voto meo faventibus: hoc ordine, ut nec ego, nec alius in mea, aut sua voce, nec Colimbriana Sedes, nec ejus Episcopus, & ut simul dicam, nec aliqua alia Ecclesia ibi potestatem dominandi sibi vendicet: sed soli Deo vivo, & vero, ejusque famulis tam præsentibus, quam futuris ibidem canonice conversantibus perpetuum sit. Sed siquis contra hoc agere temptaverit, pro sola temptatione mille solidos argenti ipsis Canonicis pariat, & Domino patriæ aliud tantum, atque in Regia ser-

vitute redigatur, & quod hæc omnia excedit à liminibus Sanctæ Ecclesiæ sequestratus, inferni claustra cum diabolo, & Juda Domini Jesus Christi traditore inhabitet per omnia sæcula sæculorum. Amen. Facta testamenti charta 3. Kalend. Julii Era 1169. Ego Tello Archidiaconus, qui hanc testamenti chartam, sicut superius legitur, scribere jussi, ante idoneos testes confirmavi, & propria manu robor ✠ avi.

Ejus corpus, Fidelissimo Rege Emmanuele Monasterii Ecclesiam reparante, ad novum claustrum transfertur, unde anno 1630. in capitulo juxta altare S. Theotonii ab Evangelii latere conditum est hoc inscripto epitaphio :

QUINTO IDUS SEPTEMBRIS OBIIT D. TELLO ARCHIDIACONUS COLIMB. CANONICUS, ET FUNDATOR HUJUS MONASTERII SANCTÆ CRUCIS, ET SOCIUS S. P. THEOTONII ANNO DOMINI 1136. TRANSLATA FUERUNT EJUS OSSA E' CLAUSTRO IN HUNC LOCUM DIE 7. APRILIS ANNI DOMINI 1630.

§. III.
De S. Martino Sauriensi.

MArtinus in vico Auranca à Colimbriensi civitate 26. milliario in lucem prodiit ex Matre Argia, & Patre Aria Emmanuelis, licet sine sanguinis claritudine, rectis tamen, & virtutum merito insignitis. Postquam pia mater è vita discederet, Arias in eremo Deo soli vacans dies suos transegit. Martinum præ ceteris filium nimio amore nutrierunt, à primis suæ infantiæ unguiculis literarum rudimenta docuerunt, ac Domino devoverunt. Cum Mauritius Colimbriensis Antistes de finibus Bracarensis Metropolis per vicum Aurancam transiret, Martini Parentes hilari obsequio, & hospitio eum suscepere, & qua potuerunt copia ministrarunt, dicentes se filium cleri studiis jam adscriptum habere,

quem tanti Præsulis arbitrio obtemperare desiderabant: quorum piam indolem agnoscens Episcopus in suam sedem puerum deferri præcepit. Pullulante morum pietate, Canonicorum consensu, & Martini ejusdem Sedis Prioris Colimbriensis Ecclesiæ Canonicis, qui communem vitam tunc agebant, à Mauritio fuit adscriptus Martinus juvenilis adhuc ætatis, qua viris, ac senioribus dignum erat exemplum. Hinc cum per sacrorum ordinum gradus ad Presbyteratum venit, bona opera, atque virtutes impensius exercebat, veterem hominem cum actibus suis omnino removit; per omnia omnibus in bono placere studebat, omnesque Canonici de illius societate plurimum gaudebant, atque Deum Patrem glorificabant.

Teste Domno Salvato Sanctæ Crucis Canonico, & de tanti Presbyteri gestis coævo scriptore: *Non erat invidus, aut elatus, non murmurans, aut verbosus, aut verba vana, aut fabulas diligens, non servus gulæ; tanta enim in eo ciborum vigebat parcimonia, ut semper propriæ portionis panem pupillis distribueret, atque egenis: non erat negligens, aut piger, non oculis vagus, aut incessu levis, sed per omnia gravis, maturus, & bonus. Qui Presbyter ordinatus visitationis assiduæ medicamine ægrotantium curas lenire solebat. In divinis quoque officiis plurimum erat assiduus, & quod non parvi muneris creditur, in omnibus suis motibus signum humilitatis habebat.* En Martini conditionem in Colimbriensis Ecclesiæ Canonicatu à Salvato brevi stylo descriptam.

Iis dotibus perfectum Martinum dignum credidit Gondisalvus Colimbriensis Episcopus, cui Sauriensis Ecclesiæ curam committeret. Saurium proficiscitur, sed propter Saracenorum insidias, qui in viarum commeatus incursabant, aut servitutem, aut mortem iter facientibus inferebant, per abrupta montium devius ire coactus est. Tantum vero onus fastidiens, Colimbriam, unde advenerat, revertitur; timens ne propter infensos aliquos, nisi privilegio esset munitus, ex Ecclesia sibi commissa ejiceretur. Quamobrem Gondisalvus

Episcopus, Martinus Sedis Prior, Tello Archidiaconus, omniumque Canonicorum Conventus per Reginæ Tharasiæ consensum, quæ tunc Portugaliæ præerat, Martino, & iis, qui de ejusdem essent progenie Sauriensem Ecclesiam jure hæreditario tradiderunt. En firmæ donationis chartam.

„ In nomine Domini: cum illud castrum, quod appellatur Saurium ob frequentem guerram Saracenorum, „ raro incoleretur habitatore; placuit Divinæ voluntati per „ eximiam Reginam Tharasiam præficientem eidem castello „ Gonsalvum Gonsalvi, pro Principe manu teneri cum Dei „ adjutorio, ac defensari. Quod ubi ego Episcopus Colim„ briensis compertum habui, utilitati nostræ sedis providens „ sollicitus fui Canonicos nostros Martinum Arias, fratrem„ que suum Menendum ad Ecclesiam, quæ ibi jacebat de„ structa, reædificandam, atque obtinendam dirigere. Sed „ quanvis multum resisterent propter pavorem Maurorum „ illo ire, tamen gratia nostri permoti flexerunt animum „ suum, quæ imperabantur, facere, si ex testamento „ scripturam firmitudinis de illa prædicta Ecclesia factam „ à nobis sibi reciperent. Quibus nos propter utilitatem Se„ dis Sanctæ Mariæ acquiescentes, placuit mihi Gonsalvo „ Episcopo, & Martino ejusdem Sedis Priori una cum as„ sensu Canonicorum, Dominæ nostræ Reginæ Tharasiæ „ chartam donationis, & firmitudinis facere, tibi videlicet „ præfato Martino, fratrique tuo Menendo de supra nomi„ nata Ecclesia, tali videlicet pacto, ut firmiter illam ob„ tineatis, & secundum vires vestras reficiatis, & in uno„ quoque anno, quod inde ad sedem pertinet, fideliter red„ datis. Et ab hac die in tẽpore, tam vos quam quisque vestrum „ ex propinquitate vestra professione Clericus fuerit per suc„ cessiones temporum firma stabilitate obtineatis: & num„ quam eam sine vestra culpa, secundum Decreta Cano„ num pro aliquo alio homine perdatis. Supponimus etiam, „ quod si peccatis exigentibus, iterum ab incursione Mau„ rorum destructa fuerit, & præterea vos potueritis illam „ recuperare, licentiam habeatis semper possidendi eam quo-

cumque

„ cumque tempore volueritis. Siqua igitur persona hoc nostrum factum temerario ausu disturbare temptaverit, non „ sit ei licitum per ullam assertionem: sed quisquis is fuerit, „ qui illam Ecclesiam vobis auferre præsumpserit, sit à Deo „ Omnipotente excommunicatus, & à Sacratissimo Corpore Domini nostri Jesus Christi alienatus, & cum Juda in „ inferno, nisi resipuerit, collocatus, & hæc charta plenam „ stabilitatem semper obtineat, quæ facta est VI. Idus Octobris Era M.C.LXI. Ego Gonsalvus Episcopus confirmo. „ Martinus Prior confirmo. Tello Archidiaconus confirmo. „ Laurentius Archidiaconus confirmo. Ego Tharasia Regina confirmo. „

Confirmatus in Ecclesia Martinus Saurium petiit nullius terreni emolumenti spe deductus, sed lucrandis animabus intentus. Quot sui corporis labores perpessus non est, ut populo vigilaret assiduus? Saracenorum manibus fuerat obruta Ecclesia: hanc interius, exteriusque restaurare, & ad divinum officium resarcire opus erat: totam pulchriorem reddidit, & exornavit; proventibusque ditavit terras excolendo, novalia tandem perrumpendo. Verum de spiritualis vitæ negotiis quid referam? Plebem sibi commissam inter Maurorum errores rudem Catholicæ fidei regulis sapiens instituebat; Dei verbum seminare non cessabat. Si aliquis ex iis, quos rectitudinis zelo arguebat, in verborum contumeliam deducebatur, quanto amplius ipsi efferebantur, tanto magis eorum ille miserebatur insaniam, ut ad eorum furorem sæpissime lenitatis fomenta præberet, & sua mansuetudine litigantium iras demulceret. Eis, qui fœminam vi opprimerent, & in Saurio reciperentur, Vir Dei statim obviam fiebat, cognitoque negotio, vel ipsos fœdere legitimo, si res exigeret, conjungebat, vel nisi secundum Canones imperio suo obtemperarent, inde proculdubio expellebat. Si Clericus id perpetraret, velut Ecclesiæ hostem rejiciebat. Non tam doctrina clarebat, quam vita, non immemor Pauli dicentis: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo ne forte aliis prædicans, ipse reprobus efficiar.*

Hospitalitatem omnibus exhibebat, quæ dispensatio divina largiebatur, cum gratiarum actione peregrinis ministrabat. Hilarem datorem diligit Deus, quapropter tanto charitatis flagrabat ardore, ut non solum adventantes hospites invitaret, imo & quandoque resistentes traheret: numquam corpus alimento prius refecit, quam forum, & plateas Saurii circuiret, quem secum ad cibum capiendum advocaret. Eos frequentius pauperes, quam divites, & potentes ad mensam convocabat, quin tamen minus ipsius mensa aulicos caperet, qui multoties regium agmen cum suo Principe accurate suscepit. Hic misericordiæ operibus plenus omnem laudis humanæ favorem, veluti pestem fugit divitiis suis non tumens, nec paupertate contractus. Ecclesiæ proventus tamquam pauperum bona possidebat, seu ministrabat; sub tegumento panem egenis, atque pauperibus deferre consueverat; nihil sibi erat, quod egenis commune non foret, & universis utilius, quam sibi non proficeret. Si quando mens ab oratione, & à divinorum celebratione cessabat, in assiduis agrorum laboribus sua sponte urgebatur, de quibus uberes fructus colligens illud Davidicum commemorabat: *Labores manuum tuarum manducabis: beatus es, & bene tibi erit.*

Cum unum, & viginti annos suam rexisset Ecclesiam anno Domini 1144. Saracenorum exercitus sæviit, & Saurii fines invasit, viros, fœminas, pecora, aliaque multa in servitutem redegit. Milites Templi, quibus Regina Tharasia postea confirmante Alfonso, totius Saurii dominium cum redditibus contulerat, hostibus euntes obviam Martinum sibi collegam asciverunt Christianorum interitum, & Ecclesiæ suæ detrimentum dolentem. Sorte belli adversa, Martinus, & omnes fere Templarii à Mauris capti in Scalabim deferuntur; ubi in fætidum, ac horrendum carceris ergastulum mittitur, in quo Christiani quamplurimi compedibus tenebantur astricti. Tanta animi diligentia erga fidei, & carceris consortes in eo erat, ut ne spurcissimis Maurorum ritibus commacularentur, Evangelii prædicatione pro tempo-

re, & loco congruis illos instruxerit, & ipsis in proximo futuram libertatem, & in Christianorum manus eandem civitatem adventuram, exclusis Mauris, prædixerit. Quæ omnia sequenti anno, ut prædixerat, completa sunt; nam à Rege Alfonso tunc Scalabis capta est. A' Scalabi in Eboram, inde Cordubam Dei virum semper in vinculis asportarunt, ubi tot ærumnis confectus spiritum Creatori suo reddidit pridie Kalendas Februarii; cujus corpus à Christianis sepultum est in Basilica Sanctæ Mariæ. Martini vitam scripsit Salvatus Canonicus Sanctæ Crucis antea ejusdem Martini discipulus, & Menendo Martini fratri, ac in Sauriensi Ecclesia successori nuncupavit: cujus acta ab Auctore coævo scripta in Monasterii Sanctæ Crucis archivo asservantur, & in lucem jam prodidit Bollandus ad diem 31. Januarii. Clarissimus Resendius lib. 1. de Antiquitatibus Lusitaniæ de monte Tapæio agens ait se hujusmodi acta publici juris facere intentasse, ne tanti viri memoria excideret. Canonici Regulares Congregationis Gallicanæ Sanctæ Genovefæ Sancti Martini festum celebrant ad diem 16. Februarii cum lectionibus propriis ex prædictis actis, quod constat ex ipsorum Breviario edito jussu Capituli Generalis anno 1757. Abbate Fr. Ludovico Chaubert: Lusitani vero Sancti gentilis sui sunt obliti.

§. IV.
De Beato Attone Episcopo.

ATto Lusitanus patria Pacensis sacra loca visendi desiderio Palæstinam petiit; inde Italiam profectus in Congregatione Monachorum Vallis umbrosæ professus est, ubi virtutibus apprime imbutus octavus ejusdem Congregationis Abbas fuit electus; hinc ad regendam Pistoriensem Ecclesiam clerus, ac populus Episcopum, licet invitum designarunt anno 1133. cujus electionem ratam habuit Innocentius II. à quo amplissimo privilegio ad suæ sedis favorem, ac successorum ditatus est: non minorem gratiarum copiam Cælestinus II. effudit. Favore Didaci Archiepiscopi Compo-

ſtellani, Sancti Jacobi Apoſtoli colli articulum obtinuit, procurante Rainerio Piſtorienſi Canonico Compoſtellano anno 1145. ſummoque honore collocavit in Cathedrali; in cujus Sancti honorem cum Atto ſacellum munifice conſtruxiſſet, Piſtorienſes maioris opis impetrandæ ſpe pleni, Sanctum Jacobum ſuæ civitatis protectorem renuntiarunt. Extant de hac re nonnullæ tum Rainerii, tum Didaci Archiepiſcopi literæ, quas edidit Ferdinandus Ughelius, ex quibus Attonis virtutes, ac pietas prædicantur: *(a)* unam, omnium poſtremam, ac ceterarum compendium exſcribo.

(a) *Tom. 3. Italiæ ſacræ pag. 359.*

Didacus Dei gratia Compoſtellanæ Sedis Archiepiſcopus Attoni Reverendiſſimo Piſtorienſi Epiſcopo ſalutem, & Beatiſſimi Jacobi Apoſtoli Benedictionem. Veſtras, quas ſæpius vidimus, & audivimus, ſalutationes, & literas, quas cuidam noſtro filio, videlicet Domno Rainerio, in quibus nos à vobis per ipſum ſalutatos cognovimus. Unde vobis gratias agimus, & quia pretioſiſſima Beatiſſimi Jacobi Apoſtoli capitis honorifice, atque Sanctiſſime tractaſtis patrocinia, quæ nos ſupradicto Magiſtro dedimus Rainerio, laudes immenſas Deo, & veſtræ referimus ſanctitati; pro certo namque teneatis, quod ſi aliquid maius, quod eſt nobis impoſſibile, haberemus, veſtri amore, & Magiſtri Rainerii, diligentiſſime tranſmitteremus. Quocirca veſtram imploramus clementiam, & me veſtrarum omnium Vallis umbroſæ Congregationis fratrum orationum participem, & beneficiorum conſortem, deinceps facere dignemini. Quod nos pro vobis facimus, & nunc confirmamus in omnibus veſtræ Eccleſiæ beneficiis. Rogamus præterea, ut veſtris literis nos viſitare dignemini, & ſupradictæ, atque Sanctiſſimæ Congregationis ſimiliter literas nobis adquirere dignemini. Nempe vere es, quod diceris Archimandrita, pius, & ſobrius. & juſtus Præſul. Salutant vos omnes Canonici Eccleſiæ noſtræ. Salutamus etiam veſtros Canonicos. Vale.

Poſt egregia opera, & meritis plenus deceſſit Atto die 22. menſis Maii anno 1153. ſepultuſque in Eccleſia Sancti

Mineatis in Curte: anno vero 1337. ejus sacrum corpus transtulerunt in Cathedralem, ubi maxima veneratione asservatur. Attonis res insignes descripsit Franciscus Forte Guerra, Justinianus Marchetus, & Ferrarius in catalogo Sanctorum Italiæ. Chrisostomus Talentus Monachus Vallis-umbrosæ in Epistola ad ad Philippum III. Hispaniarum Regem de Attone sic loquitur: *Quare excelsiores Vallis-umbrosanæ reipublicæ Senatores eximii Pacensis urbis pignoris Beati Attonis Lusitani Regni decoris, ac totius Hispanæ Monarchiæ Patroni gloriosam vitam Augustissimo nomini tuo inscribendam curarunt.* Scripsit Atto vitam Sancti Joannis Gualberti Abbatis Congregationis Vallis-umbrosæ Institutoris: vitam quoque Sancti Bernardi Monachi Abbatis Monasterii Sancti Salvii Vallis-umbrosæ etiam Generalis, Parmensis Episcopi, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis: Epistolarum librum unum, quæ in Bibliotheca Vaticana manuscriptæ asservantur, teste Montfaucon in Bib. Bibliothecar. Salvianus Rasi, Josephus Dondori, ac Hieronymus Setinus Beatum Attonem existimarunt scriptorem fuisse vitæ Sanctæ Verdianæ Castelli Florentini: Bollandus tamen tom. 1. Februarii pag. 256. Attoni abjudicat. Clemens VIII. Missam, & Officium ad honorem Beati Attonis Episcopi ex præscripto Sacræ Rituum Congregationis concessit celebrandum anno 1605. die 24. Januarii. Lusitania gentilem suum oblita est, quem Italia maxima veneratione colit.

Pacensis Ecclesiæ Attonem fuisse Canonicum merito ab aliquibus dubitatur, cum Pacensis civitas id temporis Saracenorum jugo oppressa jaceret sine Præsule, sine sede. Nunc pro coronide S. Attonis acta venusto carmine conscripta à D. Peneratio Florentino Monacho Vallis-umbrosæ dabo pro Comprovincialis nostri apud exteros tanta veneratione habiti honore, & pro sublevando carminis dulcedine lectoris spiritu.

Huc ades præsens celebrande miris
Laudibus, dulci, noviterque cantu
Numen includi, precibus vocari
Annue nostris.
Thura jam sacris, Arabumque costum
In focis guttas adolens Sabæas,
Numen Attonis precibus Beati
Mysta frequentes.
Tu super cœli residens coruscis
Ignibus, fixus Triadem tuendo
Vota, quæ nostris labiis, & ore
Fundimus, audi.
Nos tuum cuncti genus, & nepotes
Anxii, præsens petimus levamen;
Comis extensas mediis procellis
Accipe dextras.
Propter id nostrum Deus appulisse
Fecit ad littus, resonis ab usque
Tunc Annæ ripis, ubi Lusitanos
Bætica finit.
Hic lares gestis celebres avitis
Vidit, Attonis teneram juventam
Imbuit claris, Anna, Paxque dudum
Julia factis.
At truces Mauros, Arabesque molles
Sacra fœdantes monumenta passim,
Ritibus pravis, veluti colubros
Lavit ubique.
Sed gravis cunctis nimius videtur
Barbari rerum feritas potiti;
Qua solum multi proprium coacti
Vertere tentant.
Inter hos Atto patriæ, propinquis
Nuntium, pergens Latium, remisit
Martyrum bustis, Cathedræ daturus,
Oscula Petri.

Hic ſacras ædes ruderum Quiritum.
Magna priſcorum monumenta, cultu
Splendido dites, opibuſque ſanctis
Viſitat omnes.
Hæc agens, toto volitare famam
Protinus ſenſit Latio, probata
Vallis umbroſæ Monachos vigere
Integritate.
Mox eo greſſus, meliora dona
Æmulans vertit; cupiens ſacrato
Nomen adſcribi numero virorum
Seque, ſuumque.
Annuit juſte Deus obſecranti,
Fecit in cœtum recipi petitum;
Atto jam gaudet cecidiſſe fauſto
Omine votum.
Cœpit arcanis documenta curis
Strenue ſecum reputare Patrum;
Scita maiorum ſibi ſarta tecta
Uſque capeſcit.
In brevi cunctis vigili labore
Ad Deum caſta prece præferendus
Corporis luxum cobibet flagellis
Eſurieque.
Jamque virtutum titulis coruſco
Proximis æque, celebrique longe
Diſſitis, rerum ſtatuere ſummam
Tradere Patres.
Quando Bernardus decoratus oſtro
Et ſacrum tractans onus infulatus
Adminiſtratas ſociis regendus
Liquit habenas.
Invicem ſciſcunt moderamen omnes
Cujus intactæ fidei daturi
Sint gregis Sancti; ſubito recurrit
Integer Atto.

Inde concordi ſtudio regendos
Offerunt ſeſe (licet ipſe nolit)
Tunc ſacris proni manibus pudice
Oſcula figunt.
Atto Joannis patris inſtituta
Præſes effectus , rata mandat eſſe ,
Comiter cunctos monet , allicitque
Reddere vota.
Ad tuum cœlis regimen relictis ,
Atto, deſcendit pietas , amorque
Paxque ; divino ſociata cultu
Te duce crevit.
Terque felices , quater , & beati ,
Hæc quibus Chriſtus dedit intueri ;
Qui tuos mores imitantur , horum
Gloria maior.
Ad Deum cunctos ſtimulas amandum ,
Comites quoſdam monitis ciendo
Molliens dictis gravibus protervos
Lædere monſtras.
Sedibus tamen ſuperum relictis
Ima virtutes petiiſſe cunctas
Feceras , quarum cupidus fuiſti
Semper amator.
Fama virtutum penetrat tuarum
Accolas omnes , ſimul & remotos.
Quæ tuæ cuncti fidei libenter
Se , ſua credunt.
Clara Tyrrhenas nitet inter urbeis
Nomen à cura capiens fideli ;
Spondylo Sancti , tonitruque nati
Clara Jacobi.
Hæc ſua ſupplex capias habenas ,
Et gregis curas , apiceſque ſacros ,
Qua datur , monſtres iter ad ſalutem
Anxia poſcit.

Reſpuas

Respuas quamvis onus, ac honores
Pauper, oblatas neque dignitates
Æstimas pluris, levequam putamen
Vel quasi floccum.
Pertinax cœpti manet ipsa voti
In tua fidens mage comitate;
Qua doles cunctas animi decoras
Vincere dotes.
Præsulem cœpit rogitare summum,
Qui Dei terris regimen, vicesque,
Et datas claves gregis administrat,
Gramine pascit.
Ut gregis sacrum moderamen uni
Tendat Attoni pietate claro,
Integro vitæ, sophiæ perito
Justa petenti.
Annuit votis populi, piasque
Audiit voces Deus universum
Ante qui summa regit, & gubernat
Numine complet.
Pontifex tantum regimen benigno
Censet Attoni fore largiendum;
Consecrat sancta caput unctione;
Corpus amictu.
Qualis extensis nebulis coruscis
Phœbus excertans faciem comatam;
Ore se mundo manifestat omni
Splendidiorem.
Confluit fuse genus omne vulgi,
Nobiles, necnon procerum caterva,
Patris auditum documenta sancti;
Oraque visum.
Erudit verbis populum disertis,
Arguit durus facinus virorum,
Criminis blando cito pœnitentes
Excipit ore.

Hac ſibi mentes hominum benignas
Arte devinxit, pepulit protervos,
Ne pecus morbo vitiata ſanctum
Fœdet ovile.
Inter hæc Atto populum vereri
Urbe cum tota reperit Jacobum,
Cui pio cultu ſacra nuncupare
Vota ſolebat.
Ut queat cultum cumulare ſacrum,
Et pium ritum populi ſecundet,
Spondylum ſanctum Minio ex Ibero
Duxit in urbem.
Hic jugis cura vigili fovebat,
Creditum ſanctæ fidei popellum,
Nec minus clara veneratur ortos
Nobilitate.
Spiritum caſtis precibus levabat,
Nec pedem ſacra removebat æde;
Donec à cunctis agitur ſynaxis
Suppliciumque.
Pauperes blandis, inopeſque verbis
Mulcet, ac ejus agape referta
Nutrit, & morbis gravibus medetur
Supplice dextra.
Hiſque virtutum titulis onuſtus
Obſitis longo ſenio lacertis,
Nec tamen feſſus ſolito labore,
Deſtitit unquam.
Ut diem tandem properare novit
Qua Deum ſiccis oculis tueri
Corporis geſtit ſpolio relicto,
Ludere mundum.
Tunc Deum fixe gemebundus orat,
Soſpites quotquot dederas regendos
Ne tuo, quæſo, ſpolies amore
Meque, meoſque.

Hunc gregem tanto pretio redemptum,
Moribus nolis rabidis luporum
Et nec hostili manui patere,
Te, Deus, oro.
Insuper Fratres tuearis omnes,
Qua soles charos pietate Christe,
Quos in Umbrosa genuere valle
Publica vota.
Proximus cœlis, animus reliquit
Membra lethæo rapienda somno,
Inde pernici super astra cursu
Scandit olympum.
Te Dei vultu petimus fruentem,
Ut tui fias memorum patronus,
Ne ve nos miti patiare Christo
Crimine velli.
Ne ve permittas nimiis procellis,
Quas graves nostræ meruere culpæ,
Obrui; sed dà miseris levamen
Omnibus aptum.

§. V.
De S. Fructuoso Canonico Regulari.

ERa 1199. Rex Alfonsus donationem de Ecclesia Parochiali Sanctæ Mariæ de *Constantim* prope Villam Regiam in Diœcesi Bracarensi Canonicis Monasterii de Caramos fecerat; quam regendam Menendus Petri ejusdem Monasterii Prior Domno Fructuoso Gundisalvi Con-canonico suo commisit. Fructuosus omne dignitatum genus abhorrens extra claustra degere renuebat; sed Domni Joannis Peculiaris Archiepiscopi Bracarensis precibus adduci potuit, ut susciperet. Pastor constitutus qua doctrina, & quo virtutum exemplo gregem suum non instruxit? Quis umquam Fructuosum adiit, qui eum plerumque flexis genibus orantem non invenerit? Pau-

perum pater quidquid ex suis proventibus poterat, in ipsos profundebat. Ea erat illius sanctitatis fama ut ex omni Transmontana, imo Inter Durium-miniensi provincia maxima populorum turba conflueret, ut vel à languoribus sanarentur, vel à vitiis intra confessionem purgarentur: curationum gratia ei erat divinitus data, & lenitatis spiritus, quo ad pœnitentiæ fructus promovebat.

Anno Domini 1162. mortis die sibi revelata, ad Monasterium de Caramos accessit Canonicos suos salutatum, ac petitum, ut in orationibus Deo pro ipso supplicarent, quod ultimus dies jam immineret, nec vita sua ad festum Sancti Martini ejusdem Monasterii Protectoris protenderetur. Fructuosi dictum exitus comprobavit, nam eodem anno in Ecclesiam suam reversus die decima Novembris sanctitate conspicuus in Domino suo obdormivit. A' Joanne Peculiari Archiepiscopo, & Canonicis de Caramos, qui illuc convenerant, sepultus est juxta aram Sancti Fructuosi Bracarensis Archiepiscopi, quam in Ecclesia de *Constantim* ille extruxerat. Domnus Alfonsus Pelagii Canonicus de Caramos, & Fructuosi in eadem Ecclesia successor in sepulchri lapide id inscripsit Epithaphium: *Hic jacet in terris Fructuosus Abbas celebris, custos, & amicus gregis, ejus anima sit in cœlis; obiit plenus meritis IV. Idus Novembris, Era biscentesima peracta millesima.*

Cum à die obitus quinquaginta annos miraculis bene multis Fructuosi sepulchrum coruscaret, Domnus Stephanus Suarii Bracarensis Præsul tot prodigiis permotus die 28 Februarii anno 1216. ad Constantini Ecclesiam profectus est ea inquisitum. Quibus diligenter, ac debito ritu cognitis, sepulchrum aperiri jussit, ex quo nimius odor undique flagravit. Hinc Sancti Viri ossa ad sepulchrum aliud in pariete ejusdem sacelli Sancti Fructuosi Episcopi transtulit, & caput argento inclusum servavit ad omnium venerationem, quod miraculis indies tanti Sacerdotis sanctitatem indicat, præsertim erga eos, quos canum rabies,

& furor veneno inficit. Fructuosi meminerunt Cardosus in suo Agiologio ad diem 16. Aprilis, Vasconcellos in Lusitaniæ descriptione de Sanctis; aliique, licet cujus esset religionis, inter se diffideant Auctores, quorum alii Benedictinum Monachum fuisse autumant cum Fr. Leone à S. Thoma. Ast alium Fructuosum Benedictinum Monachum, & Abbatem sanctitate quoque illustrem necesse est perhibere, (a) cum vetusta Archivi Monasterii de Caramos monumenta Fructuosum Abbatem de *Constantim* ejusdem Monasterii fuisse Canonicum certò exhibeant. Unde quoque evincitur Fr. Antonius à Purificatione in suo Chronico, qui Fructuosum Constantiniensem Abbatem sui ordinis fuisse autumavit, & ad annum 568. vixisse descripsit.

(a) *Benedict. Lusitan.*

§. VI.

De Beata Feliciana Canonica Regulari.

Feliciana ex Lusitaniæ primoribus in Reginæ Mafaldæ aula optimis moribus instructa sæculi blanditias, quas ceteræ suæ ætatis, ac nobilitatis fœminæ appetebant, fugere consueverat. Cum Rex Alfonsus, ac ejus conjux Mafalda cuidam Regni optimati Felicianam matrimonio locare procurarent, Illustris puella, quæ castitatis voto jam se obstrinxerat, de Sancti Theotonii consilio, cui conscientiæ suæ arcana prodere solita erat, ad Canonicarum Monasterium Sancti Joannis fuga sese recepit, ubi in Canonicam fuit induta. Monasterio inclusa virginitatem adeo coluit, ut numquam cum viro aliquo colloqueretur. Orationis dono insignis dies, ac noctes ante Christi Cruci affixi imaginem, quæ nunc in Sanctæ Crucis Ecclesia maxima veneratione colitur, sponsi sui passionem acerbissimam contemplans transigebat. Ex antiqua Monasterii traditione fertur ad Felicianam sacram Domini imaginem fuisse alloquutam, & super injusta petitione respondisse: *Nescitis quid petatis.* Anno 1162. die 4. Februarii in sui sponsi osculo ab humanis excessit.

Ejus corpus juxta aram maiorem Ecclesiæ Sancti Joannis sepultum permansit ad annum usque 1172. quo Domnus Michael Colimbriensis Episcopus propter Virginis Sanctitatem, ac miracula, quibus emicabat in eadem Ecclesia sepulchrum erigi jussit. Anno 1510. Domnus Petrus Gavianus Episcopus Egytaniensis, & Monasterii Sanctæ Crucis Prior Commendatarius sacras Virginis exuvias ex Ecclesia S. Joannis in Sanctæ Crucis transtulit, & in capsa asservatas juxta prædictæ imaginis Crucem collocavit. Inter Lusitanos Beata nuncupatur Feliciana; ejusque memoriam descripserunt Cardosus in suo Agiologio ad diem 4. Februarii, Pennotus in Historia Generali Canonicorum Regularium lib. 2. cap. 32. Domnus Nicolaus de S. Maria in suo Canonico Chronico P. 2. lib. 12. cap. 6. & Fr. Ludovicus ab Angelis in Lusitaniæ viridario pag. 171.

§. VII.
De Venerabili Domno Joanne Theotonio.

D. Joannes Theotonius secundus Prior Monasterii S. Crucis S. Theotonio sanguine conjunctus post tanti Viri obitum Monasterii, quod decem annos jam regebat, omnium Canonicorum consensu Prior. Quantum Joanni debeat Monasterium testantur tot diplomata aut Pontificia, aut Regia, & tot fidelium largitiones, quæ in ejusdem archivo asservantur. Ita testatur Magister Alfardus in libro, quem testamentorum dicimus: „Sub quo Patre „ (*Joanne Theotonio*) & ejus sollicitudine, & industria coo- „ perante Domino Jesu Christo, Colimbriense Monaste- „ rium in sancta conversatione profecit, opinione claruit, „ & rebus necessariis crevit, non minus amplum posses- „ sionibus, quam clarum virtutibus. Summopere namque „ in diebus suis operam dedit, quatenus cœnobium præ- „ ter eam quam ab Apostolicis viris libertatem, & à Rege „ Portugalis Domno Alfonso jam habebat, iterum tam- „ quam duplici fulciretur, & roboraretur confirmatione,„

Joannis prudentiam, discretionem, charitatem, ac ceteras virtutes optimo Præsule dignas exposui in vita S. P. Theotonii Monasterii curam ipsi in vita committentis. Joannes post Theotonii mortem in Monasterio S. Crucis Generale Capitulum fecit adunari, cui interfuerunt Priores S Vincentii, S. Georgii, S. Petri de Arganil, S. Mariæ Leirinensis, S. Romani de Sena, & alii ex nostris, qui Monasterii Parœciis præfecti erant. Hæc erant Monasteria veluti ex filiatione S. Crucis. Hujus Generalis Capituli meminit Domnus Pelagius Prior 3. Monasterii S. Vincentii in statutis de Hospitali supra scriptis.

Non tam ad Canonicorum, qui in Monasterio commorabantur, regimen, ac instructionem leges protulerunt, verum & ad aliorum, qui animarum curæ in Parœciis præfici consueverant, quo modo in sæculo extra versarentur: ab exordio enim Monasterii id institutum erat, quod Innocentius III. cap. Quod Dei 5. de statu Monachorũ, & Canonicorum Regularium exposuit, ac decrevit. Sub Joanne Theotonio Priore pro Rege Alfonso Monasterii Parente, & Fundatore decreta sunt suffragia illa jam dicta in cap. 4. §. 1. pag. 100. licet in exemplari authentico sit: *Igitur Theotonio S. Crucis Priore cum Conventu devote respondentibus dixerunt.* Joannis nomen prætermittitur, sicut & in aliis quamplurimis monumentis, quibus Theotonii tantum nomine subscribere solitus erat. Illud monumentum suffragiorum scriptum est, ac factum Era 1204. anno Domini 1166. quo S. Theotonius jam in vivis non erat, imo ab illius obitu jam fere quatuor effluxerant anni.

Ea erat Joannis erga proximos amor, ut ab populorum instructione non desisteret; in concionibus frequens, in sacra Exomologesi, ac Synaxi ministranda diligens, in oratione assiduus quidquid temporis ex muneribus sibi præscriptis supererat coram altari Deo vacabat. Prioratu se voluit abdicare, ut ad solum Deum cogitationem intenderet, verum desideratissimo Parente carere renuerunt

filii. Meritis tandem, virtutibus, ac ætate plenus in Domino ſuo obdormivit die 29. Octobris anno 1181. Venerabilis Rex Alfonſus, qui Joannem Theotonium utpote virum juſtum, ac rectum diligebat, cum regni ſui optimatibus ſepeliendo ejus corpori adfuit. Ad parietem in clauſtro ſepultus eſt hoc inſcripto epitaphio: *IV. Kal. Novembris obiit Domnus Joannes Theotonius ſecundus Prior Monaſterii S. Crucis in Era M.CC.X.VIIII.* quadraginta annis vixit in Monaſterio. Anno 1629. Colimbrienſi Epiſcopo Joanne Emmanuele, & Hiſpaniarum Rege Philippo IV. integrum Venerabilis Joannis corpus repertum eſt; quod venerationi aliquandiu expoſitum, ſuaviſſimum odorem diffudit, donec in capitulo juxta S. Theotonii altare ab Epiſtolæ latere in marmoreo ſepulchro conditum eſt hac inſcriptione

IIII. KAL. NOVEMBRIS OBIIT DOMNUS JOANNES THEOTONIUS SECUNDUS PRIOR MONASTERII S CRUCIS ANNO DOMINI 1181. TRANLATA FUERUNT EJUS OSSA E' CLAUSTRO IN HUNC LOCUM DIE 7. APRILIS ANNO DOMINI 1630.

§. VIII.
De Venerabili Fr. Egidio, & Sociis.

EGidius, Benedictus, Lazarus, & Abrahamus Viri Luſitaniæ nobiles mundi illecebras abhorrentes, ſupernas tantum res appetentes montis Oſſæ ſolitudinem petierunt in Tranſtagana provincia, ubi celeberrimum nunc extat cœnobium D. Pauli, & virtutum, & ſanctimoniæ, & literarum genere valde inſigne. Illuſtres ſocii in ſolitudine à mutuo conſpectu amoti, antrum unuſquiſque ſuum habuit, quo ſoli degerent. Hujuſmodi loca adhuc ab habitatoribus ſuis nomen ſervant. Antrum Egidii prope cœnobium ad ſeptentrionem: antrum Benedicti prope

rivulum: antrum Lazari prope vallem Infantis arboribus coopertam, & rivulo rigatam: antrum denique Abrahæ, cujus nomen valem alteram insignivit. Elapsis annis, Eremitarum fama per Lusitaniam longe, lateque diffusa est, ut quamplurimi alii illius vitæ normæ adtcriberentur; inter quos emicuit Ferdinandus Annes, & Rogerius natione Hibernus, qui Olysiponensi interfuit expeditioni. Verum Ferdinandus Christianis opem adlaturus à Saracenis Lusitaniam id temporis impetetentibus eremum dereliquit, Avisiensem militiam, unde exierat, iterum petiit, & omnium Equitum consensu ejusdem militiæ Magister renuntiatus est.

Unum de montis Offæ Eremitis præterire nequeo monumentum quoddam tot virorum sanctitatis præclarum. Cum Gregorius XI. Petro Colimbriensi Episcopo, Joanni Tudensi, & Velasco Præcentori Bracarensi vices suas committeret in Hispaniis, & munus obeuntes suum Eremitas ceteros, qui per Hispaniarum provincias in solitudine degebant, extinguerent, ac inhiberent; eos, qui Offæ eremum à S. Mantii tempore incolebant, illæsos asservarunt, imo venerati nihil circa eorum institutum innovarunt. Digni quidem, qui in Ecclesiæ ornamentum, ac Lusitaniæ decus permanerent, donec Serenissimus Infans Cardinalis Henricus postea Lusitaniæ Rex eorum commotus exemplo anno Domini 1578. ab Apostolica Sede confirmationem obtinuit, & reformationem, præsertim in literarum studiis, quibus Ecclesiæ prodessent; quibus omnibus munificentissimus annuit Summus Pontifex Gregorius XIII. Tot virorum, ac vitæ perfectionis meminerunt Fr. Antonius Brandaõ Cisterciensis Monachus, *(a)* Cardozus in Agiologio Lusitano, & Clarissimus Vir Fr. Henricus à S. Antonio ejusdem Eremitici Ordinis olim Generalis, in suo Chronico in lucem edito anno 1745.

(a) *P. 1. lib. 8. cap. 32. Tom. 2. pag. 94.*

Clarissimus iste scriptor lib. 1. sæculo 1. cap. 15. in cœnobio vetus monumentum, non tamen integrum se in

venisse ait, quod illius solitudinis accolas sic descripsit: „Cum nos a Maurorum telis huc fugissemus... invenimus, & vidimus multos Anachoretas per hanc eremum „Montis Ossæ dispersos jam post multa sæcula in speluncis, & cavernis hujus promontorii degentes in stricta pœnitentia, & alta contemplatione Altissimo jugiter famulantes, à quibus accepimus ...... nec persecutio „gentilium in principiis nostræ fidei, nec crudelitas Saracenorum in perditione Hispaniæ potuit extinguere de „hoc monte solitarios & contemplativos Anachoretas, „quos Deus sua Divina Providentia usque ad hæc tempora custodivit. Era M.CCX.X.„

Iis adnumerari non incongruum est insignem agri Orichiensis Anachoretam Leovigildum Petri de Almeida, qui sexaginta ferme annos in solitudine cœlestem egit vitam infidelibus ipsis id temporis ea loca habitantibus venerandam. Leovigildo quid non debet Lusitania? Hæc per Venerabilem Regem Alfonsum, Leovigildo orante, Saracenorum jugum excussit: Leovigildus apud Orichium Dei nuntius & victoriam, & triumphi Auctorem Christum Cruci affixum Regi nuntiavit apparriturum. Qui Alfonsum de quinque Regibus Mauris triumphantem prædicaverint, Leovigildum quoqe extollant, necesse est.

§. IX.
De S. Tharasia Regina Ordinis Cisterciensis.

Tharasia Regis Sanctii I. filia ex Dulcia Regina tantæ virtutis indole à puerita floruit, ut, cum in ea ætate Avus Alfonsus orationi, jejuniis, eleemosynis, ac ceteris pietatis officiis tam deditam cerneret, lacrymas cohibere non posset. Adulta ætate, nihil antiquius erat piissimæ adolescentulæ, quam inter religiosa claustra degere, & illibatam virginitatem perpetuo custodire. Ast obstitit sanctis filiæ desideriis Sanctius Pater, qui anno Domini 1190. eam in matrimonium dedit Alfonso

consobrino suo Legionis, & Gallæciæ Regi. Illa ut conjugi pareret, de vitæ austeritate remisit aliquid, quod aliis virtutibus, misericordia præsertim compensavit. Captivos sub Maurorum jugo degentes redimere, puellas parentibus orbatas dotare, & quovis die festo duodecim fœminas, totidemque pueros novis vestibus ornare consueverat. Ea Regina, ac Magistra, Alfonsi regia iis moribus, & exemplis ornabatur, ut penè Monasterium, non Principum aula videretur. Alfonso filios Ferdinandum, Sanctiam, & Dulciam procreaverat; sed ob magnam tempestatum vim, terræmotus, & pestem undique grassantem, atque alias calamitates, quas incestuoso Tharasiæ, & Alfonsi conjugio Lusitani imputabant, quod fratrum essent filii, à Cælestino III. separationem enixe contenderunt. Pontificis jussu Episcoporum Portugaliæ, & Legionis Concilium Salmanticæ est indictum, Præside Guillelmo Cardinali Sancti Angeli: in quo divortium eorum Principum decretum est. Omnium Episcoporum consensu, Salmantino excepto, qui hac de causa ab Innocentio III. fuerat excommunicatus, & absolutio reservata Romanæ Ecclesiæ, ut constat ex Epistola Innocentii ad Archiepiscopum Compostellanum anno 2. Pontificatus. Olim enim Ecclesia in hoc, quemadmodum in aliis disciplinæ articulis solita non erat dispensare: ægre Patres à fixis semel regulis, sive Canonibus recedi permittebant.

Tharasia autem rediens ad patrios lares studiosior Deo vacare intendit, in oratione, & vigiliis assidua, in misericordiæ erga pauperes, & Ecclesias operibus largissima. Innocentius Papa III. Tharasiæ virtutibus, ac meritis auditis ad ipsam scripsit: (*a*) „Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei Charissimæ in Christo Filiæ „Tharasiæ Reginæ illustri salutem, & Apostolicam benedictionem. Ea te novimus circa Ecclesias, & viros Ecclesiasticos sinceritatis affectione fervere, ut honori eorum „attente inter ceteras personas invigiles, & studiose ipsorum utilitatibus procurandis intendas, nos quæ pro ipsis,

„ & maximè pro Episcopis Regni Portugaliæ eo fiduci-
„ alius tibi cum expedit dirigimus preces nostras, quo à
„ te speramus firmiter, & audiri. Hinc est quod cum Vi-
„ sensis Ecclesia pastoris solatio destituta, Canonici ipsius
„ venerabilem fratrem nostrum Visensem Episcopum tunc
„ Thesaurarium Colimbriensem in eorum Pastorem du-
„ xerint eligendum, & nos eo ad Sedem Apostolicam
„ personaliter accedente, considerato provide quod per
„ diligentiam, & circunspectionem ipsius dicta Ecclesia
„ laudabilibus Auctore Domino in spiritualibus, & tem-
„ poralibus proficere poterit incrementis electionem hu-
„ jusmodi de fratrum nostrorum consilio duximus confir-
„ mandam, munus consecrationis eidem postmodum im-
„ ponendo. Celsitudinem tuam rogamus, & hortamur at-
„ tente, quatenus Episcopum ipsum virum utique littera-
„ tum, honestate decorum, consilio providum, & in spi-
„ ritualibus, ac temporalibus circunspectum, ac Ecclesiam
„ Visensem pro nostra, & Apostolicæ Sedis reverentia
„ habens specialiter commendatos tibi, cum pro suis, &
„ ipsius Ecclesiæ negotiis tuum duxerint suffragium po-
„ stulandum, consilium, & auxilium tribuas opportunum.
„ Ita quod Deum exinde magis merearis habere propi-
„ tium, & nos Excellentiam tuam dignis in Domino lau-
„ dibus commendemus. Datum Lugduni 16. Kalend. Fe-
„ bruarii Pontificatus nostri anno 6.„

Pia intra claustra vivendi desideria adimplere impensius satagebat. Cum Laurbaniense Benedictinum Monasterium sub Abbate Juliano à pristina Monachorum, qua florebat, disciplina excideret, & magnis criminibus Abbatis, & Monachorum in spiritualibus, & temporalibus esset collapsum. Sanctius Rex ut filiæ votis satisfaceret, curavit ut Julianus cum Monachis suis Monasterium dimitterent. Monachis ex Innocentii III. Decreto ab Archiepiscopo Compostellano de illo exclusis, & per alia Monasteria bene ordinata collocatis ut dignam agerent pœnitentiam; Tharasia ibidem Cisteriense institutum am-

plexa eſt, cujus exemplum ſequutæ ſunt multæ nobiles virgines è comitatu ſuo, quas illa deinde ad omnem pietatis, ac regularis diſciplinæ cuſtodiam verbo ſemper, & factis inflammabat. Principem exuens, ac famulam induens viliſſimis quibuſque in monaſterio vacabat muniis, infirmis miniſtrabat, valentes ad nocturnas, & antelucanas preces excitabat, quibus tranſactis, reliquas oratione ſæpe explebat, in qua miro interdum ſplendore coruſcare, & quandoque in aere ſuſpendi viſa eſt. Laneam ſubuculam ſetis aſperatam geſtabat, ſtraminea cubabat in culcitra, rigidis flagris in tenerum corpus non uſque ad ſanguinem tantum, ſed etiam virium, atque animi defectum ſæviebat. Quartis, & ſextis feriis, ac toto Adventus, ac Quadrageſimæ tempore ſolo pane, & aqua reficiebatur. Sacrum Domini Corpus tot lacrymis, tantoque pietatis ardore communicabat, ut ſtantes mirarentur, ac cumpunctione moverentur. Cum ipſa colloquentibus cœleſtium amorem, quo æſtuabat, mirum in modum inſpirabat, & ſæculi rerum contemptum, quo unice gloriabatur.

Igitur cum ita ſemper viveret fervido ſpiritu, ſe mori ſemper exiſtimabat, multis annis ante obitum ſuum ad ſepulchrum, quod ſibi præparaverat, quotidie ſedens, funebrem ipſa ſibi pſalmodiam præcinebat. Tandem ingruente morbo correpta, Sacramentis rite ſe munivit, & in templum deferri petiit, ubi ſorores cum ad perfectionem excitaret, & valediceret, Beatiſſimæ Virginis, cujus amore ſemper exarſit, canticum recitari juſſit; ac adverſiculum *Suſcepit Iſrael puerum ſuum*; Deo creatori animam reddidit die 17. Junii anno Domini 1250. Era 1288. ex veteri Neucrologio Monaſterii Sanctæ Crucis: *Obiit Illuſtriſſima Regina Domina Tharaſia filia Illuſtriſſimi Regis Domini Sancii, & Domnæ Dulciæ* 15. *Kalendas Julii Era* 1288. Incredibili pulchritudine demortuæ fœminæ facies apparuit, ut vivam potius crederent, ac totum templum ſuaviſſimo odore perfuſum eſt: quin & è

ſummo faſtigio igneus globus ad inſtar ſolis viſus eſt extolli, & nubes ſuperare. Corpus poſt quatuor ferè ſæcucula integrum, odoriferum, recentibuſque floribus ſparſum repererunt. Statim à morte miraculis claruit erga plurimos, qui patrocinium impetrabant. Clemens XI. anno 1705. die 23 Decembris Beatorum faſtis Tharaſiam prodigiis claram adſcripſit, anno 1709. ejuſdem feſtum ſub ritu duplici juſſit celebrari pro Ordine Ciſtercienſi, ac Colimbrienſi Diœceſi, intra cujus limites ſitum eſt Laurbanienſe Monaſterium; verum anno 1713. pro univerſo Luſitaniæ regno, ac dominiis extendit. Anno 1715. ſacrum corpus ab Epiſcopo Colimbricenſi Domno Antonio de Vaſcon-cellos, Fr. Antonio do Quental Ciſtercienſis ordinis per Luſitaniam Abbate Generali, & ceteris ejuſdem ordinis Præſulibus in capſa argentea fuit incluſum, & in ara ad omnium venerationem collocatum.

§. X.
De Sancta Sanctia Ordinis Ciſtercienſis.

SAnctia Princeps Sanctii I. Luſitaniæ Regis, ac Reginæ Dulciæ filia non tantum regio parentum ſanguine perilluſtris, verum & virtutibus, quibus ab ineunte ætate exornabatur. Puella divinis jam tum bene inſtructa piorum librorum lectioni identidem vacabat, ex quibus quaſi admotis facibus ita exarſit, ut virtutis cauſa nihil, quamvis arduum tentare, ac pati dubitaverit. Tenerum corpuſculum cruentis flagellis, aſpero cilicio, ac frequentibus jejuniis macerabat: humi, aut in duro ſuberis cortice, ligno in cervical adhibito, cubare conſueverat. Longam, diuque protractam orationem brevis ſomnus, & hunc rurſus oratio excipiebat. Miſſæ Sacrificio maiori, quam pro illa ætate fervore aderat, atque horas Canonicas in genua provoluta quotidie recitabat. Quo amore erga Beatiſſimam Virginem fragrabat? Quam adeo coluit, ut vel viſa ipſius imagine, vel audito dulciſſimo nomine

incenderetur, ac intuentibus eandem ſpiritus ſuavitatem inſpiraret. Vera pauperum mater eos omni, qua poterat, ope ſæpè ſublevabat, duodecim pauperes fœminas ſingulis quartis feriis in regiam admittebat, quas ſplendida menſa reficeret, pecuniaque, ac veſtibus donatas dimitteret.

Mortuo Patre, aulæ illecebras abhorrens *Gerabricam* in dotale oppidum ſe contulit, ubi cum domeſticis fœminis propriam domum in Monaſterium mutavit ſibi, ac Deo impenſius vacatura: vitæ proludebat religioſæ, quam poſtea amplexaretur. Illic quinque è Franciſcana familia viros, qui Marrochii martyrium ſunt adepti, aliquandiu hoſpitio ſuſcepit, de cœleſtibus colloquentes audivit, eorumque propoſito laudato, rebus omnibus, ut par erat, inſtructos in Africam dimiſit. Qui vero eadem hora, qua martyrium ſubierunt, ſuo in cubili oranti Sanctiæ ſplendore circumfuſi apparuerunt, ſibique de jam parta felicitate congratulantem ſummo religioſæ perfectionis deſiderio inflammarunt. Quamobrem regia in Sancti Franciſci Ordinis cœnobium commutata, Gerabricam reliquit, ad *Cellas* oppidum, olim *Vimaranes*, vel *Vallem medianum*, prope Colimbriam diſceſſit, ubi Monaſterium extruxit, redditibus ampliavit, & Ciſtercienſe inſtitutum amplexa eſt: quamvis Alfonſus frater repugnaret, & ad nuptias tum blanditiis, cum vi impelleret. Sed Piiſſima Puella matri prædixerat fieri non poſſe, ut ulli hominum nuberet, quam ſibi uni Chriſtus jam deſponderat; & malle ſe illibata virginitate tardius, quam illico à nuptiis cœlum ingredi.

Monaſterio incluſæ admirabilius erat orationis ſtudium, ſuimet contemptus, vitæ auſteritas, laboris conſtantia, ac in omnes profuſa charitas. Prophetiæ dono illuſtris futura prænovit, & remotiora cordium arcana penetravit; quæ cum ſororibus aliquando patefaceret, omnes deinde adeo continebat, ut earum nemo quidquam licentius auderet; ſciebant enim omnes animi latebras Sanctiæ pa-

tefieri. Cum extremo morbo coerceretur uberiori cœlestis sponsi amore æstuabat, cupiens jam dissolvi, & esse cum ipso; hilari vultu, & gratiarum actione tolerabat, Sacramentisque omnibus munita ad sui sponsi castissimos amplexus evolavit die decima tertia Martii anno 1229. secundum vetus Neucrologium Monasterii Sanctæ Crucis: *Tertio Idus Martii obiit Regina Domna Sancia filia Regis Domni Sancii, & Reginæ Domnæ Dulciæ Era* 1267. Obeunti Sanctiæ adfuit Regina Tharasia, quæ fororis corpus Laurbanium transtulit, ac in sepulchro, quod sibi comparaverat, condidit. Miraculis clara à Clemente XI. Romano Pontifice eadem die cum Tharasia Sorore Beatorum fastis adscripta est, & ejus officium, ac festum eodem ritu indultum.

Tharasiæ, & Sanctiæ constantia in laboribus maxime enituit in dissidio cum Alfonso fratre, qui oppida testamento Patris legata iis sine causa voluit adimere. Sed nihil perfecit tam armis Regis Legionensis, cui Tharasia fuerat nupta, quam Summi Pontificis interminationibus, & interdictione sacrorum coactus. Innocentius III. ad Tharasiam, & Sanctiam hujusmodi litteras misit: „Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis in „Christo filiabus nobilibus mulieribus Tharasiæ Reginæ, „& Sanctiæ, Sanctii quondam Regis Portugalensis, salutem, & Apostolicam benedictionem: olim ad petitionem inclytæ memoriæ Sanctii Patris vestri Regis Portugaliæ testamentum, quod fecerat in articulo mortis constitutus, duximus confirmandum. Verum quia dubitatis „ne super his, quæ vobis eodem testamento legavit, ab „aliquibus vobis molestia inferatur, nobis humiliter supplicastis, ut eadem vobis confirmare auctoritate Apostolica dignaremur. Nos igitur vestris precibus inclinati, „personas vestras cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis „modis, præstante Domino, poteritis adipisci, sub Beati „Petri, & nostra protectione suscipimus, & Castrum

Montis

„ Montis maioris, & Villam Esgueira , quæ tibi Reginæ „ Tharasiæ, & Castrum de Alenquer, quod tibi Sanctiæ, „ cum pertinentiis eorundem, dictus Pater cum omnibus „ filiis, & filiabus suis donavit, sicut ea juste, & pacifice „ possidetis, devotioni vestræ auctoritate Apostolica confir- „ mamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nul- „ li ergo hominum &c.... Datum Laterani III. Idus Octo- „ bris, Pontificatus nostri anno 14. „ Nescio quo fundamento Eduardus Nonius de vera Regum Portugaliæ Genealogia Sanctiam cum Patre suo in S.Crucis Monasterio fuisse sepultam asseruit; cum Laurbaniensia vetera monumenta opponant.

§. XI.
De Sancta Mafalda Regina Ordinis Cisterciensis.

MAfalda Sanctii Regis, ac Reginæ Dulciæ filia iis animi dotibus insigniebatur, ut non tam patri, quam fratri suo Alfonso licet in ceteros infenso fuerit grata. Virtutes cum ætate ipsa augebantur, in regia Monialis potius, quam Princeps videbatur omnes & pauperes, & optimates exemplo confovens. Cum pulcherrima esset, & tot dotibus exornata ab Alfonso fratre Henrico I. Castellæ Regi duodecimum ætatis annum vix egresso data est in conjugem. Berenguella Regina Legionensis Henrici soror pueri fratris nuptias ægre ferens ad Innocentium III. scripsit certiorem reddens de consanguinitatis gradu inter contrahentes Principes prohibito. Innocentius Episcopis Munioni Burgensi, & Telloni Palentino commisit causam, quorum sententia solutum est conjugium, quod nondum fuerat consumatum. Anno 1212. Lusitaniam reversa est Mafalda, & sæculi delicias abhorrens in Monasterio de Arouca, quod parens Sanctius testamento ipsi legaverat, sese recepit; ubi Cisterciense institutum restauravit, cum antea sub Monialibus, & Monachis Benedictinis, quos nigros dicimus, duplex floreret. In Monialem induta omnium virtutum generi incubuit; admirabilis erat suimet ipsius contemptus, vilia quæque præ omnibus in

Monasterio obibat, flagris corpus cædebat; erga pauperes tam munifica manu ferebatur, ut omnes matrem appellaverint. Nihil erat religiosissimæ fœminæ antiquius, & dulcius, quam orare; oratione noctes sæpe, ac dies transigebat. Ex stricta, qua erga Deum tenebatur consuetudine, erga Dei servos, & amicos etiam erat benevola, & qua poterat facultate adjuvabat, ac subveniebat.

Licet Religionis voto esset obstricta, Innocentius III. anno Pontificatus sui 14. literis suis concessit, ut quæ Sanctius pater testamento reliquerat, possideret, & ministraret: *Innocentius Servus Servorum Dei. Nobili mulieri Mafaldæ filiæ Sanctii quondam Regis Portugaliæ. Olim ad petitionem inclytæ memoriæ Sanctii Patris tui Regis Portugalensis testamentum, quod fecerat in articulo mortis constitutus, duximus confirmandum. Verum quia dubitas, ne super his, quæ tibi eodem testamento legavit, ab aliquibus tibi molestia inferatur, nobis humiliter supplicasti, ut eadem tibi auctoritate dignaremur Apostolica confirmare. Nos igitur tuis precibus inclinati, personam tuam cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possides, aut in futurum justis modis præstante Domino poteris adipisci, sub Beati Petri, & nostra protectione suscipimus, & tam Baucias, Tujas, & Arouca cum pertinentiis suis (quæ jam dictus Pater, & Mater tua cum omnibus filiis, & filiabus suis tibi donavit) quam hæreditates, quas tibi nobilis mulier Egeæ nomine, quæ te nutrivit, & adoptavit in filiam, hæreditario jure tibi concessit, sicut juste, ac pacifice possides, devotioni tuæ auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Datum Laterani III. Idus Octobris Pontificatus nostri anno* 14.

Id erat in usu sæculo duodecimo, ut plures Virgines, & Viduæ vitam Religiosam profiterentur obedientiam tantum, & castitatem promittentes, rerum suarum servata substantia. Quædam mulier ad annum circiter 1200. in urbe Salmantina votum emisit castitatis in manibus cujusdam Ca-

nonici Regularis Sancti Augustini Monasterii Sanctæ Mariæ de Veiga, eo adjecto, ut in domo propria cum omni substantia remaneret, & in ejusdem Ordinis habitu biennio post permansit, licet se invitam fuisse asseveraret, & coactam secundum Innocentii III. Decretalem ad Episcopos Lisbonensem, & Colimbriensem eodem anno Salmanticæ cōmorantes Cōcilii causa, in quo Lusitaniæ, & Legionis Præsules anno 1195. convenerant pro divortio faciendo inter Alfonsum IX. Regem Legionensem, & Tharasiam filiam Sanctii Lusitaniæ Regis. Quamvis alii Innocentii decretum intelligant de voto simplici castitatis, quocum non repugnat proprium Patrimonium retinere; Decretalis verba: *Sane in ejusdem ordinis habitu biennio post permansit*: non castitatis simplex votum, sed solemne cum professione emissa in Religione important. Nec Innocentius matrimonium postea contractum irritum declararet, si simplex esset votum, & non solemne; simplex quippe non irritat, sed solemne. Quamobrem Clarissimus Vir Juris Canonici Professor Emmanuel Gonzales Innocentianam Epistolam descriptam in cap. 7. Decretalium tit. Qui Clerici, vel voventes matrimonium de veteri Monialium disciplina jam exposita interpretatur.

Anno 1256. mortis diem prænoscens Mafalda testamentum suum condidit, quo pauperibus, Ecclesiis, ac Monasteriis legavit plurima: ut in lucem jam edidit Eruditus vir Domnus Antonius Caetanus de Sousa Clericus Regularis. (*a*) Ecclesiæ Sacramentis roborata in Domini osculo obdormivit Kalendis Maii ejusdem anni: cujus corpus in suo Auracensi Monasterio sepultum est hoc monumento lapideo epitaphio inscripto.

(a) *Tom. 1. Probationum Historiæ.*

Hic jacet Illustris Regina Mafalda sepulta.
Quam sua concedat: Bonitas, & gratia multa
Regnans Castellæ: induatur more puellæ
Virgo manet munda: fugiens à morte secunda.
Servivit Christo: mundo dum mansit in isto
Omnibus ista satis: exemplum dedit bonitatis.
Prandia concenis: dispergens gratis, & egenis.

Æs dedit, & vestes: cui sunt sua munera testes
Hæc humilis, branda: divitans facta nefanda.
Fulta bonis nituit: crimina nulla luit;
Cunctis discreta: factis, verbisque faceta,
Vera, pudica, pia, docta modesta, scia,
Grandis, munifica: fuit & specialis amica
Patrum Sanctorum: quos cantat gloria morum.
Hæc loca ditavit: quibus hic sumus reparavit;
Et Monachos fixit, cum queis sine crimine vixit.
Est hæc Regina cum Sanctis absque ruina,
Et jam lætatur, quia cœli sede locatur.
Mille ducentorum nonaginta fuit Era
Quinque quando adjunctis cum transit fœmina mera.

Inter Lusitanos veneratione maxima colitur; & Cisterciensis Ordo ad diem secundam Maii ejusdem festum celebrat cum officio communi Virginum. Anno 1617. Domnus Alfonsus Mexia Lamecensis Episcopus jussu Philippi III. Hispaniarum, & Lusitaniæ Regis sepulcrum aperiri fecit, quo Sanctæ Reginæ corpus integrum invenit; quamobrem die 7. Augusti anno 1619. in honestiori loco conditum est. Eruditus quidem Cisterciensis Monachus Fr. Antonius Caldeira Clarissimus Academiæ Liturgicæ Socius miraculorum, ac virtutum tantæ Principis processum collegit, quo Apostolica Sedes ipsam Sanctorum fastis canonisationis ritu adscribat.

§. XII.
De Domno Petro Alfardo, & Joanne Camelo, & Stephano Præcentore.

PRimus ex Lusitaniæ scriptoribus à Regis Alfonsi Henrici constituto imperio floruit Petrus Alfardus. Colimbria ortus ex parentibus piis, ac nobilibus Joanne Alfardo, & Especiosa conjuge. Ad literarum studia cum in Petro indoles appareret, parentes Parisiorum Lutetiam eum miserunt, unde optimis literis instructus in patriam rediit. Domni Joannis Peculiaris, cujus consuetudine Parisiis usus fuerat, ex-

emplo commotus novum Sanctæ Crucis Monasterium cum Tellone Archidiacono ingressus Canonicam Regulam professus est. Non minus literarum scientia, quam virtutibus emicabat: quapropter Monasterii Præpositus fuit electus, dignitas enim erat, qua quis constitutus choro præerat, regebat officium, ac divinum cultum dirigebat: indeque de nova fundatione scriptor à Sancto Theotonio designatus. Librum quidem composuit, qui ex membranis in Monasterii archivo asservatur, de Monasterii fundatione, de testamentis in ejusdem cœnobii gratiam, ac de aliis memoratu dignis: opus quidem ex vetustate sua venerandum. Domnus Nicolaus à Sancta Maria in suo chronico ait Petrum Alfardum fuisse Priorem 4. Monasterii; sed cum Alfardo Petrum alium confudit, Martini cognomine, qui anno 1190. è vivis excessit. Addit quoque Regem Alfonsum de Petri Alfardi ingenio, ac studiis certum illum Regni, ac suorum gestorum instituisse Chronographum, operi quoque laborando adjuncto Joanne Camelo Presbytero Regis facinorum teste in præliis; & post illius obitum ceteros claustrales Sanctæ Crucis Priores. Alfonsi diploma Lusitano idiomate ex Monasterii archivo protulit ipsius Regis voluntatem ostensurus.

Optimum quidem monumentum, nisi falsum posset judicari. Scriptum fertur Era 1183. anno scilicet Domini 1145. & Sanctii Regis Alfonsi filii, ac successoris mentionem facit; qui anno Domini 1154. primam lucem vidit. Quid inter critices Professores clarius, & illustrius, ut diploma illud apocryphis adjudicent? Addit Canonicus scriptor ceteros Priores Monasterii claustrales ex prædicto diplomate Regios Chronographos extitisse usque ad Regis Alfonsi V. ætatem, quo Domnus Joannes Galvanus Monasterii Prior Commendatarius anno circiter 1460. fratri suo Eduardo Galvano munus istud concessit, & Canonicis suis ademit. Concanonico meo in præsentia fidem non habeo, veritatem plus veneror, quam fraternitatem. Ante Eduardum Galvanum Regius Chronographus claruit Ferdinandus Lopes Vir Regni antiquitatibus apprime eruditus, à secretis Infantis, & postea Lu-

ſitaniæ Regis Domni Eduardi; ab ipſomet Chronographus inſtitutus, & ab Alfonſo V. confirmatus die 11. Januarii anno 1449. Alfardi memoria, ſeu vita ex Monaſterii archivo annum 1180. non ſuperat.

Magiſtro Alfardo coævus extitiſſe fertur Joannes Camelus Regis Alfonſi Henrici à ſacello Presbyter: ipſius meminit Domnus Nicolaus à Sancta Maria in dicto regio diplomate, quod ſi authenticum, & verum eſſet, Joannis etiam ſcriptoris vetuſtiſſimi auctoritati plurimum conferret. Fragmenta quædam Geanologica Alfonſi I. tempore exarata, quæ Clariſſimus Vir Gaſparus Alvares Louzada in archivo regio invenit, Camelo adjudicarunt aliqui, nullo tamen monumento enixi, quam illo, quod Domnus Nicolaus Canonicus Chronographus ediderit: alii vero abjudicarunt, quos inter fuit Clericorum Regularium decus non exiguum Domnus Antonius Caetanus de Souſa in Hiſtoria Luſitanorum Regum Genealogica tom. 1. in Apparat. n. 1.

Id temporis quoque floruit Stephanus Olyſſiponenſis Sedis Præcentor, qui miracula S. Vincentii deſcripſit in ejuſdem corporis tranſlatione ad Olyſſiponem perpetrata. Stephanum Sanctæ Crucis Colimbrienſis Canonicum fuiſſe ſcripſerunt alii ex eodem Monaſterio ab Epiſcopo Alvaro Canonico Regulari in Sedem ſuam aſſumptum: verum inter Canonicos noſtros, qui cum Alvaro communem in Monaſterio vitam agebant, & quorum nomina in pervetuſto codice Monaſterii inveniuntur, nulla de Stephano fit mentio. Stephani ſcripta, quæ Luſitanis adverſus Gallos pro S. Vincentii Martyris Oſcenſis arma ſuppeditant, in lucem edidit Fr. Antonius Brandaõ 3. P. Monarchiæ in appendice.

§. XIII.

De Viris Lusitanis, qui extra patriam Episcopi floruerunt sæculo 12. aut in aliis Ecclesiæ dignitatibus constituti.

EA erat Lusitanorum fama Venerabilis Alfonsi tempore, ut exteri domesticis suis non contenti Lusitanos adamarent, eosque ad Ecclesiarum suarum Præsules invitarent. Oxomenses Canonici Magistrum Domnum Menendum Sanctæ Crucis Canonicum Regularem Episcopum elegerunt; qui Colimbria in Ecclesiam suam profectus totus incubuit, ut in Oxomensi Sede Canonicum institutum secundum Augustinianam Regulam instauraret. Illustris quidem, & Canonicorum Regularium Oxomensium, & civium Præsul erat, non tam verbo, quam virtutum exemplo. Ejus memoria permanet in veteri Neucrologio Monasterii Sanctæ Crucis: *Sexto Idus Augusti obiit Magister Domnus Menendus Episcopus Oxomensis Canonicus Sanctæ Crucis Era* 1190.

Menendo coævus extitit Domnus Petrus Seguinus Canonicus Regularis Sanctæ Crucis, quem Auriensis clerus, & populus in suæ Sedis Episcopum elegerunt. In Episcopatu Petrus sublimatus inter Canonicos Aurienses Augustinianam Regulam observari instituit. Domnus Joannes Tamayus Salazar in Martyrologio Hispanico septimo Idus Augusti, & alii non tam Lusitani, quam Hispani tradunt Seguinum acta translationis primæ corporis Sanctæ Eufemiæ idiomate Gallæco scripsisse, à quo didicerunt ceteri scriptores, & Dõnus Alfonsus Auriensis Episcopus Petri successor in lectionibus Breviarii Auriensis.

Cum quædam puella (in actis fertur) *apud Chalcedoniam Gallæciæ municipium vetustissimum pastoritio muneri incumberet cum patris sui grege, dum aliquando supra petram sisteret, inter quædam cacuminis saxa, eductam manum invisit aureo annulo ornatam, cujus fulgore inescata protinus surgens, & ad manum imperterrita*

accedens, annulum aprehendit, sed continuo elinguis evasit. Hujus portenti eventum demirans puella, extemplo in domum paternam accurrit, & patri annulum, & causam deperditæ nutibus, & signis ostendens loquelæ, remedium ab eo lacrymis deposcebat. Pater filiæ periculum considerans, & altius rem, & attentius explorans ad montis apicem cum filia, & annulo contendens, locum sepulcri, & manum intuitus, reverenter accedens, illi annulum restituit, & protinus filiæ loquela restituitur. His sic peractis, & quid ibidem inesset mysterium rusticus evolvens, vox de cœlo personuit: Hic jacet corpus Sanctæ Eufemiæ Virginis, & Martyris, cura igitur statim, ut hincce educatur, & honorifice sepeliatur in Ecclesia Beatæ Marinæ sororis suæ. His ille attonitus vocibus ad vicum suum festinus descendit, Parocho, & accolis omnia, quæ evenerant, patefecit. Tunc omnes ad locum prodigii accurrentes sacra Beatæ Virginis, & Martyris pignora, maximum odorem eructantia, è saxorum ruderibus extraxerunt, & theca lignea inclusa ad Ecclesiam Sanctæ Marinæ transtulerunt.

Post multos annos postmodum à Petro Seguino Episcopo Auriensi magnis precibus, & jejuniis impetrata fuit à Domino translatio Sanctissimi Corporis in suam Ecclesiam Cathedralem Auriensem; siquidem antea multi sæpe conati fuerant illud educere, semper tamen ad pristinum locum revertebatur. Denique cum Bracarenses Corpus Sanctissimum sibi pertinere arbitrarentur, & Aurienses itidem in eodem proposito permanerent, actum, & pactum fuit, quod sacra pignora in curru reponerentur, & solutis bobus, ipsi quo vellent ire. Ita factum, & currus perstitit in itinere urbis Auriensis ad saltum album, ubi Eremitorium fuit constructum; deinde in Ecclesiam Cathedralem perducta à Seguini tempore ibidem requiescunt, & multis miraculis effulgent. Id Seguini opus in membranis scriptum se invenisse testatur Gregorius de Louvarinhas Feijó in archivo cujusdam Ecclesiæ Tudensis, & eadem latinitate bar-

barbara, aut potius Gallæco idiomate edidit Tamajus de Salazar. (*a*)

Seguini operibus etiam adnumeratur Gallæciæ Historia à Servando Auriensi Episcopo Latine scripta, & à Seguino in Gallæcum idioma translata. Hujusce operis meminerunt idem Tamajus in suo Martyrologio, (*b*) Domnus Nicolaus Antonius Bibliot. vet. Hispan. (*c*) Cardossus in suo Agiologio ad diem 4. Maii, (*d*) Egidius Gondisalvus de Avila in Theatro Ecclesiæ Auriensis, & Gandara in Nobiliarchia Gallæca. In veteri Sanctæ Crucis Neucrologio *die septimo Idus Julii* obiisse fertur *Domnus Petrus Seguinus Auriensis Episcopus Canonicus S. Crucis.*

Ovetensis Ecclesia Pastore suo Aria Lusitano gavisa est sæculo undecimo exeunte. Arias ex Monacho Benedictino, & Abbate Monasterii Sancti Joannis de Cauria Ovetensis Episcopus fuit electus anno 1073. Domnus Emmanuel Caetanus de Souza Clericus Regularis in Cathalogo virorum Illustrium Lusitaniæ qui extra patriam Ecclesiarum dignitates obtinuere, scripsit Ariam viginti tres annis rexisse Ecclesiam, inde tanto onere se abdicasse in Monasterii solitudine vitam cum Deo acturum; ibique quatuor elapsis annis in Domino dormiisse, anno scilicet 1100. Fatetur ipse Clarissimus Vir Ariam Fussellensi Concilio apud Sanctam Mariam de *Husillos* subscripsisse; quod equidem ejusdem vitæ in Episcopatu annos, & dies protrahere me cogit, & impellit: cum Episcopus illuc convenisse constet ad annum circiter 1105. ut supra cap. 3. §. 1. satis expositum; de Aria Lusitano scripsit Egidius Gondisalvus de Avila in Ecclesiæ Ovetensis theatro.

Inter ceteras, quæ sub Lusitanis viris Antistitibus suis floruerunt Hispaniarum Ecclesiæ, eminet Tudensis, quæ duodecimo sæculo trium Portugalensium virorum doctrina fuit imbuta. Isidorus ex anno 1158. usque ad 1166. Ecclesiam rexit: Isidoro successit Joannes Roderici, cujus ætas in Episcopatu est in incerto: Joannis in locum suffectus est Bertrandus; de quo in veteri Sanctæ Cru-

(a) *Tom. 4. pag. 413. & 493.*

(b) *Tom. 4. pag. 105.*

(c) *Lib. 6. c. 1. n. 15.*

(d) *Tom. 3. pag. 383.*

cis Neucrologio ſcriptum eſt: *Idibus Aprilis obiit Domnus Bertrandus Epiſcopus Tudenſis Canonicus Sanctæ Crucis Era* 1229. Eoſdem meminerunt Fr. Prudentius de Sandoval Tudenſis Epiſcopus in ſuæ Eccleſiæ Præſulum Syllabo, & Egidius Gondiſalvus de Avila in ejuſdem Eccleſiæ theatro, & Domnus Nicolaus à Sancta Maria in Canonico chronico.

Caurienſis Eccleſia veteris Luſitaniæ civitas, hodie Hiſpaniæ Extrematura, duodecimo ſæculo licet extra Luſitaniæ novæ limites eſſet ſub Hiſpaniarum Rege, Luſitanum, aut Portugalenſem virum Epiſcopum habuit Arnoldum, ſive Arnaldum. Hunc duodecimo vergente ſæculo fuiſſe in quadam manuſcripta hujus S. Crucis Monaſterii hiſtoria legi inter ejuſdem Monaſterii confratres, quos S. Theotonius ſuis adſcripſit. Verum tertio decimo ſæculo in Caurienſi Eccleſia floruiſſe teſtatur Tamajus ad diem 13. Aprilis in Caurienſium Præſulum Syllabo: *Arnoldus hujus nominis II. & Epiſcopus Caurienſis* 19. *fuit Canonicus Conimbricenſis, ejus memoria ad annum* 1252. Egidius Gondiſalvus in ſuo theatro Arnoldi meminit, quamvis Epiſcoporum ſeriem invertens, forte erroris incuria Ferdinandum quemdam hujus nominis I. ad annum uſque 1258. poneret, & Arnoldum in annorum computo ſileret.

Inter viros qui extra patriam Luſitanam maiores Eccleſiæ dignitates tenuerunt quid prætercam Clariſſimum Domnum Alfonſum Venerabilis Regis Alfonſi Henrici filium nothum? Non ne inter Eccleſiæ maiores dignitates numeratur Magiſter magnus Ordinis S. Joannis Jeroſolymitani, qui apud Rhodium inſulam domicilium habuerat? Anno 1194. Magno Magiſtro Gothofredo Duiſon in Magiſterio ſucceſſit Alfonſus. Et Claudius Paradinus ait anno 1195. apud Margatum generale ordinis capitulum convocaſſe, ut prædeceſſorum ſtatuta firmaret, & nova inſtitueret, Magiſterio tamen poſtmodum ſe abdicaſſe, Luſitaniam rediiſſe unde ad bellum ſacrum Jeroſolymi-

tanum exierat strenuissimus miles. Obiit die 1. Martii anno Domini 1197. Scalabi in Ecclesia S. Joannis sepultus est ad sepulchrum hoc inscripto epitaphio.

IN ERA M.CCXXXV KALENDIS MARTII OBIIT F. ALFONSUS MAGISTER HOSPITALIS HIERUSALEM.

Quisquis ades, qui morte cadis, perlege, plora
Sum quod eris, fueram quod es, pro me, precor, ora.

Auctor Chronici Ordinis Melitensis (*a*) Alfonsum istum Regis Alfonsi fuisse legitimum filium opinatus est, ac Magisterio se abdicasse, Lusitaniamque repetiisse, ut parentis mortui regnum hæreditario jure caperet; inde à fratre Sanctio veneno periisse. Fallitur tamen; nam decem elapsis annis à patris obitu, & Sanctii fratris regno ad Magisterium evectus est, & extra Lusitaniam commorabatur. Fr. Antonius Brandaõ (*b*) Alfonsum istum cum Petro Alfonso, de quo ad sæculum undecimum, & cap. 5. §. 1. de Avisiensi Militia, confundit, unum, eundemque existimat: sed annorum, quibus uterque obiit, diversitas diversos etiam exhibet. Petrus Alfonsus Regis Alfonsi frater ex lapide alibi inscripto obiit anno Christi 1175. Alfonsus iste Era 1235. anno Christi 1197. Magistri Alfonsi meminerunt Cardozus in suo Agiologio Lusitano, Abbas de Vertot in Historia Melitensi, & Dominus Antonius Caetanus de Souza in Historia Genealogica Regia. (*c*)

(a) *Funes. Chron. tom. 1. l. 1. c. 16.*

(b) *Monarch. Lusit part. 3. lib. 10. cap. 20.*

(c) *Part. 3. 9. Maii. Tom. 1. l. 3. p. 255. Tom. 1. c. 2.*

Nec tantum iis Ecclesiarum dignitatibus duodecimo sæculo extra patriam efulserunt Lusitani, verum & alia, quæ undecimo sæculo novis radiis in Ecclesia fulgere cœpit, cum præcipuas in Summi Pontificis electione partes haberet in Synodo Romana sub Nicolao II. anno 1059. Cardinalitia igitur dignitate floruit

Domnus Pelagius Galvanus patria Lusitanus Interamnensis Canonicus Regularis Monasterii *da Costa* filius Petri Galvani, cujus memoria erat in ejusdem Monasterii Neucrologio: *Pridie Idus Augusti obiit Petrus Galvanus Pater Pelagii Cardinalis Canonici hujus Monasterii da Costa in Era M.CCXVII.* Anno 1178. in eodem Monasterio Canonicam Magni P. Augustini regulam professus est. Inde studiorum causa Parisios profectus sub Magistro Lothario, postea Romano Pontifice Innocentio III. sacras literas didicit, quibus optime excultus in patriam rediit. Anno 1198. cum Lotharius Papa Innocentii III. nomine eligeretur, Sanctius Lusitaniæ Rex Pelagium Romam misit suo nomine novo Pontifici congratulatum. Pelagii, quem scierat, meritis, ac doctrina commotus Innocentius eum Cardinalium Collegio adscripsit, primum titulo S. Mariæ *in septisolio*, deinde S. Cæciliæ; Episcopus tandem Albanensis creatus est.

Ab Honorio III. illius celeberrimæ expeditionis, qua capta est Damiata Ægypti urbs, legatus factus toti illi prælio, & Christianorum denique desolationi interfuit: exitiali quippe inter ipsum, & Joannem Hierosolymorum Regem orto dissidio urbem illam, quam inter tot discrimina Christiani ceperant, vix anno elapso, perdiderunt; & cuncti rebus infectis Europam reversi sunt. Pelagio, dum in hac erat legatione, Honorius jussit, ut Rupinum Principem Antiochenum Armeniæ Regem coronaret; quod regnum ei jure competeret hæreditario; ejusdem Pontificis nomine, pacta, & conventiones inter Reginam Cypri, & Episcopos, regnique proceres confirmavit; Metropolitam unum, & tres Episcopos Latinos constituit. In Italiam redeunti Honorius per literas mandavit, ut Veronam accederet quo Pontifex, Imperator Fredericus, Hierosolymorum Rex, & alii Principes Christiani conventuri essent pro terræ sanctæ subsidio, quos omnes Imperator statuto tempore non accedens elusit. Sub Gregorio IX. Papa Pelagius cum Gran-

fredo tituli S. Marci legatus in Siciliæ regnum missus Cassini Imperatorem Fredericum adiit, & juramentum ab eo accepit, ut in terræ sanctæ auxilium quantocius transfretaret, quod cum Cæsar non observasset Gregorio Papæ dedit occasionem, ut excommunicaret. Hæc ex Domno Nicolao à S. Maria in Canonico Chronico, & Ciaconio in vita, & rebus gestis Innocentii III.

§. XIV.

De Lusitaniæ Regum filiabus, quæ extra Portugaliam regnarunt.

URraca Venerabilis Regis Alfonsi filia anno 1160. Regi Ferdinando II. Legionis, & Gallæciæ nupsit, à quo postea Summi Pontificis Alexandri III. sententia anno 1171. separatur, quod sanguinis ratione essent conjuncti; nato tamen jam Alfonso, qui Ferdinando patri successit in regno, & genuit Ferdinandum III. qui sanctus est habitus, & sanctorum fastis adscriptus à Summo Pontifice Clemente X. die 25. Februarii anno 1671. Urraca Lusitaniam rediens Colimbriæ obiit, & in S. Crucis Monasterio cum patre sepulta est. Hæc prima nuptiarum fœdera inter Lusitanas Principes, & Hispanos. Ex hoc repudio graves simultates inter socerum Alfonsum, & generum Ferdinandum exortæ sunt. Quapropter Marianna de reb. Hispaniæ lib. 11. cap. 11. ait Urracam à viro fuisse repudiatam, offensione inter ipsos conjuges nata.

Tharasia secunda ipsius Alfonsi filia anno 1185. mense Augusto Philippo Flandriæ Comiti matrimonio locata est; solemni pompa, regio apparatu, & ambitione multa ex Lusitania Flandriam proficiscitur. Apud Flandros Tharasiæ nomen in Mathildem invertit ex quodam privilegii monumento à Philippo Comite Orchiensibus concesso: *Ego Philippus Flandriæ Comes, & Viromandiæ notum fieri volo ... hoc autem factum assensu illustris consortis meæ Mathildis Reginæ, ad cujus dotalium prædicta vil-*

la pertinere noscebatur... Signum Mathildis Reginæ inclytæ consortis meæ... Actum Duaci anno 1188. Flandri eam maxime venerabantur tam propter regium stema, quam propter magnam prudentiam, & animi fortitudinem, qua ipsos gubernavit, dum maritus Philippus cum Regibus Franciæ, & Angliæ versus mare Syriaci belli causa transfretasset. In obsidione civitatis, quæ dicitur Achra, quam Saraceni valde munierant, & servabant, multoque tempore propugnabant, Philippus post clare gesta erga indigentes, ac milites, qui stipendia sua pestilentia grassante consumpserant, eodem contagio obiit 3. mense transfretationis suæ anno 1191. Kal. Julii, sepultus in Basilica S. Nicolai extra murum Achræ, sed postea per diligentiam uxoris suæ Mathildis, quam codex manuscriptus Monasterii Clari-marisci vocat *Reginam Portus æqualis*, Claram-vallem translatus est, & reconditus honorifice in sarcophago intra capellam, quam illa ipsi, & sibi paraverat.

Mortuo Philippo omnium nobilissimo, qui fuerant ante ipsum in Flandria, regnum in tres partes scisum est. Tertiam partem Insulam scilicet, Duacum, & plures villas hinc inde jacentes Cassetum, Watesses, Bergas, Burbugum, totamque maritimam regionem habuit Mathildis, cui Comes ipse propter nuptias donaverat. Dominabatur fœmina divitiis, & honoribus affluens, potentia, & prudentia insignis, clericos honorabat, monachos amplectebatur, pauperes defendebat, religiosorum causas, etiam contra suos quandoque Barones, & milites tuebatur. Enim vero tribus elapsis annis à Philippi mariti obitu, ad secundas nuptias cum Odone III. Burgundiæ Duce anno 1194. convolavit; ast sequenti anno propter sanguinis necessitudinem, qua in gradibus prohibitis juncti erant, Romani Pontificis Cælestini III. sententia separantur. Matrimonio dissoluto, multos annos piissima fœmina in virtutis operibus transegit, donec infelici exitu mortua est prope Furnas anno 1218. Dum per viam palustrem iret,

lapso, quo vehebatur, curru aquis sufocatur, illumque locum foramen Reginæ appellarunt.

Ejus morte audita, confunditur, & turbatur patria, dolor, & timor occupat universos maxime Clerum, & populum. Joannes Iperius in Chronico S. Bertini ait: *Eodem anno* (1218.) *piæ memoriæ Domina Mathildis Regina relicta Comitis Flandriæ Philippi in Furnis obiit, & apud Claram-vallem delata juxta maritum sepelitur, pro cujus anima magna pecuniæ summa à Domino Adam Morinorum Episcopo ejus testamenti executore per Ecclesias, per egenos, & pauperes est liberaliter distributa.* Primum tamen in Dunensi Monasterio sepulta est, ac inde in Claram-vallem delata. Quamvis Comiti nupta Regina appellabatur pro ceterarum Regum filiarum id temporis per Hispanias præsertim, unde orta erat, consuetudine. Clarissimæ fœminæ memoria fit in Thesauro novo Anecdotorum studio, & opere eruditissimorum Edmundi Martene, & Ursini Durand Ordinis S. Benedicti Congregationis S. Mauri, (*a*) & à nostris etiam scriptoribus Lusitanis laudatur.

(a) *Tom.* 3. *pag.* 391 *&* 677.

Ex Sanctio I. Rege prodierunt Reginæ Tharasia, Mafalda, & Berengaria, quæ Regibus exteris datæ sunt in matrimonium. De Tharasia, & Mafalda propter insignem sanctitatem, qua efulserunt, & coluntur, singulatim, & diffusius egi: nunc de Berengaria, quæ nupsit Valdemaro II. Daniæ Regi. Scriptores omnes veteres Lusitani Berengariæ matrimonium silentio prætermittunt: ignorantes potius, quam omittentes dicerem; ferunt eam sorore Tharasia à pueritia cælibem duxisse vitam in Monasterio Laurbaniensi, & post mortem cum patre Sanctio in S. Crucis Monasterio fuisse sepultam; sed Clarissimus Vir Antonius de Souza de Macedo in libro quem edidit Londini anno 1643. *Genealogia Regum Lusitaniæ* ait: *In Joanne Isaco Pontano legitur Berengeliam filiam Sanctii I. Regis Lusitaniæ fuisse uxorem Valdemari II. Regis. Daniæ Reges ex illis non procedunt.* (*b*) Le Quien de

(b) Tom. 1. lib. 1. pag. 1..2.

la Neufville Pontano consensit Valdemarum II. Daniæ Regem tertias nuptias contraxisse cum Berengaria Sanctii I. Lusitaniæ Regis filia. Eam quoque ait tantæ fuisse fortitudinis, & amoris erga conjugem suum, ut ipsum in prælium proficiscentem sequeretur, quamobrem sagittæ ictu cæsa obiit anno 1220. Ejus corpus balsamo delibutum Lusitaniam defertur, & in S. Crucis Monasterio cum Sanctio patre sepelitur, necnon cum Blanca Guadalaiaræ domina, quæ in Castella obiit, & ossa ad idem Monasterium translata sunt. Berengariæ nuptias cum Valdemaro scripserunt ex recentioribus Lusitaniæ scriptoribus D. Antonius Caetanus de Souza, & D. Josephus Barboza Clericorum Regularium sydera fulgentissima. (*a*)

(a) *Historia Genealog. tom. 1. cap. 11. Catal. Regin. Lusit.*

§. XV.

De Joaso, & Giraldo Regibus Saracenis virtute illustribus.

Giraldus Rex Ciæ, & Joas Rex quoque, cujus tamen regni nescitur, à Venerabili Rege Alfonso devicti, & Colimbriam adducti S. Theotonii curæ commissi sunt, qui catholica fide eos instrueret. S. Prioris doctrina, & exemplo instructi sacro lavacro, quod ardenter desiderarunt, & petierunt, regenerati sunt Christo; & quidquid regium in sæculo habuerant, fervidi Christiani renunciarunt. Adeo in Christiana perfectione proficiebant, ut sæculum omnino relinquere intenderent. Religionis habitu in Monasterio induuntur. Joas ad Sacerdotium ex suis meritis evectus est, Giraldus vero ex humilitate ad eam dignitatem evehi indignum se reputans in conversorum numerum fuit adscriptus. Quæ Giraldi erga Beatissimam Virginem cordis devotio! Quæ etiam Sanctissimæ Dominæ erga Giraldum in sui amoris compensationem munificentia! Fertur non semel ei apparuisse, & ejus mortem ad diem 15. Augusti, quà ad cœlos assumpta est, futuram promisisse, quod eventu comprobatum est. Uterque

que in Monasterio sepeliuntur; & utriusque memoria inter nostrûm antiquitates perennat.

§. XVI.
De Sanctis Viris, qui in Maurorum persecutione Martyres occubuerunt.

MAurorum persecutionem in Christianos per Lusitaniam longe, lateque sæculo duodecimo exeunte excitatam posterorum memoriæ tradidit Auctor ille vetusti Erarum libri, quem Nonæ omnes appellare consueverunt. *In* Era (inquit) 1228. *septimo Idus Januarii venit Miramolim de Marochis cum ingenti exercitu, & obsedit Monasterium istud* (Sanctæ Crucis) *& delevit quantum, extra civitatem invenit; exiensque usque in Ulmar multos captivavit de servis Domini, & interfecit ibi magna crudelitate Præpositum Domnum Joannem toto conatu fidem prædicantem, & ceteros Canonicos ibidem commorantes gladio transverberavit* 6. *Idus Januarii.* In ejusdem Monasterii Neucrologio legitur: *Sexto Idus Januarii obiit Domnus Joannes Martyr Canonicus Sanctæ Crucis, & commemoratio ceterorum Canonicorum; qui cum illo interfecti sunt in Ulmar Era* 1228. Joannis in martyrio socii fuerunt Dominicus, & Egidius. Inter plurimos Christianos, quos Miramolinus captos secum adduxit, Canonici quidam erant ejusdem Monasterii, quorum memoria in citato Neucrologio permansit: *Duodecimo Kalendas Martii obiit Martinus Petri Frater Sancti Petri Canonici Sanctæ Crucis, qui mortuus est apud Marrochios, & alii multi, qui cum eo interfecti sunt à Saracenis. Decimo octavo Kalendas Septembris obiit Nicolaus Joannes Frater Sancti Alfonsi Canonici Sanctæ Crucis, qui mortuus est in terra Saracenorum, & alii, qui cum eo interfecti sunt Sancti.*

Inter Christi Martyres, qui pro fide contra hostes obierunt, numerantur Eques nobilis Coloniensis, & socii mi-

lites in Olyſſiponis recuperatione cæſi. Venerabilis Rex Alfonſus, ut jam vidimus cap. I. §. I. ex veteri Indiculo non hæſitavit eos Martyrum honoribus dignis proſequi, & ſanctis viris fore ſociandos. Henrici ſanctitas tot miraculis fuit ſtabilita, quæ in §. de Monaſterio S. Vincentii ex eodem Indiculo exſcripſi. Jacebant iſti in Oſſario quodam veteris Eccleſiæ intra ſacellum S. Antidii, cujus imaginem in altari Piiſſimus Rex Alfonſus juſſit in populorum venerationem collocari. In veteri miſſali gothicis literis exarato ejuſdem Monaſterii ſic notatur: *Sexto Idus Novembris feſtum Martyrum Henrici, & ſociorum, quorum reliquiæ ſunt in Monaſterio S. Vincentii.* Miſſa erat de communi Martyrum, & Oratio hæc propria: *Propitiare Domine nobis famulis tuis per horum Sanctorum tuorum, quorum reliquiæ in præſenti requieſcunt Eccleſia, merita glorioſa, ut eorum pia interceſſione ab omnibus ſemper protegamur adverſis; per Dominum noſtrum, &c.* Nunc à reſtaurata Eccleſia Equitis Henrici oſſa in S. Antonii ſacello ad parietem aſſervantur vernacula inſcriptione in latinam ita translata.

OSSA EQUITIS HENRICI ALEMANI, QUI OBIIT IN RECUPERATIONE CIVITATIS OLYSSIPONENSIS A' MAURIS; IN CUJUS SEPULCRO PALMA GERMINAVIT, HUJUS FOLIA PLURIMI DEGUSTABANT INFIRMI, ET SANABANTUR: IN HUJUS MONASTERII SANCTUARIO ASSERVATUR.

Sociorum vero militum oſſa cuſtodiuntur ſub choro poſt maiorem capellam, ubi eſt quædam ſpecies catacumbæ. Non tantum Canonici ordinis ſcriptores tam illuſtrium virorum meminerunt, verum & alii: Bollandiani ad diem 25. Junii in vita S. Antidii; & Vaſconcellos in Luſitaniæ deſcriptione; ubi etiam de iis ſcripſit, qui in Eccleſia Olyſſiponenſi S. Mariæ de Martyribus pie, ac religioſe colebantur.

§. XVII.
De Petro Alfonso Hebræo Lusitano.

Petrus Alfonsi, Moyses antea nominatus patria Lusitanus Judaismum profitebatur; anno Christi 1106. Era 1144. mense Julio Oscæ, quo profectus fuerat, in die Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, erroribus abjuratis, sacro baptismate ablutus est, quamobrem Petri nomen accepit, & ab Alfonso VI. Hispaniarum Rege ad baptismi fontem susceptus, & oblatus ejusdem nomen in cognomen accepit. Conversus ad Christi fidem floruit circa annum 1110. peritus quidem in divinis, & humanis literis. Scripsit sub nomine Petri, & Moysis Dialogum adversus Judæos, quæ duo erant ipsius tum Judæi, tum Christiani nomina: scripsit etiam opusculum inscriptum: *Clericalis disciplina* MS. in Bibliotheca regia Galliarum. Incipit: *Dixit Petrus Alfonsus servus Christi Jesus compositor hujus, gratias ago Deo, qui primus est sine principio.* Denique scripsit Logicam, quæ MS. extat in Bibliotheca Galliarum regia Cod. 6279. in 4. Incipit: *Dialectica est ars artium, scientia scientiarum, ad omnia habituum principia viam habens.* Hanc Alfonsi Dialecticam in linguam græcam transtulit Georgius ille Scholarius, sive Gennadius Patriarcha Constantinopolitanus, cujus ita translatæ excerpta profert Petrus Lambecius lib. 8. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis. De Petro Alfonso loquuntur Labeus, & Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiasticis, Antonius Possevinus in apparatu sacro tom. 2. Natalis Alexander sæculo 12. & Casimirus Oudinus de Scriptoribus Ecclesiæ tom. 2. sæculo 12. ad annum 1110.

Plurimi quidem erant Petri Alfonsi tempore per Lusitaniam, & ceteras Hispaniarum provincias Judaismi professores, multæ synagogæ, & scholæ, quarum unam florentissimam Colimbriæ extitisse prope locum, quo Sanctæ Crucis Monasterium situm est, supra jam diximus. Ibi Judæo-

rum fons celeberrimus lotionibus suis aquam destinatam adferens; ibi cœmeterium ritu suo cadaveribus humandis aptum; quæ omnia ex vetusto manuscripto Monasterii didici, & exscribo. Quid Gregorius IX. anno 1236. ad Asturicensem, & Lucensem Episcopos literas dedit Sanctium II. Portugaliæ Regem inducerent, ne in officiis publicis Judæos Christianis præficerent, nisi quod veteris legis professores per Lusitaniam perseverarent Hebræi? nisi quod ad Christianam fidem nondum essent conversi? Sanctii II. tempore publica officia obire cœperunt, ast non Alfonsi Henrici, & Sanctii I. tempore, quo licet opulentis facultatibus, & possessionibus fungerentur, Christianis præesse non permittebantur.

Judæorum Hispanienses hoc sæculo Academias meminit Basnagius in historia Judæorum. Moysen Maimoniden Cordubæ natum anno 1133. è patre, ut quidem ipse jactitabat, Davidici generis, Magistrum, & Doctorem suum maximum id temporis venerabantur omnes, qui per universas Hispanias diffusi erant Judæi: eadem observantia iis erat erga Josephum Kimchi etiam gentilem suum Hispanum iniquissimum Christianorum adversarium. Miraculum sane erat tanta Maurorum, & Judæorum colluvie Christianos non offendi, non fœdari, & ex tot translationibus sacrorum Bibliorum ex Hebræa lingua in Arabicam hoc sæculo à Judæis Cordubæ per universas Hispanias, ut ait Genebrardus in chronico, dispersis Christianam religionem non perturbari.

§. XVIII.
De Tribus Insignibus Eremitis Petro, Titione, ac Suario.

PRope fluvium *Arde* sæculo duodecimo adulto anno 1142 in solitudine degebant tres illustres Lusitaniæ viri Petrus Comitis Alfonsi filius, Petrus Titionis, & Suarius; quorum austeritate, ac pietate commotus Alfonsus Rex de iis curam suscepit, & Trutesindo Ecclesiolæ Monasterii Priori com-

misit, ut ipsis indigentibus necessaria quæque suppeditaret, & donationem istam firmavit : *Trium Monachorum Petri scilicet Comitis Alfonsi filii, Petri quoque Titionis, & Suarii, qui vivit in solitudine, quæ est in ripa fluminis Arde commorantium curam agendo devote suscipio, illorumque temporalium necessitati obviare delibero, necessitudine, vel oblivione coacta postponat, salubriori usus consilio Monasterio S. Salvatoris de Ecclesiola de hæreditate mea testamentum facio prædictos Dei pauperes Tibi Trutesindo ejusdem loci Priori, tuisque sociis cum summa animi benevolentia commendo, quatenus de lucris hæreditatis redditus vestro Monasterio victum, & vestimentum competenter habeant, & post eorum obitum eadem hæreditas in vestri Monasterii jure perpetim testata maneat.* Illustrium virorum memoria, ac strictior vivendi methodus, ab omni sæculi fastu aliena in Eccleliolæ archivo permanet, unde exscripsi. Egregium quoque monumentum istud circa Comites id temporis in Lusitania.

CAP. IX.

De Sedis Apostolicæ Legatis in Lusitaniam.

RIchardus Sãctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Episcopus Albanus ad annum circiter 1104. à Paschali II. in omnes Hispaniarum provincias legationem suscepit, Fussellensi Concilio prope Palentiam cum Giraldo Bracarensi interfuit, & præfuit. Ab Hispaniis discedens ab eodem Paschali in Germaniam legatus mittitur, ubi anno 1106. omnium Germaniæ procerum maximo conventui Moguntino adfuit. Gallicanam quoque legationem obiit causa Philippi Francorum Regis, qui Bertradæ consuetudinem in Concilio Neumasensi dimissam repetierat.

Ad annum circiter 1110. Bernardus ex S. Facundi Abbate Archiepiscopus Toletanus à Paschali II. in Hispaniis legatus constituitur, ut constat ex Concilio Carrionensi anno

1110. exeunte, ex Legionensi anno 1114. Mauricium Bracarensem ab officio suspendit, ut suo loco dictum est. Instituendi per Hispanias legati Bernardi Toletani causa apud Paschalem II. fortasse esset Carnotensis Ivo, qui apud Paschalem intercesserat ne legatos è latere Romanos mitteret in Gallias, sed potius alicui Episcopo Transalpino legationem committeret, quod Ecclesiæ Gallicanæ rebus opportunius foret: quod ad Gallorum exemplum Paschalis ipse erga Hispanos constitueret: Callisti II. tempore ab ipso per literas anno 1122. in Hispaniis legationem habuit, exceptis Bracarensi, & Emeritana provinciis.

Boso Cardinalis tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum à Gelasio II. Romano Pontifice legatus in Hispanias venit, cum Archiepiscopo Toletano, Cæsar-augustano Episcopo, aliisque Hispaniensibus Præsulibus indulgentias promulgavit iis, qui Cæsar-augustanæ Ecclesiæ auxilium, aut eleemosynas impenderent: id constat ex Epistola, quam Hieronymus Blanca ex Tabulario Cæsar-augustano edidit.

Guido de Vicos ab Innocentio II. Diaconus Cardinalis creatus ab eodem Innocentio in Hispanias legatus mittitur, anno 1136. Concilio Burgensi præsedit, in quo plura circa divina officia statuit, ac deliberavit ad conciliandos animos Regum Navarræ, Aragoniæque, invicem præliantium: anno 1137. fecit Guido, ut Alfonsus Henricus Lusitaniæ Rex cum Alfonso Hispaniarum Imperatore mutuum inirent colloquium. Mortuo Innocentio, ejus successoris Cælestini II. legatus permansit, ut constat ex ejusdem Cælestini Epistola ad Toletanum Archiepiscopum. Anno 1144. Colimbriam veniens Synodo Colimbriensi interfuit, de qua dictum est. Ejusdem Guidonis mentio extat in Epistola Venerabilis Regis Alfonsi ad Lucium II. Pontificem Romanum.

Hyacinthus S. Romanæ Ecclesiæ Diaconus Cardinalis tituli S. Mariæ in Cosmedin sub diversis Pontificibus Romanis legatione Hispanica functus est. Anno Domini 1153. ab Anastasio IV. missus Colimbriam venit, & in Sanctæ

Crucis Monasterio honore debito susceptus est, ut constat ex veteri Ordinario ejusdem Monasterii à Sancti Theotonii tempore, in quo legatorum in Ecclesia suscipiendorum ritus præscribitur. Anastasio è vivis sublato, Adriani IV. successoris auctoritate fretus permansit. Romam inde profectus ab Alexandro III. iterum mittitur, Olyssipone fuit anno 1173. Ex Epistola Alexandri III. ad Zamorensem Episcopum numero 29. in Collectione Aguirri fit certum Hyacinthum Concilium quoddam in Hispaniis adunasse, anno tamen, & loco incerto. Annis sexaginta quinque in Ordine Eminentissimo transactis, jam annum ætatis agens octogesimum quintum electus est universæ Ecclesiæ Pastor, & Cælestinus III. appellatus.

Odo Italus Brixiensis post legationem, quam ad Longobardos Adriani IV. nomine gesserat, ab Alexandro III. legatus ad Hispanias venit, ejusdem Alexandri partes contra schismaticos egregie tuitus est, ipsum Pontificalibus vestibus indutum primus contra Victorem IV. acclamavit Papam. Ab Eugenio III. Diaconus Cardinalis S. Georgii in Vellabro creatus fuerat; ejus frequens in Ecclesiæ annalibus sæculi 12. mentio extat.

Albertus Sartorii de Mora ex Ordine Cisterciensi ab Adrianno IV. Cardinalis creatus, S. R. E. Cancellarius ab Alexandro III. renuntiatus, ejusque legationibus in Anglia, & Lusitania functus est, vir doctrina, & facundia pollens, ut testatur Guido Claravallensis in lib. de Viris Illustribus sui Ordinis, tandem Romanus Pontifex Gregorius VIII. Alberti legationis Lusitanæ mentionem fecit Natalis Alexander Histor. Ecclesiast. sæculi 12. cap. 2. art. 8.

Guillelmus Gallus Theobaldi Magni Campaniæ, & Blesensium Comitis filius, Carnotensis primum Episcopus, deinde Senonensis, ac demum Remensis Archipræsul, Presbyter Cardinalis tituli S. Sabinæ Sedis Apostolicæ legationibus ornatus in Germania, Anglia, & Gallia; deinde in Hispanniis à Clemente III. Romano Pontifice. Anno 1195. Cælestini III. jussu Salmanticæ præsedit Concilio ex Epis-

copis Legionensibus, & Lusitanis; & in eo post accuratum examen irritum declaratum est matrimonium inter Alfonsum IX. & Tharasiam Lusitanam Reges Legionenses.

Cælestinus III. ad summum Pontificatum post Clementis III. obitum evectus Magistrum Michaelem tunc Romanæ Ecclesiæ notarium ad Lusitaniam destinavit datis literis ad Sanctium I. Lusitaniæ Regem, ut annuum censum Romanæ Ecclesiæ persolveret.

Post Michaelem Gregorius Cardinalis Diaconus S. Angeli in Piscina legationem obiit Cælestini III. per universas Hispanias. Innocentius III. in Epistola 10. apud Eminentissimum Aguirre tom. 5. Conciliorum Hispaniæ Legati Apostolici Gregorii meminit, ejus quoque memoria extat in Ecclesiolæ archivo circa limites exemptionis.

Miror Eduardum Nonium Leonis in Regum Lusitaniæ chronico de Rege Alfonso Henrico scripsisse Cardinales id temporis ad eam amplitudinem nondum fuisse promotos, ut Sedis Apostolicæ legationes obirent. Callisto II. Pontifice, id est anno circiter 1120. ingens illa contentio inter Imperatores, & Pontifices, quæ quinquaginta propemodum annis totam Ecclesiam continenter turbaverat, tandem trium Cardinalium Legatorum egregia opera plane sublata est, & quidem cum magna Ecclesiæ dignitate. Quamplurimas alias id temporis contra Eduardum Cardinalium legationes prætermitto, & S. Bernardi judicium lib. 4. de Consideratione cap. 4. ad Eugenium III. pro isto Cardinalium munere exscribo. *Veniamus*, inquit, *ad Colaterales, & Coadjutores tuos* (Cardinales) .... *qui legatione pro Christo fungi, nec jussi renuant, nec non jussi affectent. Qui quod verecunde excusant, obstinatius non recusent. Qui missi post aurem non eant, sed Christum sequantur. Qui quæstum legationem non æstiment, nec requirent datum, sed fructum.*

Nondum tamen sæculo duodecimo Hispaniarum provinciæ divisæ erant; ut ad Lusitaniam unum, & ad ceteras alterum Legatum mitteret Romanus Pontifex, sicut ætate no-

stra

ſtra obſervat; ſed unus tantum in omnes Hiſpanias proficiſcebatur Apoſtolica auctoritate fretus, ut de ſingulis, & omnibus earum Eccleſiarum negotiis provideret. Tanta erat eorum auctoritas ut Epiſcopos ad concilia vocarent, non accedentes aliquando ſuſpenderent; ceteris præeſſent, arguerent, damnarent; novos etiam conſecrarent, & firmarent, Principis tamen conſenſus deſiderabatur, cum ſpirituali Eccleſiarum regimini multum interſit Principes cum Eccleſiæ Præſulibus mutua concordia foveri, & vinciri: & Alfonſo Henrico, ceteriſque Hiſpaniarum Regibus, ac Luſitanis jus iſtud proficiſcatur à triumphis in Saracenos deportatis, atque ita quaſi conditis de novo, fundatiſque à ſe, & mox magnifice dotatis Eccleſiis.

Vidiſtis, Academiæ Auditores optimi, & religioſiſſimi, vidiſtis Luſitanam Eccleſiam ſæculo duodecimo florentem, & veluti ex tenebris, quibus inter Maurorum barbariem latuerat, ſuſcitatam: vidiſtis Luſitanum imperium à Potentiſſimo Rege Alfonſo Henrico ſundatum, & ſtabilitum. Quid univerſa Eccleſia debet Conſtantino, quod Luſitana de Alfonſo non bene mereatur? Piiſſimi Imperatoris munificentiam poſt redditam Eccleſiæ pacem laudavit Euſebius Cæſarienſis lib. 10. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 3. „Poſt hæc votivum nobis, ac deſideratum ſpe„ctaculum præbebatur, dedicationum ſcilicet feſtivitas „per ſingulas urbes, & oratoriorum recens extructorum „conſecrationes.... Jam Antiſtitum abſolutiſſimæ cæremo„niæ, & accurata Sacrificia Sacerdotum, & divini qui„dam, auguſtique Eccleſiæ ritus: hinc pſalmos canentium, „& reliquas nobis divinitus traditas voces auſcultantium„. Nonne erat Alfonſi ætate hæc Luſitanæ Eccleſiæ facies, ornatus, pulchritudo? Ultra centum, & quinquaginta, quas Alfonſus extruxit, Eccleſiæ non erant Chriſtianorum Conventus? Non erant ibi auguſti Eccleſiæ ritus? abſolutæ Sacrorum Præſulum cæremoniæ? Presbyterorum Sacrificia, & mutua populorum charitas? non audiebanOo

tur psalmos canentium voces in tot Monasteriis, quæ erexit? Divina, & arcana non agebantur mysteria? Restaurata est ab Alfonso Lusitana Ecclesia quinquaginta septem annis, quibus regnavit, in semine suo crevit à mari usque ad mare, ut si per Deum potuerim, sæculis suis demirabimur, & in novissimo suorum posterorum Josepho, quem nuper in lucem prodire gaudentes vidimus, & Deus sospitet, in dies crescet, diffundetur, germinabit à mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos orbis terrarum. Nunc Dissertationes ad eandem Historiam adtinentes vobis propono, ut difficiliora quædam clariori indagine dignoscantur.

DISSERTATIO. I.

Utrum ad sæculum usque duodecimum de Status Religiosi essentia votum esset paupertatis?

PRropter Piissimæ Reginæ Mafaldæ testamentum, quo à patre Sanctio sibi data, aut legata in pias causas reliquerat, opus quidem judico id longiori methodo inquirere. Provincia sane peragratu difficillima; si tot sæculorum eventus percurram, & scriptores legam, qui aliquando in ancipti me versarunt, ut quo declinarem, incertus fuerim. Religiosæ conditionis originem non exponam; in præsentia per me sit in lege naturæ adumbrata, in lege Moysis magis expressa, Apostolorum autem tempore perfecta. Audiendi non sint Magdeburgenses Centuria 4. cap. 6. sæculo 4. incepisse, partim casu, partim errore, partim prava imitatione. Despicatui habeantur liberrimi homines, qui viam omnibus vitiis aperuerunt, virtutibus autem præcluserunt. Apostolorum sufficiat exemplum, qui ex Actis eorundem cap. 4. eam vitam instituerunt, ubi essent omnia communia, & distribuebantur prout unicuique opus erat. Vivendi ne hæc norma omnium fuit Christianorum? Minimè profecto: sed eorum tantum, qui

perfectius vivere conabantur : ex Actorum cap. 5. cum Ananias fraudasset de pretio agri, & Apostolos decipere vellet, Petrus objurgavit : *Nonne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat potestate* ? ac si Christianam Religionem posset amplecti, quin sua dimitteret. De Apostolis ipsis ait Magnus Parens Augustinus lib. 17. de Civitate Dei cap. 4. *Dixerant enim potentes illi* (Apostoli) *Ecce nos dimisimus omnia, & sequuti sumus te : hoc votum potentissimi voverant.*

En in Evangelii exordio perfectissima Religiosi status conditionem, ut primi propagatores apud Matthæum cap. 10. ex Magistri sui præcepto neque aurum possiderent, neque argentum, neque pecuniam in zonis suis, neque peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam ; superflua omnia abhorrebant. Quis igitur nisi sui valdè impos, tamquam noxium impugnavit, quod Christus præcepit ; quod Christo nos jungit, quod Christum glorificat ? Ait Magnus Gregorius Homil. 8. 2. par. super Ezechiel : *Cum quis suum aliquid Deo vovet, & aliquid non vovet, sacrificium est ; cum verò omne quod habet, omne quod vivit, omne quod sapit Omnipotenti Deo vovit holocaustum est.* Holocaustum dixit ; dignissimum scilicet sacrificium, quo Deus maximè propitius reddebatur ; perfectissimum opus paupertas, quæ libere sumitur. Eo igitur insaniæ inciderunt quotquot obtenderunt paupertatem hancce non solum perfectionis alicujus notam non addere, imo & esse saluti spirituali adversam, Christi præceptis, & exemplo contrariam, cujus erroris semina Jovinianus Romæ projecit, & ejus sectator Vigilantius disperfit apud Hieronymum adversus eundem : *Asseris eos melius facere qui utuntur rebus suis, & paulatim fructus possessionum suarum pauperibus dividunt, quam illos, qui possessionibus venundatis, semel omnia largiuntur.* Inde per impiorum successionem transfusus error devenit in Willelmum de Sancto Amore insignem ordinum Mendicantium hostem, omissis Luthero,

Calvino, Melanctone, & aliis: quorum versutias ad debellationem usque impugnarunt calamo, & exemplo Patres, ac Religiosissimi viri, aut fœminæ, quæ sæculi illecebris derelictis, Deo secum omnia sua tradiderunt.

Quotquot igitur Religiosæ perfectionis viam sunt ingressi omni tempore Christi consilium ob oculos habuerunt Matthæi 19. *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & sequere me*; ad Religionis substantiam id semper adtinuit; numquam Religiosus in Monasterio floruit, qui tribus votis obedientia, nimirum, castitate, & paupertate non esset obstrictus. Quapropter Innocentius III. ad Abbatem, & Conventum Sublacensem in cap. cum ad Monasterium 6. de statu Monachorum in fine concludit: „Nec æstimet Abbas quod super habenda proprietate possit cum aliquo „Monacho dispensare; quia abdicatio proprietatis, sicut „& custodia castitatis adeo est annexa regulæ monachali, „ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam „indulgere„. Audiatur etiam Angelicus scholarum Præceptor Divus Thomas in 2. 2. quæst. 186. art. 7. „Religionis status potest considerari tripliciter: uno modo „secundum qnod est exercitium tendendi in perfectionem „charitatis: alio modo secundum quod quietat animum „humanum ab exterioribus solicitudinibus: secundum illud primæ ad Corinthios 7. volo vos sine solicitudine „esse: tertio modo, secundum quod est quoddam holocaustum per quod aliquis totaliter se, & sua offert Deo. „Et secundum hoc ex tribus his votis integratur Religionis status. Primo enim quantum ad exercitium perfectionis requiritur, quod aliquis à se removeat illa per „quæ totaliter posset impediri, ne totaliter ejus affectus „tendat in Deum, in quo consistit perfectio charitatis. „Hujusmodi autem sunt tria. Primum quidem cupiditas „exteriorum bonorum, quæ tollitur per votum paupertatis: secundum autem est concupiscentia sensibilium „delectationum, inter quas præcellunt delectationes ve-

„nereæ, quæ excluduntur per votum continentiæ: tertium „autem est inordinatio voluntatis humanæ, quæ exclu„ditur per votum obedientiæ. Similiter autem solicitudi„nis sæcularis inquietudo præcipue ingeritur homini circa „tria. Primo quidem circa dispensationem exteriorum re„rum, & hæc solicitudo per votum paupertatis homini „aufertur. Secundo circa gubernationem uxoris, & filio„rum, quæ amputatur per votum continentiæ: tertio cir„ca dispensationem propriorum actuum, quæ amputatur „per votum obedientiæ, quo aliquis se alterius dispo„sitioni committit &c„. Scripsit equidem Innocentius anno 1213. floruit Divus Thomas ad ejusdem sæculi medium, sed nil novi enuntiarunt, quod ante duodecimum in Monachorum non esset observantia. Anteriora igitur tempora inquiramus, & primò ex Regulis, quas profitebantur: secundò ex Patrum auctoritatibus, ac exemplis.

Ex Regularum professione.

EX vita Posthumii cap. 7. lib. 1. de vitis Patrum Macarius Alexandrinus a Magistro suo Antonio Monachorum fere quinque millia suscepit gubernanda. Quæ inter ipsos rerum inopia? „Qui susceptus fuerit, non „solum de substantia quam intulit, sed etiam nec de se „ipso ab illa judicabit hora. Nam si aliquid prius eroga„vit pauperibus, aut veniens in cellulam aliquid intulit „fratribus, ipsi tamen non est licitum, ut aliquid habeat „in sua potestate„. Ita in cap. 24. Macarii regulæ apud Lucam Holstenium tom. 1. Tanta erat eorum paupertas, ut Hieronymus ad Eustochium in Epistola 22. referret quod non ante plures annos Nitriæ inter ipsos gestum fuerat: „Quidam ex fratribus parcior magis, quam avarior, & „nesciens triginta argenteis Dominum venditum, centum „solidos, quos lina texendo adquisierat, moriens dere„liquit: initum est inter Monachos consilium (nam in „eodem loco circiter quinque millia divisis cellulis ha-

„ bitabant) quid facto opus esset, alii pauperibus distri-
„ buendos esse dicebant, alii dandos Ecclesiæ, nonnulli
„ parentibus remittendos. Macarius verò, & Pambo, &
„ Isidorus, & ceteri, quos patres vocant, Sancto in eis
„ loquente Spiritu, decreverunt fodiendos esse cum eo-
„ dem dicentes : Pecunia tua tecum sit in perditionem.
„ Nec hoc crudeliter quisquam putet factum : tantus cun-
„ ctos per totam Ægyptum terror invasit, ut unum soli-
„ dum dimisisse sit criminis„.

Ex Regula S. Basilii in responsione ad interrogationem 29. „ Siquis proprium sibi esse dicit aliquid, sine du-
„ bio alienum se facit ab electis Dei, & a charitate Do-
„ mini; qui docuit verbo, & opere complevit, & animam
„ suam posuit pro amicis suis. Si ergo ipse animam suam
„ pro amicis dedit, quomodo nos etiam ea, quæ extra
„ animam sunt, propria vindicamus?

Idem præscripsit Magnus Parens Augustinus in Regula:
„ Ne dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia com-
„ munia.... *& infra* Cum quis suis filiis, aut aliqua nece-
„ ssitudine ad se pertinentibus in Monasterio constitutis
„ aliquam contulerit vestem, sive quodlibet aliud inter
„ necessaria deputandum, non occulte accipiatur, sed sit in
„ potestate præpositi, ut in rem communem redactum, cui
„ necesse fuerit præbeatur. Quod si aliquis rem sibi col-
„ latam celaverit, furti judicio comdemnetur. Ipsemet Sanctus Parens hanc sui Monasterii legem refert sermone 355. alias de Diversis 49. „ Volui habere in ista do-
„ mo Episcopii mecum Monasterium Clericorum. Ecce
„ quomodo vivimus. Nulli licet in societate nostra habere
„ aliquid proprium; sed forte aliqui habent. Nulli licet:
„ siquid habent, faciunt quod non licet„. Quibus lacrymis ibidem Presbyteri Januarii testamentum post mortem non meminit Augustinus? Januarius Monasterii Presbyter testamentum fecerat, hæredem instituerat ex pecunia, quam ante professionem reservaverat, quasi puellæ filiæ servaret, ut cum legitimos annos attingeret, faceret inde

quod Virginem deceret, quando bene id facere posset. Testamenti conscius Augustinus prorupit: „O' dolor il-„lius societatis! O' fructus natus, non de arbore, quam „plantavit Dominus! Sed Ecclesiam scripsit hæredem? „Nolo munera ista, non amo amaritudinis fructum. Ego „illum Deo quærebam, societatem professus erat, hanc „teneret, hanc exhiberet, nihil haberet, testamentum „non faceret. Habebat aliquid? Non se nostrum socium „quasi Dei pauperem fingeret„.

Secundum Sancti Benedicti Regulam cap. 33. „Præ-„cipue hoc vitium peculiare radicitus amputandum est „de Monasterio; nequis præsumat aliquid dare, aut acci-„pere sine jussione Abbatis, neque aliquid habere pro-„prium, nullam omnino rem, neque codicem, neque „tabulam, neque graphium, sed nihil omnino„.

En famosiores Regulæ, quarum sectatores paupertatis voto tenebantur; nec ulli profiteri licebat, qui pauperiem non adamaret, non teneret. Prætermitto alias bene multas in Occidente, Oriente-ve ante sæculum duodecimum custoditas. Pachomii, qui in Ægypto plurima erexit monasteria, & dictante Angelo, præcepta tradidit: Fructuosi tot Monachorum per Lusitaniam, & Hispanias Parentis, & Bracarensis Archiepiscopi: Isidori per Hispanias etiam tot Monasteriorum Fundatoris: celeberrimi illius Monachi, quem per antonomasiam Magistrum appellant, & Smaragdus quoque Monachus in commentariis ad Regulam S. Benedicti sæpe numero laudat: alias tandem omitto, quas Lucas Holstenius Vaticanæ Basilicæ Canonicus, & Bibliothecæ Præfectus in tres partes digessit, atque edidit.

Ex Sanctorum Patrum auctoritate, & exemplis.

PRrima sese offerret Urbani I. Epistola ad omnes Catholicos, quam Gratianus collegit causa 12. quæst. 1. cap. Scimus: *Quicumque vestrum communem vitam susceptam habet, & vovit se nihil proprium habere, videat ne pollicitationem suam irritam faciat.* Verum Urbano omnes eruditi abjudicant, & scriptori imponunt, qui Vulgatæ versionis, Prosperi, Gregorii, & Theodosii Codicis sententias commentis suis admiscuit, & errante calculo alieni temporis notas apposuit: ad alios melioris fidei veniamus.

Maximus Hieronymus arguens Vigilantium possessionum usum earundem renuntiationi præferentem, tot Monachorum id temporis Christum, & Apostolos sectantium exempla opposuit: „Non à me eis, sed à Domi-„no respondebitur: si vis perfectus esse, vade, & vende „omnia quæ habes, da pauperibus, & sequere me: Ad „eum loquitur qui vult perfectus esse, qui cum Apo-„stolis patrem, naviculam, & rete dimittit. Iste, quem „tu laudas secundus, & tertius gradus est, quem & nos „recipimus, dummodo sciamus prima secundis, & tertia „præferenda. Nec à suo studio Monachi deterrendi sunt „à te lingua viperea, & morsu sævissimo„.

Magnus Parens Augustinus lib. 1. de moribus Ecclesiæ Catholicæ cap. 31. non tam suos in Monasterio sub Regula sua degentes ad Manichæorum adducit exemplum, quam eorum multitudinem per totum orbem indies magis magisque diffusam, in Oriente maximè, atque Ægypto: „Quis non illos miretur, & prædicet, qui contemptis, „atque desertis mundi hujus illecebris in communem vi-„tam castissimam, sanctissimamque congregati simul æta-„tem agunt in orationibus, in lectionibus, in disputa-tionibus;

„ tionibus; nulla superbia tumidi, nulla pervicacia tur-„ bulenti, nulla invidentia lividi .... nemo quidquam pos-„ sidet proprium, nemo cuiquam onerosus est. Operan-„ tur manibus ea, quibus & corpus pasci possit, & „ Deo impediri non possit„.

Magnus Gregorius lib. 4. Dialogorum cap. 55. scripsit quid actum erat in suo Monasterio: „ Quidam Mo-„ nachus Justus nomine medicinali arte fuerat imbutus... „ hic itaque languore corporis præventus ad extremum de-„ ductus est. Cui in ipsa sua molestia frater germanus nomine „ Copiosus serviebat, qui ipse quoque nunc in hac urbe „ per eandem medicinæ artem temporalis vitæ stipendia „ sectatur; sed prædictus Justus cum jam se ad extremum „ pervenisse cognovisset, eidem Copioso fratri suo, quia „ occultatos tres aureos haberet, innotuit. Quod nimirum „ fratribus non potuit celari, sed subtiliter indagantes, „ atque omnia illius medicamenta perscrutantes tres au-„ reos invenerunt absconsos in medicamine. Quod mox „ ut mihi nuntiatum est tantum malum de fratre, qui no-„ biscum communiter vixerat, æquanimiter ferre non va-„ lui; quia ejusdem mei Monasterii semper regula fuerat, „ ut cuncti fratres ita communiter viverent, quatenus eis „ singulis nulla habere propria liceret. Tunc nimio mœ-„ rore percussus cogitare cæpi, vel quid ad purgationem „ morientis facerem, vel quid ad exemplum viventibus „ fratribus providerem. Precioso igitur ejusdem Monaste-„ rii Præposito ad me accersito dixi: vide ut nullus ex „ fratribus se ad eum morientem jungat, nec sermonem „ consolationis ex cujuslibet eorum ore percipiat.. Cum „ vero mortuus fuerit, corpus illius cum fratrum corpori-„ bus non ponatur, sed in quolibet sterquilinio fossam fa-„ cite, & in ea corpus ejus projicite, ibique super eum „ tres aureos, quos reliquit, jactate, omnes simul cla-„ mantes: Pecunia tua tecum sit in perditione; & sic cum „ terra operite.

Dura quidem pœna; sed justam declaravit Latera-

nense Concilium 3. sub Alexandro III. Can. 10. & postea Clemens III. anno 1190. super quodam Canonico Regulari, qui in articulo mortis agens, licet à Priore suo commonitus, proprium, quod habuerat latenter contra regulam, noluit resignare, & sic diem clausit extremam: non tantum Christiana sepultura fore privandum rescripsit, verum & si sine maximo scandalo posset fieri, de ipsa projiceretur Ecclesia: ex cap. super quodam 4. de Statu Monachor.

Hinc ob bonorum defectum, quæ à se omnino abdicaverant Monachi, statutum erat can. quia ingredientibus causa 19. quæst. 3. *Ingredientibus Monasterium ulterius nullam esse testandi licentiam, sed eorum res ejusdem Monasterii fieri aperta definitione.* Coævum igitur est Monasticæ vitæ paupertatis votum. Sed non contemnenda sunt argumenta, quæ ex Historia Ecclesiæ ante duodecimum sæculum adduci possunt.

Sæculo 5. Monachi testamentum condere poterant: de quibus, nisi quæ possederant? Imperator Theodosius Junior anno 434. Ariovindo, & Aspere Consulibus, 14. Kalendas Januarii ad Taurum Præfectum legem tulit, quæ est 1. in Cod. Theodosiano tit. 3. lib. 5. & 20. in Justinianeo tit. 3. lib. 1. ut *Siquis Presbyter, aut Diaconus, aut Diaconissa, seu Subdiaconus, vel cujuslibet alterius loci Clericus, aut Monachus, aut mulier quæ solitariæ vitæ dedita est, nullo condito testamento decesserit; nec ei parentes utriusque sexus, vel liberi, vel qui agnationis cognationis ve jure junguntur, vel uxor extiterit, bona, quæ ad eum, vel ad eam pertinent, vel pertinuerunt, Sacrosanctæ Ecclesiæ, vel Monasterio, cui forte fuerit destinatus, aut destinata, omnifariam socientur.* Imperatores etiam Valentinianus, & Marcianus X. Kalend. Maii anno 455. Anthemio, & Valent. VIII. Coss. ad Palladium Præfectum Prætorium generali lege, quæ est 13. in Cod. Justinianeo de Sacrosanctis Ecclesiis, sanxerunt, ut si virgo Deo dedicata, vel sanctimonialis mulier, sive quocum-

que alio nomine religiosi honoris, vel testamento, vel codicillo suo Ecclesiæ, vel Martyrio, vel Clero, vel Monachio, vel pauperibus aliquid crederet relinquendum, id modis omnibus ratum, firmumque consisteret.

Argumentum quidem est non infirmum, quod attendens Glossa, & Doctores advertunt in iis temporibus Monachos habuisse proprium, de quo possent agere testamentum; & notat etiam Clarissimus Barbosa ad legem *Generali* 13. Cod. de Sacrosanctis Ecclesiis, olim Monachis permissum esse testari, quia bona per ingressum non transferebantur in Monasterium; postea tamen cum ea ratio fuerit correcta, correctam quoque fuisse legem per Justinianum in Authentica Collat. 1. tit. 5. Novella 5. cap. 5. *Qui in Monasterium introire voluerit, antequam Monasterium ingrediatur, licentiam habeat suis uti quo voluerit modo: ingredientem namque simul sequuntur omnino res: licet non expressim, qui introduxerit eas, dixerit: & non erit Dominus earum ulterius ullo modo.*

Ut in hac re certum quid appareat duos paupertatis modos exponam: primus modus est ejus qui nec licite, nec valide habere potest dominium alicujus rei, neque illa tamquam propria uti, quem paupertatis gradum nunc servant omnes, qui solemnem vovent paupertatem. Secundus erit ejus qui non potest licitè habere proprium dominium alicujus rei, neque etiam ulla re tamquam propria uti, quamvis non sit incapax dominii, qualis esset paupertas per votum omnino absolutum, si Ecclesia nondum redderet solemne. Primum paupertatis gradum in statu perfectionis religiosæ semper viguisse, nullique religioso licere re tamquam propria uti, nec valide dominium potuisse habere, sed hujus reddi incapacem nullo antiquitatis monumento quis ostendet. Paupertas istæc, quæ hominem reddit dominii incapacem postea justis de causis inducta, & ex institutione Ecclesiæ facta est solemnis. In primis enim Ecclesiæ sæculis, quamvis in usu esset votum paupertatis perfectissimum, omnia

ſcilicet pro Deo derelinquere, nondum tamen erat ſolemnitatis hæc inſtitutio, nullum illius veſtigium in antiquitate per plures annos invenitur.

Baſilius, Auguſtinus, Benedictus, & alii Sanctarum Regularum Auctores Monachos ſuos dominii incapaces non exhibent; iis tantum quidquam habere non licere indicant; & prohibent, ne terrenarum rerum curis irretiantur. En Auguſtini verba ſupra in probationem relata: *Ecce quomodo vivimus*; *nulli licet in ſocietate noſtra habere aliquid proprium*; *ſed forte aliqui habent. Nulli licet*: *ſiquid habent, faciunt quod non licet.* Non dixit Auguſtinus: omnes de ſocietate noſtra incapaces ſunt habendi dominium; ſed *Nulli licet*, *& ſiquid habent faciunt quod non licet.* Januarium ſui Monaſterii Presbyterum deploravit ſignificans in condendo teſtamento graviter peccaſſe, non tamen negavit teſtamentum fuiſſe validum, neque argentum legatum vere fuiſſe Januarii; ſed ſignificavit licite non potuiſſe illud retinere propter communem vitam, quam profitebatur. En ſecundum paupertatis gradum religioni coævum.

Igitur ex ſimplici hoc paupertatis voto Monachi non erant incapaces dominii; ſed valide teſtamentum agebant de bonis, quæ ad ipſos pertinerent; & eorundem licita erat diſpoſitio, quam leges, & ſuperiores permiſerant. Poſteriorum exemplum temporum adduco. Religioſos Societatis JESUS, qui vota tantum ſimplicia emiſerunt, quæ biennii dicuntur, vere eſſe Religioſos declaravit Gregorius XIII. in Conſt. 89. quæ incipit *Aſcendente Domino*, iis tamen paupertatis voto ſimplici arctatis permittitur retinere jus, & dominium ſuorum bonorum, donec ſuperior aliter mãdaverit, prohibita ſolùm adminiſtratione, ſeu uſu: iidem uſque ad ſolemnem profeſſionem de ſuis bonis diſponendis facultatem habent, etiam teſtamentum condendo, vel illud in ſæculo factum revocando, licentiam verò ſuperioris pro actu licito faciendo, non ad validitatem requirunt. Hæc Monachorum quoque primis Eccleſiæ ſæculis

conditio erat, cum nondum paupertatis votum solemne fieret: nondum statutum erat Ecclesiæ, per quod qui in circunstantiis ab Ecclesia præscriptis vovet, ad certos effectus incapax redditur; scilicet ad valide contrahendum matrimonium ratione castitatis, ad habendum rei alicujus dominium ratione paupertatis, ad se aliis, quam superioribus obligandum, ratione obedientiæ.

Quo tempore hæc voti paupertatis solemnitas introduci cœperit, certo non constat. A' temporibus Justiniani Imperatoris introductam existimo ex Authenticis ejusdem Cæsaris in collatione supra citata, ubi decernit per professionem Monachi omnes res ejus fieri Monasterii, etiamsi expresse non donentur, & *non erit* (inquit) *amplius Dominus illarum ullo modo.* Siquis tamen dubitet quo jure Imperatores de re mere spirituali, ac Ecclesiastica leges protulerint, sciat dubium istud esse generale, & de omnibus fere legibus, quæ in titulis Codicis de Sacrosanctis Ecclesiis, de Monachis, de Clericis, & Episcopis continentur, oriri posse. Aut Justinianus ex consensu Pontificum legem edidit, vel certe eæ, quæ in favorem, & bonum Ecclesiæ erant, expresso, vel tacito consensu Pontificum admissæ sunt. Magnus Gregorius qui non multo post Justinianum vixit lib. 7. Epistolarum Epistola 7. Justiniani constitutionem suscepit, & irritum fieri jussit testamentum Siricæ Abbatissæ: *Quia ingredientibus Monasterium convertendi gratia ulterius nulla sit testandi licentia, sed res eorum ejusdem Monasterii fiant, aperta legis definitione decretum est.* Quæ verba exscripsit Gratianus in supra citata causa 19. quæst. 3. cap. 7.

Adversari tamen videntur, quæ in antiquis post Gregorium Ecclesiæ annalibus referuntur. Ex ipso Gregorio lib. 1. Ep. 42. Joannes Monachus quidam moriens Fantinum Defensorem in sex uncias hæredem divisit, cui id quidem, quod fuerat dimissum, traditum est. In lib. 9. Ep. 22. Gregorius ipse Probum Abbatem facultate donavit testandi, & legandi quidquid rei habuisset, antequam

Abbatis officio fungeretur. Sæculo ineunte 8. Beda Vir Sanctus, cujus festum sub ritu duplici omnis Ordo Benedictinus celebrat, teste Guthberdo ejus discipulo, morti jam proximus ad se cunctis Monasterii sui Gyrvvensis accersitis munera quædam, quæ apud se pretiosa in capsela habuerat, distribuit. Quid referam tot Abbatissarum testamenta? Cointius in annalibus Ecclesiæ Francicæ laudat testamenta Irminæ Abbatissæ Horreensis apud Treveros, Adelæ Abbatissæ Palatiolensis: in monumentis Lusitani Monasterii de Arouca laudatur testamentum S. Mafaldæ, & his longe plura in Ecclesiasticis Historiis. Ast prætterquam quod hæc testandi ratio facile adtineret ad officium administratoris; si Abbatissæ, aut alii Monachi, (qua in re una est ratio Abbatum, & Monachorum) quæpiam suæ Ecclesiæ, aut aliis testamento adjecerunt, ea utebantur facultate, qua Gregorius ipse Probum Abbatem donaverat, ad dispensationes Pontificias recurrebant. Bedæ tamen munuscula erant oraria, incensa, & piper, quæ ex administratoris injuncto officio apud ipsum ad Monasterii usus servarentur.

Pro comperto quis non habeat Romanum Pontificem posse habilem reddere Monachum solemniter professum, ut testamentum condat, aut revocet; cum incapax ille tantum sit ex jure positivo: secundum Cardinalem de Luca de testam. disc. 35. n. 6. Suares tom. 3. de Relig. lib. 8. cap. 16. n. 9. Cardinalem de Lugo de Justitia disput. 3. sect. 6. n. 109. Cardinalem Petra tom. 3. ad Const. 11. Clementis IV. n. 41? Dispensatio istæc cum voto paupertatis compatitur. Regularis enim Episcopus voto religiosæ paupertatis adstrictus est, nec per Episcopatum dissolvitur: eidem non solum, ut Episcopo testamenti *factio activa* in bonis Ecclesiæ suæ intuitu adquisitis est interdicta, sed uti Religioso est omnino adempta, ne dum in bonis Ecclesiæ intuitu, ut ceteri Episcopi, sed in patrimonialibus, & aliis quibuscumque ex Can. Statutum 18. quæst. 1. & Barbosa in cap. quorumdam de testamentis n. 4. & potest Episcop. part. 3. alleg. 14. n. 20.

Verum ex dispensatione Papæ testamentum condere potest: secundum D. Thomam 2. 2. quæst. 185. art. ad 3. Et plurima sunt exempla, quæ congessit Eminentissimus Petra tom. 3. ad Const. 11. Clementis IV. n. 44. nempe anno 1667. Episcopi Tropiensis Ordinis S. Augustini pro summa Ducatorum 1250. de Camera, solutis Cameræ 10. pro centenario: anno 1668. Alphonsi Episcopi Cordubensis Ordinis S. Francisci de Observantia pro summa Ducatorum 20000. solutis Cameræ Ducatis 10. pro centenario: alia omitto.

Inter alia vetustatum monumenta, adversus thesim sese offert textus ille in Canonico jure cap. *Insinuante* 7. Qui Clerici, vel voventes matrimonium, de muliere nobili, quæ in manibus cujusdam de Fratribus Sancti Augustini castitatis votum emisit eo adjecto, ut in domo propria cum omni substantia remaneret. Religionis votum vovisse fœminam textus ipse indicat ad finem: „Inquisita diligentius veritate, si præmissis veritas suffragatur, præfatam fœminam ad male dimissum religionis „habitum resumendum, & servandum quod vovit, inducere procuretis; & si opus fuerit per censuras Ecclesiasticas procuretis„. En Monialem nullo paupertatis voto adstrictam.

Difficillimum quidem semper id fuit Canonici juris interpretibus: existimarunt alii religiosum posse licite retinere bona sua ad usumfructum, vel usum, aut administrationem de superioris licentia, & consensu; intellectum hunc ad Decretalem istam *Abbas* n. 5. mirabilem vocat, sed 1. loco recenset Innocentius n. 1. aitque in domo propria posse quem profiteri in Episcopi, vel Abbatis manibus, & ipsos posse ei statuere certum locum, quem habitet, & bona in administrationem dare, neque id esse contra Monachatus substantiam, cum sit sine proprio, & sub obedientia superioris, licet solus Papa hoc possit indulgere in perpetuum. Sed quis non refellet? quis verba illa: *Cum omni substantia in domo*, bona quoad u-

ſum, non quoad dominium, & proprietatem intelligat? Lucas legatur in Evangelico cap. 15. de filio prodigo: *Pater da mihi portionem ſubſtantiæ, quæ me contingit; & diviſit illi ſubſtantiam.* Filio ne a patre tunc bonorum uſus, non dominium, & proprietas in rerum ſubſtantia data eſt?

Alii alia inceſſerunt via de voto ſimplici, & non ſolemni religionis intelligentes textum, unde cum hujuſmodi voto proprium patrimonium retinere poterat mulier: textus tamen impugnat: poſt emiſſum votum illa religionis habitum ſuſceperat, & per biennium geſtaverat: *Sane in ejuſdem ordinis habitu biennio poſt permanſit.* En profeſſionis emiſſionem. Amplius: Innocentius III. matrimonium ipſius poſtea contractum irritum judicavit; judicaret ne ſi ſolemne non eſſet votum? Si ſimplex eſſet, quod non dirimit? Inſignis Proſper Fagnanus ad hanc Decretalem n. 23. tenet pactum iſtud de reſervatione bonorum vitiari, & non valere, & firmat decreto Congregationis Concilii Tridentini Interpretis, & præſertim in cauſa Panormitana de quadam Moniali, quæ præter dotem Monaſterio tributam ſibi reſervaverat ſcuta quinquaginta annua pro neceſſitatibus ſuis, & petiit à Sacra Congregatione ſibi fieri facultatem illa in prædictos uſus erogandi. Congregatio tamen cenſuit hanc pecuniam annuam, non obſtante reſervatione, Monaſterio jam eſſe adquiſitam. Fagnani ſententiam veram poſt Tridentinum quis neget? de ſæculo duodecimo, & antea tota lis eſt in præſentia. Si conditio illa proprium retinendi religionis ſubſtantiæ repugnat; profeſſionem vitiet neceſſe eſt, non vero ut vitietur; juxta textum in cap. *Si conditiones* 7. de conditionibus appoſitis: *Si conditiones contra ſubſtantiam conjugii inſerantur ... matrimonialis contractus quantumcumque ſit favorabilis, caret effectu.* Nec Innocentius ipſe in cauſæ deciſione conditionem illam ut turpem improbavit, quæ juxta eundemmet textum pro non adjecta haberetur.

Lis

Iis omiſſis, textus intellectum ex more antiquo petendum exiſtimo, quo olim plures Virgines, & Viduæ religioſam vitam in domo propria profitebantur obedientiam tantum, & caſtitatem promittentes, quas ſorores appellare conſueverant in Monaſterio Sanctæ Crucis Colimbrienſis, & S. Vincentii Olyſſiponenſis. Ex his Sanctæ Crucis ſororibus extat profeſſionis charta in ejuſdem archivo Tharaſiæ Suarii: *In nomine Domini noſtri Jeſus Chriſti hæc eſt ſcriptura veritatis, quam ego Tharaſia facere jubeo. Imprimis offero me ipſam Eccleſiæ S. Crucis, & Domno Theotonio ejuſdem Eccleſiæ Priori, atque ſucceſſoribus ejus tam in vita, quam in morte.* Ex S. Vincentii archivo adductum quoque eſt monumentum Eræ 1423. anni Salvatoris 1375. quo Sanctia Vincentii ejuſdem Monaſterii ſoror poſt triginta & quinque annos, quos ſoror vixit in ſæculo, Canonicarum tandem numero, quæ communem agebant vitam in Monaſterio, fuit adſcripta, & bona ſua Canonicis Vincentinis teſtamento reliquit. Alia quamplurima hujuſmodi in utriuſque Monaſterii archivis reperiuntur. Ante duodecimum ſæculum ex Eccleſiæ annalibus quam multæ erant, quæ in privatis domibus Deo ſacrabantur Virgines, aut Viduæ. Can. 27. Concilii Eliberitani Epiſcopo, vel cuilibet alii Clerico permittitur aut ſororem, aut filiam Virginem dicatam Deo tantum ſecum habere. Doctor Maximus Hieronymus in Epiſt. 88. ad Principiam Marcellæ religioſam vitam in domo propria laudat.

Quamobrem pro diſſertationis coronide dicendum puto Monachos ante duodecimum ſæculum paupertatis voto, ſeu regula adſtrictos fuiſſe, qui in Monaſteriis communem agebant vitam, de quibus loquebatur Auguſtinus Parens: *Ecce quam bonum, & quam jucundum habitare fratres in unum.* Unde aliter diſſerendum de iis, qui ſolitariam degebant vitam, qui ſtrictiſſimam paupertatem profiteri non poterant; non enim poterant non habere ad victum, & veſtitum aliquid neceſſarium, cujus dominium apud aliquem eſſet; non apud aliquam communitatem, aut ſuperiorem,

quod neutrum iis esset; igitur apud ipsos, & sine alicujus licentia de iis poterant disponere in quemlibet honestum usum ad arbitrium suum. Id ostendit Historia, quam refert Gregorius lib. 3. Dialogorum cap. 26. de Mena, qui in eremo degebat, & ad suum usum pauca apium vascula possidebat, quæ virtute mirabili à latronibus, & ursis fuerant custodita: ac ut haberet quod ad se venientibus offerret, à vicino populo aliquid recipere consueverat. In Hilarionis quoque vita de duobus eremi cultoribus mentio fit, quorum alter cum vineam haberet, diligenter eam custodiri fecit, ne hospites tangerent.

Advertendum denique Doctores inter se dissentire, an duodecimo sæculo ex permissione Abbatis liceret simplici Monacho peculium habere in administrationem tantum, non quoad proprietatem. Diversarum opinionum causa sunt verba capitis *Monachi* 2. de statu Monachorum in Concilio Lateranensi III. *Qui vero peculium habuerit, nisi ab Abbate fuerit ei pro injuncta administratione permissum, à communione removeatur altaris.* Suares tom. 3. de Religione lib. 8. cap. 12. ait sufficere superioris licentiam, ut proprietatis peccatum vitetur, nam interveniente superioris facultate, & dependentia ab illa, jam res proprio nomine non possidetur, sed Religionis, neque habetur ut propria, sed ut communis, quod non est contra paupertatis votum; hæc sententia plurimos habet fautores, & quidem pios. Fagnanus vero in dicto cap. *Monachi* n. 42. aliud sentit: *Illa verba, nisi ab Abbate fuerit ei pro injuncta administratione permissum hoc tantum important, ut bonorum stabilium administrationem habere possint Monasterii officiales ad nutum amovibiles ... nam Glossa in figuratione casus, Nota, inquit, concedi peculium ex causa administrationis, quæ verba Glossæ sic explicanda videntur; non enim dicit concedi in administrationem, sed causa administrationis, nempe propter officium administrandi, quia officialis est conventus.* Fagnano adhæret Vanespen. P. 1. de vitio Peculiaritatis cap. 2. §. 1. & hunc sensum confirmas-

se ait Concilium Turonense anno 1231. can. 26. apud Castrum Gonterri integro pene sæculo post Lateranense Concilium 3. inhibens : *Ne Monachi, nisi sint in administratione constituti, habeant sub alio colore aliquam possessionem, vel aliquam proprietatem etiam de licentia Abbatum, cum licentia Abbatis in hoc eis non valeat suffragari.*

Hæc sunto ad sæculum usque 12. nam post Tridentinum Concilium sess. 25. de Regularib. cap. 2. *Nemini Regularium tam virorum, quam mulierum licet bona immobilia, vel mobilia cujuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab iis adquisita tanquam propria, aut etiam nomine conventus possidere, vel tenere, sed statim ea superiori tradantur, conventuique incorporentur.* Non obstante tamen Concilio Tridentino, ait Sanctissimus Dominus Benedictus XIV. lib. 3. de Servorum Dei Beatificatione cap. 41. n. 12. peculii usus potest esse religiosis permissus ex hujusmodi conditionibus 1. ne illud habeant titulo dominii, sed simplicis usus : 2. ut accedat tacita, aut expressa superiorum licentia: 3. ut sit moderatum, & non superfluum: 4. ut sit immixtum ceteris bonis Monasterii ; 5. ut peculii concessio sit revocabilis ad superioris mandatum: 6. ut regularis eo non utatur, nisi pro rebus licitis, & necessariis 7. ut peculium non habeat penes se, sed sit in manibus publici officialis à superioribus deputati: 8. ut si religiosus aliquid petat à dicto officiali, rem exprimat, quam sibi dicit necessariam : 9. ut hic vivendi modus sine scandalo non possit immutari. Hujusmodi circunstantiæ Romæ anno 1695. à celebrioribus Theologis fuerunt approbatæ in Opusculo, cui titulus *Trattato della vita commune* cap. 20.

DISSERTATIO II.

Utrum Gothi Reges Hispaniarum ante Galliarum Reges sacro oleo ungerentur?

GAlli cum Hiſpanis concertant, patriæ gloriam utrique vindicant; ſed Hiſpani meliori ſorte; utpote quibus adſcribuntur non vulgaria Galliarum ingenia, virorum ſcilicet, qui de literario ſtipendio bene merentur. Quos inter Martene Clariſſimus emicat lib. 2. de Antiquis Eccleſiæ ritibus cap. 10. Adnumerantur etiam iis inſignes Itali Joſephus Catalanus Pontif. Rom. tom. 1. pag. 383. & Caetanus Cennius tom. 2. de Antiquitate Eccleſiæ Hiſpanæ Diſſert. 4. cap. 1. n. 19. quorum ſententiæ ſubſcribere in præſentia placet: remque totam, ut dicunt, ab ovo habeamus.

Sacra Regum unctio ab Hebræa gente originem traxit; eam quidem Moyſes non præcepit, ſed multis exemplis fertur in Hiſtoria ſacra lib. 1. Regum cap. 10. v. 11. *Tulit Samuel lenticulam olei, & effudit ſuper caput ejus* (Saulis) *& deoſculatus eſt eum, & ait: ecce unxit te Deus ſuper hæreditatem ſuam in principem.* Eadem unctio innovata eſt poſtea in Galgalis à Samuele, cum Saul poſtquam Ammonitas percuſſerat, ad populum dixit: *Non occidetur quiſquam in die hac, quia hodie fecit Dominus ſalutem in Iſrael....& fecerunt ibi Regem Saul coram Domino* lib. 1. Reg. cap. 11. v.13. 15. ubi ſeptuaginta Interpretes, & Joſeph legunt: *Unxit ibi Samuel Saulem in Regem.* Eodem lib. 1. Regum cap. 16. v. 13. *Tulit Samuel cornu olei, & unxit* (David) *in medio fratrum ejus, & directus eſt ſpiritus Domini à die illa in David.* Cum David propter æmulos Principes è genere Saulis regnum anceps haberet, iterum unctus eſt in Hebron, agente Tribu Juda poſt obitum Saulis 2. Reg. cap. 2. v. 4. Davidem ſequuti ſunt ejus filii Abſalon, & Salomon, ille excuſſo jugo Regis patris ſui adſcivit ſibi cum titulo regiam unctionem,

hic cum de regni successione cum Adonia fratre contenderet, à Sadoc Summo Sacerdote, & Nathan Propheta sacro oleo inauguratus est 3. Regum cap. 1. v. 34. & 39.

Hebræorum Regibus ritus adeo erat peculiaris, ut nullus Rex alîus gentis usque ad Magni Parentis Augustini tempora illum observaverit: in Psalmum quippe 44. n. 19. ait: *Unctus est Deus à Deo: unctum audis, Chrisium intellige. Etenim Christus à chrismate: hoc nomen, quod appellatur Christus, unctionis est: nec in aliquo alibi ungebantur Reges, & Sacerdotes, nisi in regno, ubi Christus prophetabatur, & ungebatur, & unde venturum erat Christi nomen.* Hebræorum morem innovarunt Gothorum Reges Hispanienses, quorum primum Reccaredum à S. Leandro fuisse inauguratum conjicit Fr. Franciscus Berganza Monachus Benedictinus de antiquitatibus Hispaniæ lib. 6. cap. 2. n. 123. ad Theodosii junioris exemplum, qui à Proclo Constantinopolitano Patriarcha fuerat inauguratus.

Verum cum nullum sit suæ conjectationis argumentum, apud Gothos unctionem regiam à Wamba initium duxisse dico. Rex iste patria Lusitanus (teste Juliano Episcopo Toletano in Wambæ Historia) unctione sacra decoratus est: *Wamba Princeps Clarissimus de Regali sanguine ortus, quem digne principari Dominus voluit, quem sacra unctio decoravit ... curvatis genibus oleum benedictionis per sacri Primatis, & Pontificis Quirici manus vertici ejus refunditur, & benedictionis copia exhibetur.* Floruit in regno Wamba ad annum 675. Anno 681. Concilium Toletanum 12. cap. 1. asserit Ervigium Wambæ successorem *regnandi per sacram unctionem suscepisse potestatem.* De Egica, Witiza, & aliis sæculo 7. idem referunt Julianus in chronico, & Ambrosius Morales lib. 12. cap. 41. 53. & 57.

Quis igitur, amabo, dicant, Francorum Regum ante Wambam unctus est? Si Galliarum veteres annales percurramus, Pippinus anno 754. in Monasterio Sancti Dionysii agri Parisiensis a Summo Pontifice Stephano III. qui ad Gallias

accesserat adversus Longobardos auxilium petiturus, inter Missarum solemnia cum filiis, & uxore in Francorum Regem primus omnium fuit inunctus. Id testantur Anastasius Bibliothecarius, Hilduinus in Areopagiticis, Annales Bertiniani, Metenses, & Laures-hamenses, & jam antea anno 752. Suessione à Moguntino Archiepiscopo Bonifacio unctionem acceperat. Pippini sacram inaugurationem eruditus Cennius impugnare credidit, quod secundo fieret. Si apud Gallos id moris viguit, inquit ille ... *Cur Pippinus ille, quem omnium primum liquet in Galliis esse inunctum à Bonifacio Moguntino Episcopo, postea novam à Stephano III. unctionem accepit?* Nulla tamen ratione in præsentia Cennium ferri existimo: an quia Saul unctus est à Samuele lib. 1. Regum 10. falsa existimabitur unctio alia, quæ in Galgalis postea facta est lib. 1. Reg. cap. 11.? Subsecutis etiam sæculis novum non erat Imperatores pariter, & Reges secundo, aut tertio sacro ritu coronari. Justinus Imperator non tantum à Joanne Exscholastico imperii coronam suscepit; verum & à Joanne Papa iterum coronatus, & benedictus est Constantinopoli. De prima coronatione scripsit Theophanes in Chronographia, de secunda Anastasius Bibliothecarius in vita Joannis I. Papæ. Hincmarus Remensis in Capitulis suis loquitur etiam de secunda coronatione Caroli Calvi. Hovedenus ad annum 1159. prodidit Henricum II. Angliæ Regem ter una cum uxore sua Elionora fuisse coronatum Lincolniæ, Londini, Wigorniæ

Hæc observat Martene Auctor Gallus eruditissimus supra citatus: *Longe tardius in Galliis Reges solemnem Episcoporum benedictionem suscepisse videntur, quippe ante Pippinum, qui Suessione à Moguntino Archiepiscopo Bonifacio primum, deinde à Stephano Papa apud S. Dionysium unctus est in Regem, nullus ab Episcopis benedictus legitur; sed omnes, ut Regni imperium adepti erant, à populis clypeo evecti, Reges constituebantur.* Id ipsum tradidit alius scriptor Gallus Franciscus Pagius in vita S. Zachariæ Papæ: *Et quidem Pippinus videtur esse primus ex*

Francorum Regibus, qui unctus est in Regem, nullus enim antea ab Episcopis benedictus legitur. Ex quorum testimonio impugnantur Galli scriptores, qui tenent mordicus Galliarum Reges primos fuisse ab Episcopis consecratos, ac ad eorum normam ceteros Reges sacro oleo ungi coepisse. Hinc nescio quo fundamento scripsit Franciscus Hallier part. 3. sect. 8. cap. 10. n. 8. de Sacris Electionib. *Ad eorum* (Gallorum Regum) *ceteri fere Reges oleo sacro inungi caeperunt, quamvis enim Albericus, Rosatensis, Hestrensis, & alii solos in Occidente Francorum, Hierosolymorum, Anglorum, & Siculorum Regum inungi in sua coronatione testentur, quae nempe Regna cum à Francis olim possessa fuerint, nihil mirum, si eorum Reges, Francorum more, inungi voluerint, priusque ceteris hanc sacrae unctionis caeremoniam usurparint.* Miror quidem, quod Hallier vir antiquitatibus apprime instructus Gothos Hispaniarum Reges Wambam, & Ervigium sacro delibutos oleo ignorasset; aut, si non ignorabat, non meminisset inter ceteros Occidentis, quos fatetur ipse inunctos. Per me Hierosolymitani, Angli, & Siculi Reges Francorum exemplum sequuti sint; non sequuti tamen sunt Gothi, sed Gothi Francis praeiverunt.

Enim vero Clodovei Francorum Regis Historiam antiquiori Gothorum Regum unctioni adversari putant. Clodoveum anno 496. in Vigilia Natalis Domini, caelitus à columba demissa chrismatis ampulla, à Sancto Remigio Remensi Episcopo fuisse Regem inunctum testatur ejusdem S. Remigii testamentum in Historia Flodoardi lib. 1. cap. 18. Sed inter emunctioris naris eruditos fabulam ista sapit Historia. Quis coaevus testis, & scriptor asseruit? Non meminit Gregorius Turonensis in scrutandis, & memoriae tradendis miraculis tam diligens; non meminerunt Avitus Viennensis, Papa Anastasius, S. Nicetius Trevirensis, & Fortunatus in vita S. Remigii de Clodoveo loquentes: meminerunt ii, qui annos fere quingentos, aut quadringentos Clodoveo sunt posteriores, Hincmarus in vita S. Remigii, Ai-

moinus lib. 1. cap. 16. Flodoardus ſupra citatus, & Codex MS. Petavianus editus à Franciſco Ducheſnio tom. 4. pag. 161. de Philippi I. inauguratione. Teſtamentum illud in Flodoardi Hiſtoria tot auctum erat interpolationibus, quæ nec tempora, nec Remigii indolem indicant, ut plerumque ſuppoſitum habeatur. Sincerum aliud, quod brevius vocat teſtamentum, ſcripſit Domnus Guillelmus Marlotus, Hiſtoriæ Metropolis Remenſis tom. 1. lib. 2. cap. 11. ex MS. codicibus Abbatiarum S. Remigii, Nicaſii, & Theodorici prope Remos, hujuſmodi tamen narrationibus non intermixtum. Si Clodoveus in Regem eſſet inunctus à Remigio, ejus poſteri tam ſacræ inaugurationis ritum negligerent? Neminem quidem Francorum Regum ante Carolinam ſtirpem unctum legimus. Unctus eſt Clodoveus, ut Chriſtianus fieret, non ut fieret Rex, qui decimum quintum Regni annum agebat. Quod etiam Natali Alexandro placuit Hiſtor. Eccleſiaſtic. ſæculi 6. cap. 4. art. 3. de S. Remigio.

Cauſa tamen, cur poſteri ſcriptores Clodoveum Regem inunctum crederent, hæc erat. Legerant quippe veteres, qui ſcripſerant chriſmate, vel oleo cælitus miſſo Clodoveum Regem ſacratum, ordinatum, vel conſecratum eſſe. Ita quidem loquitur Symmachus Romanus Pontifex, non Hormiſda, ut falſo putarunt alii, in Epiſtola, qua Sedis Apoſtolicæ vices S. Remigio Remenſi committuntur per omne regnum Clodovei, *quem ſacri dono baptiſmatis conſecraverat*. Gregorius quoque Turonenſis lib. 2. cap. 31. ait de Clodovei baptiſmo: *Delibutuſque ſacro chriſmate cum ſignaculo Crucis Chriſti*. Cum ſæculis decurrentibus Pippini proles peculiari conſecratione in Reges coronarentur, exiſtimarunt aliqui iſtam Clodovei unctionem eo eſſe referendam, non adtendentes juxta primævæ Eccleſiæ diſciplinam chriſma baptiſmo adhiberi. Quamobrem S. Ambroſius in lib. de Initiandis unctione capitis ſignificari docet, *ut fias electum genus, ſacerdotale pretioſum: omnes enim in Regnum Dei, & in Sacerdotium ungimur gratia ſpirituali*. Chriſma Clodovei baptiſmo adhibitum cum Regia unctione confuderunt. Verum

Verum Martene jam citatus miraculoso oleo à Clodovei tempore asservato postea ceteros Galliarum Reges (post Hispanos tamen) fuisse linitos non renuit, n. quippe 6. ait : *Ex singulari privilegio non quolibet oleo, sed cælitus misso consecrari solent, ex sacra scilicet ampulla, quæ Remis in percelebri Sancti Remigii monasterio servatur, cujus defectu alia adhibetur ampulla ex Turonensi Maiori monasterio, quæ Sancto Martino olim ab Angelo adlata memoratur, uti contigit in Henrici quarti benedictione Carnoti celebrata.* Jacobus Longueval Jesuita tom. 2. Histor. Gallicanæ pag. 231. ut traditionem Ecclesiæ Remensis, ac suorum Regum prærogativam defendat, advertit apud Hincmarum, & in antiqua missa S. Remigii narrari, quomodo cum vellet ipse ægroto conferre Sacramennum Extremæ-Unctionis, ampullæ vacuæ oleo mirabiliter repletæ sunt, quo cum unctus fuerit Clodoveus, rectè asseritur unctum fuisse oleo è cœlo delapso: quæro tamen unde collegit Longueval unctum fuisse in Regem, & non in Christianum ? Itaque ostendant, quæso, Galli tam vera, & indubitatæ fidei monumenta, qualia pro suis Regibus propalant Hispani. Traditionem igitur illam de uncto Clodoveo in Regem quam Eruditus Episcopus Antonius Gaudeau in Ecclesiastica Historia Gallice scripta, ad annum 495. n. 67. antiquam vocat, & à nemine Gallo dicit impugnandam, erroris potius vetustatem dicerem. Impugnavit supradictus Natalis scriptor Gallus : impugnarunt alii veritatis quidem amore Valdes de Dignit. Reg. cap. 14. Palsimotus, sive qui Auctor est non ignobilis inter vindicias, & Martem Gallicum cap. 8.

Si Hispani cum Scotis contenderent, palmam quidem iis, sicut Gallis, non eriperent. Antiquior sane fuit Aidani Scotorum Regis benedictio, qui ex anno 568. ad annum usque 604. regnavit; cujus benedictionis factæ à Columba Abbate Hiensi jussu Angeli meminit Cumeneus Albus in vita S. Columbæ n. 5. sæculo 1. Benedictino;

meminit etiam Mabillonius eodem ſæculo, & citatus Martene. Imo hæc ſupponit ritum iſtum in receptiſſimo Scotorum uſu, cum dicat Domini Angelum ad Columbam fuiſſe miſſum, *qui in manu vitreum ordinationis Regum habebat librum.* Quæ certe innuunt antea reges fuiſſe benedictos. Id ſingulare fuit in Aidani benedictione, quod non ab Epiſcopo, ſed ab Abbate fuerit ordinatus: *Qui imponens manum ſuper caput ejus, ordinans benedixit eum.* Quamobrem ſacra Regum coronatio per Epiſcoporum manus ſuam haud dubie ducit originem à Gothorum Regibus: qui in genua provoluti ante altare per Toletanum Præſulem ſacro oleo ſuper caput effuſo conſecrabantur; neque aliam hac in cæremonia celebritatem obtinebant.

Quod ut verum ſit, recentiorum Regum benedictionem ſpectemus. Ante Metropolitam, ut præ ſe fert Romanum Pontificale, Epiſcopoſque Pontificiis veſtibus indutos electus in Regem deducitur: admonetur à Metropolita, profeſſionem agit, qua Eccleſiæ defenſionem promittit; poſt orationes à Metropolita inungitur brachium dexterum inter juncturam manus, & cubiti; & inter ſcapulas in modum crucis oleo Catechumenorum: electus poſtea diſcedit ab altari, atque redit regiis veſtibus indutus, incruento miſſæ ſacrificio interfuturus ex thalamo eminenti ſibi in Eccleſia parato; poſt graduale ab Epiſcopis, & Optimatibus ad altare iterum adducitur, ibi à Metropolita gladium accipit, quo ſubinde ab eodem ungitur, corona ejus capiti imponitur, ſceptrum datur, ductuſque ad ſolium, in eodem per Metropolitam evehitur. Cæremonia hæc omnibus numeris eſt abſoluta, quæ velut rudis, atque incipiens erat apud Gothos, ſacræ tantummodo ſcripturæ ritum ſequutos, ſolaque olei ſacri effuſione à Metropolita benedictos.

Gallorum Reges ante Pippinum nullo unctionis ritu, nec rudi, aut incipiente coronabantur, ſed in regni comitiis clypeo impoſiti elevabantur, acclamabanturque, ut conſtat ex Gregorio Turonenſi lib. 2. Hiſtoriæ Regni

Francorum cap. 40. ubi referens quomodo Colonienses post Sigiberti Regis, ejusque filii Cloderici obitum Clodoveo Magno se dederint, inquit: *Plaudentes tam parmis, quam vocibus, eum clypeo evectum super se Regem constituunt.* Quam coronationis consuetudinem observabant etiam Imperatores nuper creati ex Codino Curopalata de Officiis Ecclesiæ, & Aulæ Constantinopolitanæ cap. 17. ita describente: „Novus Imperator in scuto sessitans tollitur in altum, & ab universa multitudine in„fra stante conspicitur. Teneat verò priores partes cly„pei Imperator, parensque renuntiati, si adhuc sit in vi„vis, & Patriarcha partes à latere, & retro tenent qui „dignitate præcipua excellunt, videlicet Despotæ, & Se„bestacratores, si fuerint. Sin minus, hoc obeunt præ„stantiores, & nobiliores ex proceribus. Si non superest „novi Imperatoris pater, anteriores partes clypei tenet „excellentior ex illis, qui in dignitate sunt, aut aliquis „ex proceribus cum Patriarcha: partes posteriores tenent, „quos antea jam commemoravimus. Populo, & universo „Fossato faustis acclamationibus personante, descendit de „scuto, duciturque ad S. Sophiæ templum, in quo co„ronandus est„.

Hanc tamen unctionis consuetudinem omiserunt Hispaniarum Reges; quia hæreditario jure omnes ad solium sublimantur, non vero electione, ut olim Gothorum tempore creabantur. Post ipsos tamen Gothos multi facio hoc ritu ad thronum evecti sunt. Alfonsus II. inunctus fuit in Ecclesia Burgensi, Alfonsus VII. in Ecclesia Compostellana à Didaco Ramires ejus Præsule, Alfonsus VIII. à Ramone Archiepiscopo Compostellano. Lusitaniæ quoque Reges omiserunt, qui ab Archiepiscopo Bracarensi poterant inungi; Eugenius quippe IV. ad Regis Eduardi instantiam Bracarensi hanc Reges inungendi dederat potestatem, quam Clemens XI. Joanne V. Fidelissimo postulante ad Eminentissimum Olysiponensem Patriarcham anno 1720. transtulit. Advertendum tandem plurimos Re-

ges ab Episcopis coronam olim suscepisse, quin ab ipsis sacro oleo ungerentur, inter quos numerabitur Venerabilis Rex Alfonsus Henricus in comitiis Lamecensibus ab Archiepiscopo Bracarensi coronatus, Theodosius Junior à Proclo Constantinopolitano, & alii.

DISSERTATIO. III.

Utrum Lusitania Alexandro III. vero, & legitimo Romano Pontifici adhæsit, an Callisto 3 aut 4. Antipapæ.

Dum Adrianus IV. Summum Pontificatum gerebat, Cardinales in duas factiones divisi erant. Prima maior, Duce Rolando tituli S. Marci Cardinali, & Romanæ Ecclesiæ Cancellario partium erat Guillelmi Siciliæ Regis contra Fridericum Imperatorem, alia duce Octaviano S. Cæciliæ Cardinali, Friderico obsecundabat. E' vivis ablato Adriano, Cardinales, qui triginta erant, 3. die Nonas Septembris in Basilica Vaticana congregantur de Pontificis electione tractaturi. Quatuordecim Rolandum patria Senensem, familia nobili Bandinella ortum, ex Canonico Lateranensi Cardinalem creatum Papam elegerunt, qui Alexander III. appellatus est. Ceteri novem Octavianum suum designarunt, qui Victoris IV. nomen assumpsit. Reliqui Cardinales hæsitantes primum, ad maiorem partem se adjunxerunt, & suffragia ad numerum 19. auxerunt. Recruduit schisma inter Victorem, & Alexandrum. Mortuo Victori Antipapæ successit Antipapa Paschalis III. quo etiam humana ponente, Antipapa alius designatur Joannes Strumensis Abbas, nomine post electionem Callistus III. aut IV. Galliarum, & Angliæ Reges ceu legitimũ Pótificem Alexandrum colebant. Synodi Bellovaci in Galliis, & apud Novum Mercatum in Anglia adunantur, in quibus, veluti etiam in Comitiis, Barones cum Præsulibus considebant: earum memoria superest apud Robertum de Monte in

Appendice ad Sigebertum: *Anno*, inquit, 1161. *mense Julio, Henricus Rex Anglorum congregavit omnes Episcopos Normanniæ, & Abbates, & Barones apud Novum Mercatum: & Ludovicus Rex Francorum adunavit suos Bellovaci, & ibi tractatum est de receptione Papæ Alexandri, & refutatione Victoris: & consenserunt Alexandro, reprobato Victore.*

Quænam Lusitaniæ erga Alexandrum obedientiæ monumenta? meridiana luce cæcutiret, qui negaret. Alexander ad Venerabilem Regem Alfonsum Henricum literas suas misit amore, & benevolentia plenas anno 1179. pro regio titulo, quas ad cap. 2. hujus operis §. 5. exposui: ad Alexandrum ipsum in solio Petri sublimatum Alfonsus suas jussit congratulatum: *Sanctissimo Patri, & Domino summæ Apostolicæ Sedis, per Dei gratiam Pontifici Alexandro, Alfonsus eadem gratia Portugalensium Rex, quod devotissimus filius optimo Patri.* Quodnam illustrius monumentum? Nonne anno 1163. Monasterii Alcobatiensis privilegia firmavit Alexander? Nonne eodem S. Crucis Colimbriensis? Nonne Avisiensem Militiæ Ordinem anno 1162. à Venerabili Rege institutum confirmavit? Infinitus essem, imo fastidiosus, si tot Alexandri III Romani Pontificis diplomata in Lusitaniæ Regno promulgata, & accepta referrem, quæ hujus historiæ volumine continentur. Quis umquam Victoris IV. Paschalis III. aut Callisti III. sive IV. literas in Lusitania vidit? Quis horum Antipaparum legatos id temporis per Lusitaniam audivit? Vidit, aut audivit Germania; non Lusitania. Suos equidem misit Alexander III. Hyacinthum, Albertum, & Odonem Cardinales, quorum memoria apud Hispanos omnes asservatur. Testatur Historia Monasterii de Refloriis, testatur Concilium Salmanticense de quo Cardinalis de Aguirre tom. 5. Conciliorum anno incerto; Ordinis Militiæ S. Jacobi instituta testantur, & alia apud Natalem Alexandrum sæculo 12. cap. 2. art. 7. & 8.

Surius tom. 3. die 26. Junii apud Eminentissimum Annalium Parentem ad annum 1161. n. 4. ait : *Interim vero præsumtibus Carthusianis , ac Cisterciensibus , Alexander Pontifex à Gallis, Hispanis* (quorum nomine Lusitani) *brevi receptus est.* Surio consentiunt omnes Lusitani scriptores , unum si excipias Domnum Rodericum da Cunha Bracarensem Archiepiscopum, qui contrarium expresse non profert, sed ad dubitandum inducit.

Illustrissimus Præsul P. 2. Historiæ Bracarensis Ecclesiæ cap. 17. n. 10. ait Godinum Canonicum Regularem Monasterii de Balneo à Clero, populoque de Venerabilis Regis Alfonsi consensu Bracarensem Archiepiscopum electum Romam petiisse confirmandum, quo accedens à Callisto III. sive IV. fuit consecratus , ab ipso pallium suscepit, & obtinuit veniam ad sacra Hierosolymitana visenda loca , antequam patriam repeteret. Si Godinus à Callisto vere fuit ordinatus, & pallio exornatus ; en Hispaniarum Primas Lusitanus , & Bracarensis Ecclesia Lusitani regni illustris portio in suo Pastore Antipapæ Callisto III. adhæsit, eum ceu legitimum Pontificem habuit, & ab Alexandro III. defecit ? An Rodericus da Cunha suæ Ecclesiæ Pastorem, ac Prædecessorem à Callisto ordinatum non incusaret , si Callistum Pseudo-Pontificem crederet ? non incusat, non arguit, nec condemnat: ergo probat , & annuit.

Illustrissimi scriptoris pace dicam Godinum non à Callisto, sed ab Alexandro III. & ordinationem, & pallium suscepisse. Post annum 1176. quo fuit electus, Romam ivit: anno 1177. & 1178. ineunte Romæ commorabatur : quo tempore Callistus III. sive IV. Alexandrum III. jam venerabatur, & Pseudo Pontificatum suum deposuerat. Eminentissimus Annalium Parens ad annum 1177. & Conciliorum Collectores hoc anno inter Fridericum, & Alexandrum pacem tenent fuisse confectam in Concilio Venetiis hac de causa celebrato, indeque Callistum schisma quoque sequenti anno abjurasse , & ab Alexandro

tanta benignitate fuisse susceptum, ut familiaritate, & mensa illum dignaretur; teste Romualdo Salernitano Archiepiscopo in Chronico Auctore coævo, qui Concilio Veneto interfuit: „Anno Dominicæ Incarnationis, *ait* „ *Romualdus*, millesimo centesimo septuagesimo octavo, „mense Augusti, undecima indictione, tertia die ante fi- „nem mensis ejusdem, videlicet in festo Decollationis „ S. Joannis Baptistæ, Joannes de Struma, qui & a suis „ Callistus appellatus est; reatum suum agnoscens, mon- „tem Albanum deseruit, & apud Tusculanum ad pedes „ Papæ Alexandri cum quibusdam suis Clericis humilis, „ & devotus accessit, & in conspectu Cardinalium, & mul- „ torum se peccasse publice confessus est, dicens: Domine „ Venerande Papa, peccatum meum manifeste confiteor, „ & me auctoritate Imperiali contra Deum, Sanctam Ec- „ clesiam, & vos egisse cognosco, sed nunc reversus ad „ cor delictum meum recolo, & veniam à vestra pieta- „ te deposco, omnem hæresim, & schisma abjuro, & „ vos in dominum, & universalem Patrem totius Eccle- „ siæ devote recipio. Quem Alexander Papa, ut erat pius, „ & humilis, non objurgavit, vel reprehendit, sed secun- „ dum sibi innatam mansuetudinem benigne recepit, di- „cens: Frater, gaudium est super uno peccatore pœni- „ tentiam agente.... De cetero Alexander Papa eum in „ mensa sua honorifice habuit„.

Quod in memoriarum quodam libro Bracarensis archivi Rodericus invenit, exscripsisse se refert; ex suo penu non addidit, neque tulit. Nec illius codicis ea est auctoritas, ut credamus facile, cum plurima alia ibidem aliis misceantur, quæ ex Pseudo Chronicorum decipulis ortum suum duxerunt. Creditu ne est Godinum Virum pium, Alfonso Regi gratum, quem Beatum venerabantur, & appellabant, suæ patriæ Alexandro III. obedientis conscium Antipapæ partibus favisse, & obtemperasse? Per me etiam Godinus à Callisto III. esset ordinatus: non renuam, omitto, libenter dabo. Quis, amabo, certo di-

cat illum scelus suum non purgasse, & pœnitentem Alexandro vero Papæ non adhæsisse? Si Callistus ipse, ejurato schismate, adhæsit, quare alii qui Callisti partibus favebant, non adhærerent? Amplius; quid tunc Godini schisma cum Lusitaniæ regno? An quod Episcopus unus à vero Papa defecerit, totum regnum, tota provinciæ, aut nationis Ecclesia defecisse credenda est? Cardinales quidam, & Clerici Itali ab Alexandro fuere sejuncti, schisma tenuerunt; sed non tota Italia: eodem tempore in Gallicana, & Anglicana Ecclesiis viri quidam erant, qui in neutram partem declinabant, teste Arnulpho Lexoviensi in Epistola ad Cardinales Romanæ Ecclesiæ: Gallicanam tamen, & Anglicanam Ecclesias Alexandrum III. Romanum Pontificem venerantes coluisse est certum quod maxime, & laudat Arnulphus ipse non tantum in citatis literis, verum & in aliis ad Archiepiscopos Anglicanos, quæ incipiunt, *Quanta tempestate laboret Ecclesia.* Rex, Episcopi, Barones, universusque populus Lusitanus Alexandrum legitimum Christi Vicarium, Petrique successorem, non Victorem IV. non Paschalem III. non Callistum III. agnoverunt.

Urgebunt tamen: si Lusitani Episcopi Alexandro III. obedientiam præstabant; cur ab ipso ad Lateranense 3. Concilium non fuere convocati? Concilium istud anno 1179. Romæ in Basilica Lateranensi fuisse adunatum causa prohibendi in posterum schismatis scripserunt Matthæus Paris, Willelmus Tyrius, Rogerius de Hoveden in Anglorum annalibus, & alii bene multi. Ex Hispaniarum provinciis, Toletana scilicet, Tarraconensi, & Compostellana vocati interfuerunt Episcopi, quorum nomina, Sedesque numerantur in ejusdem Concilii subscriptionibus, & actis apud Labeum: ibi nullum invenies Lusitanum Præsulem, non Lamecensem, non Visensem, non Colimbriensem, non Portugalensem, non Bracarensem, non Olysiponensem quorum Sedes florebant: parere igitur aut recusarunt vocati; aut non fuerunt vocati ne recusarent interesse. Cur Godinus

dinus

dinus Bracarensis, qui Romæ aderat anno 1177. quo Concilii convocatio fieri cœpta est, teste Willelmo Tyrio lib.21.de Bello sacro cap. 26. ad annum usque 1179. non est commoratus, sed in patriam abscessit?

Ita arguent; sed Lusitaniæ id temporis eventus argumentum infirmant. Convocati fuerunt Antistites Lusitani; nam ut testatur jam citatus Tyriensis Archiepiscopus Willelmus: *Anno ab Incarnatione Domini* 1178. *cum anno præcedente indicta esset per universum Latinorum orbem Romæ Synodus generalis, ad eamdem Synodum vocati profecti sunt de nostro Oriente.* Si per universum Latinorum orbem indicta est Synodus, ergo & per Lusitaniam in Latinorum orbe circunscriptam. Epistolam ad Episcopos, & Abbates Tusciæ ea de re missam anno 1178. ad Orientales primum, deinde ad aliarum regionum Præsules esse directam credendum est: hujusmodi quippe literas easdem ad universos orbis Christiani Episcopos dari solitas, sola inscriptione mutata, apud antiquitatum Ecclesiasticarum peritos est certum. Bella, quibus Lusitania à Mauris vexabatur, Ecclesiæ quædam recens restauratæ, quarum oves absentem Pastorem non sinebant, seniorum Antistitum ætates, omnia hæc erant, cur Romam non adirent generali orbis Concilio intersuturi. Eborensis Episcopus Suarius, & senio, & ægritudine sic tenebatur anno 1179. ut sequentis initio ab humanis excesserit: Michael Colimbriensis anno 1176. Episcopatu se abdicaverat, & in suo S. Crucis Monasterio vitæ solitudini vacabat. Bermudus vero ejus successor anno 1179. postmodum, quo mense Decembri municipalibus de *Abrantes* subscripsit, fuit electus. Portugalensis Petrus III. anno 1175. obiit; qui successit Ferdinandus anno 1180. in sede sua est confirmatus: quomodo ergo Concilii tempore Romam accederent? Olyssiponensis, Lamecensis, & Visensis Episcopi Ecclesias suas barbaris nuper ademptas relinquerent? oves suas nondum à barbarorum consuetudine liberas, nondum bene instructas desererent? Ea non erat Lusitanorum Episcoporum indoles. Notandum

quoque Michaelem Colimbriensem dum Episcopatum regebat, ad Alexandrum scripsisse literas, quibus ejusdem auctoritatem agnoverat, ut cap. 16. §. 3. scriptum est.

Procuratores suos, & Vicarios misisse conjicio, qui nomine suo probarent, subscriberent, firmarent; quorum tamen nomina licet in subscriptionibus, & actis apud Conciliorum collectores taceantur, silentium istud argumentum negans tanti roboris non erit, ut in contrarium convincamur. Nam ex universo orbe 300. Episcopos interfuisse ait oculatus testis Tyrius Archipræsul Willelmus citato lib. cap. 25. solos 300. Episcopos ex universo orbe fuisse per literas convocatos quis credat? An in universa Ecclesia, pro qua indicta erat Synodus, soli 300. Antistites erant? Concilium Lateranense II. sub Innocentio II. vix elapsis quadraginta annis ante Lateranense istud III. convenerunt mille circiter Episcopi, ut constat ex Abbate Uspergensi, & Othone Frisigensi lib. 7. cap. 33. necesse igitur est dicere plurimos ultra 300. fuisse convocatos, justa tamen causa non interfuisse, aut Vicarios suos misisse, quorum etiam nomina desiderantur. Si isti schismatis non accusantur, quare absentes accusabuntur Lusitani?

Ulterius: quis umquam Lusitanos dixit Petri Leonis, qui Anacletus II. dici voluit, fautores, & factiosos, quod ad Lateranense II. Concilium anno 1139. non confluerent? aut in actorum subscriptionibus non inveniantur? Innocentius II. qui Petrum adversarium habuit Antipapam, à Lusitanis habitus est in veneratione, ei omnes parebant; teste S. Bernardo in Ep. 126. *Taceo multitudinem ceterorum, Tusciæ, Campaniæ, Longobardiæ, Germaniæ, & Aquitaniæ, Galliarum denique, & Hispaniarum omnium.... hi omnes unanimes, non conducti pecunia, non seducti fallacia, non illecti privato carnis, vel cognationis amore... sed Dei proculdubio voluntate, sicut non ignorantes, ita nec dissimulantes Petrum Leonis ingenue refutaverunt, ac securi Gregorium in Papam Innocentium II. susceperunt.* Attende Bernardi verba: *Hispaniarum omni-*

um. Vix Joannes Peculiaris Bracarensis Antistes, qui id temporis pallii suscipiendi causa Romæ erat, illi venerabili Patrum Consessui interfuit; ejus tamen nomen in actorum subscriptionibus deest, unde adfuisse agnoscamus, nec sciremus, nisi aliunde Joannis ipsius historia commonstraret. Itaque ex subscriptionum defectu Episcoporum Vicarios, aut Procuratores ad Lateranense III. non confluxisse quis credat? De Godino satis jam dicta sunto.

Advertendum denique Alexandrum III. ab omnibus Europæ Regibus, ac Principibus verum Papam cognitum fuisse, excepto Friderico Imperatore, qui cum quinquaginta Episcoporum, faventibus Senatoribus, & nobilibus Romanis ipsi addictis Octavianum Pontificiis vestimentis, quæ per vim iste Alexandro eripuerat, ornarunt. Agnoverunt, ac venerati sunt Galli, & Angli: Anglis, & Gallis Lusitani quoque jungerentur, utpotequi eo tempore mutuum fœdus pace, ac bello inierant, ritus, mores immiscuerant. Quid Lusitania cum Friderico?

DISSERTATIO IV.

Utrum Idacius Episcopus Emeritensis, & Ithacius Ossonobensis fuerint ab Episcopatu ejecti, quod Priscillianistas exagitaverint?

THesim hancce Lusitano idiomate in Academiæ consessu exposui brevi in lucem publicam in Academiæ ipsius operum collectione prodituram; sed latino fere Europæ gentium communi sermone Historiæ Lusitanæ, cujus partem esse nemo nesciet, adjungam necesse sit.

Idacius Emeritensis, ac Ithacius Ossonobensis fuerunt ab Episcopatu ejecti.

Non immoror in Emeritæ civitatis veteris Lusitaniæ situ exponendo, aut Ossonobæ in Algarbio, quarum Episcopi ex-

titerunt Idacius, & Ithacius; alibi satis dictum; nec crambem recoquere opus est; ad facti quæstionem tantum accedo. Severus Sulpicius, qui floruit 5. sæculo ad finem lib. 2. Historiæ sacræ horum Præsulum factum posterorum memoriæ commendavit. Scripsit utrumque tum in Cæsar-augustana Synodo, tum apud Imperatorem Gracianum, tum Romæ apud S. Damasum Summum Pontificem, tum Mediolani apud D. Ambrosium ejusdem urbis Episcopum, tandem apud Maximum Imperatorem tyrannum Hæreticos Instancium, Salvianum, Helpidium, ac Priscillianum agitasse, accusasse, ac damnasse: quapropter aut exilio, aut morte pœnas dederunt, & publicum luerunt scandalum, quo Hispanias, Gallias, & Italias infecerunt. Priscillianus, Felicissimus, Armenus, Latronianus, & Euchrocia gladio truncati sunt, Instancius, & Tiberianus ad Insulam Silinam, aut Sorlingam in Britania, Tertullus, Potamius, & Joannes in Gallias relegati.

Non tantum Sulpicius de Priscillianistarum accusatoribus Idacio, ac Ithacio scripsit, verum & alii aut coævi, aut non longe dissiti: in cathalogo de Scriptoribus Ecclesiasticis ad annum 392. scripto ait Hieronymus: *Priscillianus Abilæ Episcopus, qui factione Hylatii, & Ithacii Treveris à Maximo tyranno cæsus est.*

S. Prosper Aquitanus scriptor sæculi 5. Mag. P. Augustini, & Magni Leonis coætaneus inquit in chronico: *Ithacius, & Ursacius Episcopi ob necem Priscilliani, cujus accusatores fuerant, Ecclesiæ communione privantur.* Quamvis Garnerius Jesuita in Dissertat. 3. ad opera Marii Mercatoris hujusmodi chronicon Prosperi genuinum opus non esse censuerit, & alteri auctori cognomini adjudicaverit. Garnerii judicium inane esse convincunt Victor Aquitanus Prospero eidem coævus, ac conterraneus in Præfatione Cycli Paschalis ad Hilarum tunc Romanæ Ecclesiæ Diaconum, Cassiodorus lib. de Institutione Divinarum literarum cap. 17. & Isidorus Hispalensis lib. 6. Originum cap. 17.

Ipſemet Iſidorus de Viris Illuſtribus Proſpero adhæſit : *Ithacius Hiſpaniarum Epiſcopus cognomento Clarus . . . cum Urſacio Epiſcopo ob necem ejuſdem Priſcilliani, cujus accuſatores extiterant, Eccleſiæ communione privatus exilio condemnatur, ibique diem ultimum obtinuit.*

Alii rigidioris critices ſunt opinati Urſacium, de quo Proſper, & Iſidorus, non eſſe Idacium Emeritenſem Epiſcopum, & nullo alio nixi fundamento, quam vocali nominum varietate Luſitaniæ Metropolitam de crimine, & pœna liberant, quibus apud alios inuruntur. Quid? mirum ne eſt eſſe binominem? Quot in Sacra Scriptura exempla? Sacerdos ille filius Achitob, ad quem David à Jonatha amico ſuo admonitus de malo Saulis in ipſum animo venit 1. Reg. cap. 21. v. 1. &c. Achimelech dicitur, & à Marco in Euangelio cap. 3. v. 62. Abiathar appellatur. Joachim Rex Juda aliquando Eliacim, aliquando Joachim dicitur: Zorobabel etiam in lib. 1. Eſdræ cap. 1. Saſſabazar nominatur. Alia plurima omitto non tam apud ſacros ſcriptores, quam profanos. Nonne Julium Imperatorem Cæſarem potius nominant, quam Julium? Neronem potius quam Domitium? Auguſtum quam Octavianum?

Licet Proſper, ac Iſidorus referant ſocium Ithacii in Priſcilliano accuſando fuiſſe Urſacium, quem Hieronymus Hylatium vocat, rerum eventus, & hiſtoria ipſa demonſtant, Urſacium, aut Hylatium eundem fuiſſe Emeritenſem Idacium, de quo egit Sulpicius. Hic, qui diffuſiori calamo factum iſtud exſcripſit, inter Priſcilliani accuſatores alios non meminit, neque numerat, niſi Emeritenſem Idacium, ac Suſſobenſem Ithacium: hi tantum Priſcillianos exagitarunt: Proſper, & Iſidorus affirmant Priſcillianiſtarum accuſatores Eccleſiæ communione eſſe privatos, ac in exilium miſſos: igitur ſi Idacius, & Ithacius tantum erant accuſatores; conjectandum ſupereſt Urſacium, ac Hylatium Ithacii ſocium eumdemmet eſſe Idacium, de quo Sulpicius.

Advertendum ſane eſt ad hujuſmodi ſcriptorum verba Hieronymi : *Factione Ithacii, & Hylatii.* Proſperi, &

Isidori : *Ithacius, & Ursacius Episcopi ob necem Priscilliani, cujus accusatores fuerant.* Fleury Auctor Gallus in Historia ad annum 380. fatetur Hieronymum loqui de Ithacio, & Idacio : in eadem sententia fuit Marianna de rebus Hispaniæ lib. 4. cap. 20.

Idemmet Severus Sulpicius Dialogo 3. de virtutibus S. Martini, ait Theognostum Episcopum, cujus Ecclesiam, & Diœcesim ignoramus, Ithacianos condemnasse : *Interea Episcopi* (Ithaciani) *quorum communionem Martinus non inibat trepidi ad Regem concurrunt prædamnatos se esse conquerentes actum esse de suo omnium statu, si Theogonosti pertinaciam, qui eos solum palam lata sententia condemnaverat, Martini armaret auctoritas.* Damnatio ista facta est anno 386. postquam Ithacius, & Idacius ad Maximum causam detulerunt, & ab Evodio Galliarum Præfecto gemino judicio fuerat auditus Priscillianus, & capite plexus. En clarissimum testimonium de Ithacianorum pœna.

Verum præter hanc damnationem, à qua Ithaciani in Concilio Trevirensi anno 386. Maximi jussu convocato, fuere absoluti, & liberi, existimant alii ultimo fuisse Mediolani damnatos, & ab Ecclesiæ communione privatos, ut aiunt Prosper, & Isidorus. Quis nesciat in Ecclesiæ annalibus versatus anno 390. ea in civitate adunatum Concilium, cui interfuerunt Ambrosius ejusdem Episcopus, Sabinus Placentinus, Evencius Cenetensis, Maximus Emonensis, Felix Iadrensis, Bassianus Laudensis, Theodorus Octodurensis, Constantius Arausicanus, & alii, quorum sedes non memorantur. Propter hæresim Joviniani, & Helvidii, quæ id temporis grassabatur, præsertim adunati sunt Patres.

Ast eruditus Fleury ad annum 390. tenet eo in Concilio, aut proximiori, cui adfuerunt Galliarum Episcopi, Ithacianorum fuisse firmatam damnationem, quæ præcedenti anno fuerat prolata. Fleury sententiæ annuit Clarissimus Hermily tom. 1. Histor. General. Hispaniar. ad annum 388. Nec mihi displicet, imo teneo, & sapientissimorum Bene-

dictinorum Congregationis S. Mauri auctoritate comprobo, & ostendo. Eruditissimi Viri in vita S. Ambrosii ab ipsismet edita tom. 2. operum ejusdem n. 112. inquiunt jussu Imperatoris Theodosii Mediolani Patres convenisse de Ithacianorum causa acturi. Addunt quoque ad istud Mediolanense Concilium respexisse Taurinense anno 397. can. 6. quo mentio fit Ithacianorum. & Ambrosii literarum, quæ nunc non extant. En Taurinensem Canonem: *Illud præterea decrevit sancta Synodus, ut quoniam legatos Episcopi Galliarum, qui Felici communicant, destinarunt, siqui ab ejus communione sequestrare voluerint, in nostræ pacis consortium suscipiantur juxta literas venerabilis memoriæ Ambrosii Episcopi, vel Romanæ Ecclesiæ Sacerdotis, dudum latas, quæ in Concilio legatis præsentibus recitatæ sunt.* Nota cum Baronio Eminentissimo ad annum 386. n. 28. Felicem illum cum Ithacio communicasse, & ab Ithacianæ factionis Episcopis fuisse ordinatum Trevirensem Antistitem, per pœnitentiam tamen facinus suum purgasse; dignus propterea, ut inter Sanctos numeraretur.

Contra tamen objiciunt Severum Sulpicium Auctorem Synchronum lib. 2. Historiæ Sacræ: *Ithacius in jurgiis solitus ad postremum convictus, in eos retorquebat, quorum id mandato, & consiliis effecerat: solus tamen omnium Episcopatu detrusus. Nardacius licet minus nocens sponte se Episcopatu abdicaverat.* Secundum Sulpicium solus Ithacius fuit ejectus, Nardacius vero, aut Idacius sponte renuntiavit. Eruditus Tillemont tom. 8. Historiæ Ecclesiasticæ art. 13. de Priscillianistis Sulpicium sequitur, ex Sulpicio Prosperi, & Isidori sententiam corrigit, Idacium Emeritensem è vivis jam sublatum ante Priscilliani necem existimat. Sulpicio se adhærere inquit, quod in Priscillianorum causa testis fuerit oculatus. Tillemontii eruditionem, & sapientiam agnosco, & veneror; ast in præsentia ab eo recedam, Prosperi, & Isidori vestigia sequar.

Dicere non renuam ex Sulpicii Historia inferri Nardacium, aut Idacium simul cum Ithacio fuisse detrusum, aut

ejectum, sed Idacium minus nocentem depositionis sententiam suscepisse, & se abdicasse; Idacium vero convictum repugnasse, & in eos retorsisse, quorum id mandato, & consiliis effecerat. In veteri Sulpicii editione Coloniæ Agrippinæ inter ea verba: *Detrusus Nardacius*: dividendæ, secandæque periodi nullum signum, aut notam quisquam inveniet; & ita legitur: *Detrusus Nardacius licet minus nocens*. Unde Prosper, Isidorus, & veteres Sulpicii ejusdem sensum explicant, & declarant, à quo Tillemontius Prosperum, & Isidorum corrigendos fore judicavit.

Prosperi, & Isidori sententiam, ac veterem Sulpicii editionem juxta illorum placitum retinendam tam illustrium, ac veracium scriptorum indoles indicat. Prosper Aquitanus, qui ab ineunte sæculo 5. usque ad medium floruit, ignoraret ne, quæ in Galliarum Conciliis sæculo exeunte 4. obvenerant? rem ne à coævorum memoria nondum remotam posteris traderet tot nævis, de quibus facile argueretur ab iis, qui testes fuerant oculati, & recordabantur? Isidorus ne Hispaniarum rebus apprime instructus, non procul ab Emerita, cujus Præsules audivit, & in tot Hispaniensibus Conciliis socios habuit, nesciret Metropolitæ Lusitaniæ Idacii exitum? Illustrissimum Antistitem damnaret, quin successores innocentem extollerent, & vindicarent? Ex Emeritensis Ecclesiæ diptychis, quæ id temporis integra servabantur facile convinceretur Hispalensis Episcopus, si Idacius cum Ithacio ab Ecclesiæ communione non esset privatus.

Nec obstat, quod in veteri Sulpicii editione Nardacius legitur, non Idacius, aut Ursacius: quamvis Tillemontius ipse alias recentiores alleget, quæ pro Nardacio tenent *Idacius*: attamen frequentiores, imo & correctiores servant aut *Nardacius*, qui parum differt ab Ursacio, aut *Ursacius*, ut ipse fatetur nota 11. de Priscillianistis. Conjicio veteres scriptores de Idacio agentes Ursacium aliquando nominasse, aliquando Nardacium, aliquando Hylatium fotasse errorem vetituros, in quem tot Idaciorum causa posteriores

ſteriores inciderent plures in uno confundentes. Hinc deceptus eſt Tritemius Abbas Spahemenſis in Cathalogo de Scriptoribus Eccleſiaſticis pag. 39. qui propter idemmet nomen Ithacium Oſſonobenſem cum Idacio Lemicenſi confudit; cum iſte in Gallæcia ſæculo 5. in Simplicii Pontificatu floreret, ut videre eſt in ipſius Chronico, & Faſtis Conſularibus, ubi memorantur quæ longe poſt Priſcillianum evenerunt uſque ad Conſulatum Mariniani, & Aſclepiodoti, quibus Conſulibus Honorius Auguſtus Ravenæ ultimum diem clauſit.

Inquit Tillemontius ante Priſcilliani necem obiiſſe Idacium: ſed non probat: imo ex Hieronymi auctoritate: *Qui factione Ithacii, & Hylatii Treveris cæſus eſt*, utrumque in hæretici ſupplicium influxiſſe convincitur. Idacium Emeritenſem ſimul accuſat jam citatus Marianna: *Hos Idacius Emeritæ civitatis Præſul Hieronymi laude nobilis exagitandos* (Priſcillianos) *cum ſuſcepiſſet, vulnus recruduit: latiuſque ſerpſit malum, quod contrectatum cautius fortaſſis curationem recepiſſet.* Poſt Concilium Burdigalenſe Idacii nomen tacuit Sulpicius, nec amplius illum memorat cum Ithacio: ſilentium tamen iſtud, ni fallor, indicat Ithacium præcipuum Priſcilliani fuiſſe accuſatorem, Idacium minus nocentem, quamvis etiam exagitaret.

Addit Tillemontius nota 11. jam citata in ea privatione ab Eccleſiæ communione, de qua Proſper, & Iſidorus, depoſitionem poſſe non contineri: quod non renuo, ſi depoſitionem ille velit, quam Theologi, ac Canoniſtæ degradationem realem, aut actualem dicere conſueverunt: ſi verbalem intelligat, ab officio ſcilicet Epiſcopali privationem, diſſentiam quidem. Si Urſacius ab Eccleſiæ communione cum Ithacio erat privatus, quare non ab Epiſcopali munere? cum iſtud ſine altaris miniſterio non valeat adimpleri ſecundum Innocentium III. cap. ex literis 10. de Exceſſibus Prælatorum.

Variæ erant excommunicationis ſpecies. Prima an-

tiquis usitatissima, qua Episcopi Collegarum, & Coepiscoporum charitate, & communione Ecclesiastica privabantur, à mutua abstinebant visitatione, solemnium in Collegarum Diœcesi, dum in ea morabantur, celebratione, literarum formatarum reciproca missione, & acceptatione; in Conciliis denique auctoritate, suffragiis, & consessu. Ex Concilio Arelatensi Can. 19. & Tarraconensi Can. 6. hujus excommunicationis pœnam incurrebat Episcopus, qui sine justa causa ad Provinciæ Synodum non accesserat. Secunda etiam frequens apud antiquos in nuda communionis subtractione, aut denegatione posita erat: ita S. Epiphanius Salaminæ Episcopus Joanni Hierosolymitano nullo titulo sibi subdito communionem denegavit. Tertia tandem, quâ quis omnino à corpore Ecclesiæ abscinditur, habeturque sicut ethnicus, & publicanus. Ithacianos tertia excommunicationis specie fuisse damnatos indicat Canon. 6. Concilii Taurinensis, quo consortium pacis conceditur iis, qui se à Felicis ab Ithacianis ordinati communione vellent sequestrare. Amplius: Ithacius tertia excommunicationis specie fuit irretitus: ergo & Idacius, seu Ursacius; de quo sine differentia loquitur Prosper: *Ithacius, & Ursacius Episcopi communione Ecclesiæ privantur.*

Instant, & quidem fortius: quo jure Galliarum, & Italiæ Episcopi in Lusitaniæ Præsules hanc depositionis sententiam protulerunt? juxta veterem Ecclesiæ disciplinam tot juribus stabilitam apud Gratianum causa 6. quæst.4. & antiquo Codice Canonum Hispaniensis Ecclesiæ apud Caetanum Cennium tom. 1. Episcopi de crimine accusati à ceteris suæ provinciæ debebant judicari in provinciæ Synodis, quæ secundum Canonem 5. Concilii Nicæni bis in anno celebrabantur. Quid Galliarum, & Italiæ Episcopis erat cum Lusitanis? Argumentum quidem non esset inerme, si Summus Pontifex Siricius, ad quem utpote universæ Ecclesiæ Pastorem hujusmodi causæ deferebantur, vices suas Mediolanensi Synodo non committeret per li-

teras, quas Taurinenſis Concilii Patres præ oculis habuerunt.

Quærunt tandem quodnam ſit monumentum, quo Idacius ille Priſcilliani accuſator Luſitaniæ Metropolita dicatur? Sulpicius Ithacium vocat Epiſcopum Soſſubenſem: Idacium licet Epiſcopum nominet: *Sequuti accuſatores Idacius, ac Ithacius Epiſcopi*: Sedem, & Eccleſiam tacuit, emeritæ ætatis Sacerdotem appellavit: *Quo Adyginus Epiſcopus Cordubenſis ex vicino agens comperto ad Idacium emeritæ ætatis Sacerdotem retulit.* Reſpondeo in editionibus Sulpicii correctioribus legi: *Ad Idacium Emeritæ civitatis Sacerdotem.* Præterea Idacium illum, ad quem Adyginus Cordubenſis retulit Priſcilliani cauſam, fuiſſe Emeritæ Præſulem oſtenditur ex ſubſcriptionibus Concilii Cæſar-auguſtani anno 380. pro Priſcillianiſtis damnandis convocati, cui Idacius Emeritenſis interfuit.

Tillemontius tom. 8. art. 5. fatetur Idacium, qui ultimo loco Cæſar-auguſtanæ Synodo ſubſcripſit ipſummet fuiſſe, qui præcedenti anno Priſcillianos exagitaverat, quem ad finem art. 4. vocat Emeritenſem Epiſcopum, & Luſitaniæ Metropolitam. Dubitat tamen, cur ultimo loco antiquus Præſul, Archiepiſcopus, & Metropolita ſederit, & ſubſcripſerit. Advertant, quæſo, qui cum Tillemontio dubitant, legant tot venerabiles Patrum conſeſſus, ubi ſecundum ordinationis tempus, non pro Eccleſiarum dignitate, aut præeminentia ſedebant, uſque ad Concilium Bracarenſe 2. quod Can. 6. decrevit ut poſt Metropolitam reliqui Epiſcopi in ſedendo ordinationis tempus obſervarent. Primis Eccleſiæ ſæculis quodlibet ambiendi honoris ſignum veteres Patres abhorrebant. Quamobrem S. Gregorius Nazianzenus Orat. 18. ait: *Utinam autem ne ullius quidem Sedis principatus eſſet, nec ulla loci prælatio, nec tyrannica prærogativa, ut ex ſola virtute cognoſceremur.*

Nec novum fuerat, quod Idacius Emeritenſiis loco duodecimo poſt Ithacium Oſſonobenſem Cæſar-auguſtano

Concilio subſcriberet: nam Liberius Emeritenſis quoque Epiſcopus decimoquinto loco poſt Vincentium Oſſonobenſem, & alios in dignitate Emeritenſi Præſule inferiores Eliberitano Concilio ſubſcripſit. Aut Eliberitani tempore per Hiſpanias erant Metropolitæ juxta Can. 58. ejuſdem Concilii, aut nondum erant ex D. Ferdinando de Mendonça ad ipſum Can. Si erant: en adducto Liberii exemplo Tillemontii dubium evaneſcet: ſi non erant, neque etiam anno 380. quo Cæſar-auguſtana Synodus convocata fuit; nam primum, ac certum monumentum, quod de Metropolitis oſtendent, erit Epiſtola Siricii Papæ ad Epiſcopos provinciarum Bæticæ, Carthaginenſis, Luſitanæ, & Gallæciæ ſcripta poſt annum 384. quo ad Summum Pontificatum evectus eſt. Quo admiſſo, quis mirabitur Idacium veluti Luſitaniæ quemdam Epiſcopum, & non Metropolitam, ultimo loco ſediſſe, & ſubſcripſiſſe?

An juſte fuerint depoſiti Idacius, & Ithacius alibi diffuſius diſſerui. Defectus lenitatis Sacerdotalis erat, cur in eos ceteri Patres inveherentur. De iis ſcripſit Sulpicius: „Ithacius, & Idacius Epiſcopi, quorum ſtudium in expugnandis hæreticis non reprehenderem, ſi non ſtudio „vincendi, pluſquam oportuit, certaſſent ... eo ſtultitiæ „proceſſerat (Ithacius) ut omnes etiam Sanctos Viros, „quibus aut ſtudium inerat lectionis, aut propoſitum erat „certare jejuniis, tamquam Priſcilliani ſocios, aut diſcipulos in crimen arceſſeret„. Sulpicius ipſe refert Dialogo 3. de virtutibus S. Martini Turonenſis Martinum cum illa Ithacianæ partis communione caviſſe miſceri, & cum quoſdam ex energumenis tardius quam ſolebat, & gratia minore curaret, ſubinde cum lacrymis fateri ſe propter communionis illius malum, cui ſe vel puncto temporis neceſſitate, non ſpiritu, miſcuiſſet, detrimentum ſentire virtutis. S. Ambroſius in Epiſtola 26. Ithacianos Phariſæis adulteræ in Evangelio accuſatoribus ſimiles fuiſſe ait. Tandem Latinus Pacatus Vir Ethnicus Romæ in Panegyri ad Theodorum Auguſtum anno 391. de ipſis

ita loquitur: *Fuit delatorum genus, qui nominibus Antistites, revera autem satellites, atque adeo carnifices .... calumniabantur in sanguinem.*

DISSERTATIO. V.

Utrum ad sæculum usque duodecimum circa matrimonia in gradibus prohibitis fierent dispensationes.

ROmanos Pontifices potestatem universam Ecclesiam regendi, Ecclesiasticas ferendi leges, Œcumenica Concilia adunandi, iis præsidendi, temperandi Canones, dispensandi ve semper habuisse testatur Scriptura Sacra 21. Joannis, ubi dictum est Petro, & ejus successoribus: *Pasce oves meas*, & Matthæi 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam ... tibi dabo claves Regni Cælorum: & quodcumque ligaveris super terram &c.* Testantur & Patres, quorum unus Mellifluus Bernardus sæculo 12. aliorum omnium sententiam ad Eugenium III. lib. 2. de Consideratione cap. 8. exposuit: „Quis es? Sacerdos Magnus, Summus Pontifex. Tu Prin- „ceps Episcoporum: tu hæres Apostolorum: .... Nec mo- „do ovium, sed & Pastorum omnium tu unus Pastor. „Unde id probem quæris? ex verbo Domini. Cui enim, „non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum, sic ab- „solute, & indiscrete totæ commissæ sunt oves? Si me „amas, Petre, pasce oves meas. Quas? illius, aut illius „populos civitatis, aut regionis, aut certi regni? Oves „meas, inquit. Cui non planum, non designasse aliquas, „sed assignasse omnes? Nihil excipitur, ubi distinguitur „nihil„.

Amplissima hac potestate sibi collata licet gauderent semper Romani Pontifices, nihil eis erat antiquius quam veteres Canones observare, ac in praxim redigi jubere. Sic Zozimus Papa in Epistola 6. ad Aurelianum data scribit: „Cum adversus Patrum statuta venitur, non

„ tantum illorum prudentiæ, atque ſententiæ, qui in æ-
„ vum victura ſanxerunt, ſed ipſi quodammodo Fidei,
„ & Catholicæ Diſciplinæ irrogatur injuria. Quid enim
„ tam ſanctum, & venerabile eſt, quam penitus non ex-
„ orbitare ab itinere Maiorum, quorum Canonica inſti-
„ tuta velut quædam fundamenta ſunt ferendis jacta pon-
„ deribus„? Sic Bonifacius I. ad Hilarum Narbonenſem Epiſt. 3. *Quod nequaquam poſſumus ferre patienter: quia convenit nos paternarum ſanctionum diligentes eſſe cuſtodes.* Sic, omiſſis Hormiſda, Agapeto, Gelaſio I. & Magno Gregorio id ipſum decernentibus, Eugenius III. hoc ſæculo de quo agimus, in Epiſtola 8. ad Germaniæ Epiſcopos loquebatur: *Contra Deum autem, & Sacrorum Canonum ſanctiones nulli omnino petitioni poſſumus præbere conſenſum.*

Et quid à primis Eccleſiæ ſæculis ſecundum Canones magis prohibitum, quam inter conſanguineos matrimonium? Prætermitto Epiſtolas Calliſti I. Fabiani, & Julii, quas collegit Gratianus cauſa 35. quæſt. 2. & 3. utpote ſpuriis, & apochriphis ab omnibus eruditis abjudicatas: ad certiora monumenta veniamus. Magnus Parens Auguſtinus lib. 15. de Civitate Dei cap. 16. : *Verum quis dubitet* (ait) *honeſtius hoc tempore etiam conſobrinorum prohibita eſſe conjugia? non ſolum ſecundum ea quæ diſputavimus, propter multiplicandas affinitates, ne habeat duas neceſſitudines una perſona... Sed etiam quia neſcio quo modo ineſt humanæ verecundiæ quiddam naturale, atque laudabile, ut cui debet cauſa propinquitatis reverendum honorem, ab ea contineat.* Ambroſius Epiſtola 60. alias 48. ad Paternum inquit: *Theodoſius Imperator etiam patrueles fratres, & conſobrinos vetuit inter ſe conjugii convenire nomine, & ſeveriſſimam pœnam ſtatuit ſiquis temerare auſus fuerit fratrum pia pignora.* Legem à Theodoſio latam ne inter conſobrinos inirentur connubia, laudat Aurelius Victor in Theodoſio, eamque fortaſſe indicat Auguſtinus ſupra citatis verbis: *Hoc tempore con-*

sobrinorum probibita esse conjugia: desideratur tamen hæc lex in utroque Codice, & Theodosiano, & Justinianeo. Patres Concilii Agathensis anno 506. Can. 61. inquiunt: *Hos incestos esse censemus, siquis consobrinæ suæ se sociaverit.* Idem prohibuit Concilium Turonense 2, anno 567. Can. 21.

Magnus Gregorius labente sæculo 6. ad S. Augustinum Anglorum Episcopum scripsit: *Terrena lex in Romana Republica permittit, ut sive sororis, seu duorum fratrum germanorum, vel duarum filius, & filia misceantur, sed experimento didicimus, ex tali conjugio sobolem non posse succrescere, & sacra lex probibet cognationis turpitudinem revelare.* Cum ipsis tamen Anglis recens ad Fidem conversis dispensavit Gregorius, ut in quarto gradu conjuncti sanguine possent inter se inire conjugia, quod ad ceteros fideles noluit extendi, sicut ipse scripsit Epistola 17. lib. 14. ad Felicem Messanæ civitatis Episcopum: sed communem eorum temporum disciplinam circa alios illibatam reliquit, ut ad septimam usque generationem propinqui contrahere nuptias prohiberentur. Nicolaus II. anno 1059. Romæ Concilium habuit, cui interfuerunt 113. Episcopi, & in eo statutum est Can. 11. ne matrimonia fierent inter consanguineos ad septimam usque generationem.

Hæc erat ante duodecimum sæculum circa consanguineorum matrimonia disciplina, in qua raro admodum dispensare solitam fuisse Ecclesiam fatetur Eruditus Van-Espen P. 2. tit. 14. cap. 1. de Dispensat. Matrimon. Ægre enim Patres à fixis semel regulis, sive Canonibus recedi permittebant. Idcirco Alexander III. anno 1171. nuptias inter Urracam Venerabilis Regis Alfonsi Henrici filiam, & Ferdinandum II. Legionis Regem sanguine conjunctos irritas declaravit. Cælestinus III. 1195. connubium Tharasiæ Sanctii I. Lusitaniæ Regis filiæ cum Alfonso Legionensi. Innocentius III. Mafaldæ ejusdem Sanctii I. filiæ cum Henrico I. Castellæ connubium nullum habuit.

Prætermitto nuptias Mathildis Lusitanæ Flandriæ Comitissæ cum Odone III. Burgundiæ Duce consanguineo à Cælestino III. irritas: Fulbertus Cameracensis Episcopus matrimonium Almarici Comitis Hannoniensis cum Isaaci Cameracensis Comitis filia noluit dispensare, sed separavit: ita Baldricus Tornacensis Episcopus in ejusdem Ecclesiæ Chronico. Almaricus Hierosolymorum Rex Agnetem Joscelini Edessani Comitis filiam quarto sibi gradu conjunctam coactus est abjurare: prætermito & alia, sæculo 12. & antea non ignota. Uxores tamen sic nuptas viris non licebat repudiare, nisi Episcoporum Concilium causam examinaret. Ita Alexander II. Papa anno 1067. ad Guillelmum de Monstrolio: *Multorum relatione cognovimus, te propriam velle abjicere uxorem, & adhærere alteri, prætendentem consanguinitatis occasionem. Unde Apostolica auctoritate interdicendo mandamus tibi, ut hanc, quam nunc habes uxorem, nullatenus præsumas dimittere, vel aliam ducere donec Episcoporum religiosorum Concilium causam istam examinaverit.* Tharasiæ Legionis Reginæ causam in Concilio Salmantino examinarunt Episcopi Lusitani, & Legionenses; Mafaldæ vero Munio Burgensis Episcopus, & Tello Palentinus; ut alibi est dictum.

Verum Clarissimus ille vir Cassiodorus ex Senatore Monachus, qui sæculo 6. floruit, inter consobrinos suo tempore celebrari matrimonia ex Principis dispensatione inquit lib. 7. Variarum formula 46. *Qua consobrina legitima fiat uxor.* Ait ille: *Hoc prudentes viri sequentes exemplum, longius publicam observantiam posteris transmiserunt reservantes Principi tantum beneficium consobrinis nuptiali copulatione jungendis.* Cassiodori dictum exponam. Hic de Gothorum imperio loquitur, quorum dignitates sexto, & septimo Variarum libro meminit. Cassiodori tempore Arcadii lex illa *Celebrandis* 19. Cod. Justinianeo de nuptiis: *Celebrandis inter consobrinos matrimonia licentia legis hujus salubritate indulta est*: Romano Imperio erat

erat in observantia *revocata prisci Juris*, Theodosianæ scilicet legis, *auctoritate*, Gothi eandem didicerant; sed ipsorum magnates consobrinas ducere non consueverant, nisi Principis beneficium obtinerent. De jure civili non dubitamus, cum Gregorius Magnus supra laudatus mentionem faceret de lege hac terrena in Romana Republica permittente, ut sive fratris, & sororis, seu duorum fratrum germanorum, seu duarum sororum filius, & filia misceantur: de Ecclesiæ lege, & consuetudine disserimus.

Fortasse alicui aliquando impedimentum illud relaxaretur, ut Ambrosio dicebat Paternus citata Epistola: sed cum eodem Mediolanensi Archipræsule dico id communi illius temporis legi non præjudicasse; à qua deviare neque usus, neque consuetudo in Ecclesia, imo repugnantia. Quo interdicto Gallicanos Episcopos, & Franciæ regnum non perculit Gregorius VI. propter matrimonium cum Bertha commatre sua, spirituali cognata? & quid si consanguinea foret? Qua vi non recusarunt Alexander III. Cælestinus III. & Innocentius III. in Lusitanarum Principum connubiis dispensandis? Qua constantia non recusavit Hildebertus Cenomanensis Episcopus de cognationis vinculo dispensare, quamvis causa verteretur eorum, qui opibus multis, & nobilitate multa florebant; quamvis denique conjugio viderentur dissensiones, & bella consopire posse? Raræ tunc temporis erant hujusmodi dispensationes. Ita Hildebertus ipse Epistola 34. apud eruditissimum Ludovicum Thomasinum Part. 2. lib. 3. cap. 29.

Christianus Lupus Augustinianus Eremita de literaria republica optime meritus tom. 4. in can. 11. Concilii Remensis pag. 187. ait sæculo 10. nulla tunc etiam Regia, vel Augusta, licet in sexto dumtaxat, aut septimo sanguinis, vel affinitatis gradu, vel ignoranter contracta, longe minus contrahenda matrimonia dispensari, sed cuncta dirimi juxta rigorem Sacrorum Canonum. Ejusmodi dispensationes adeo tunc ignorare Ecclesiam, ut Francus quidam Roma redux, similem sibi datam asseverans à Gregorio III. Papa, ac ejus

vigore prætendens inire matrimonium, graviſſime omnem Galliam ſcandaliſaverit, & à Bonifacio Epiſcopo id credere recuſante conſultus Zacharias Pontifex reſponderit: *Abſit ut Prædeceſſor noſter hoc ita credatur præcepiſſe. Nec enim ab hac Apoſtolica Sede diriguntur, quæ contraria eſſe Patrum, ſive Canonum inſtitutis reperiuntur.*

Adjungit tamen Lupus hujuſmodi impedimenta primum diſpenſaſſe Innocentium III. erga Othonem IV. Imperatorem, & filiam Philippi, qui ejus erat in imperio ambiendo æmulus ad viam paci, & concordiæ muniendam. Othonis IV.& Philippi pro Germanico imperio horrenda bella quis ignoret? Poſt Philippi cædem lucidum erat Othonis jus, verum Philippi filia obviabat. Hinc omnibus pacificandis Othonicum iſta filia conjugium convenire cenſuerunt imperii proceres, ac Epiſcopi, quin & ipſi Apoſtolicæ Sedis legati, ſed obſtabat quartus conſanguinitatis gradus. Hinc tandem ad totius Imperialis cleri, & populi preces diſpenſavit Innocentius, ea tamen lege, ut duo ampliſſima Monaſteria Otho fundaret, omneque imperium largis eleemoſynis, & ferventibus orationibus iſtud Eccleſiaſticæ diſciplinæ vulnus compenſaret.

Thomaſinus vero jam laudatus primam id genus diſpenſationem à Paſchali II. fuiſſe conceſſam Philippo I. Galliarum Regi, qui Bertradam conſanguinitate ſibi conjunctam duxerat, nec ab ea divelli poterat, etſi anathematum, & interdictorum fulminibus feriretur. Pontifex denique promiſit ſe diſpenſaturum, dum ſe interim à Bertrada ſejungeret, & Rex in ſe quoque recepit ab ea ſe receſſurum, modo diſpenſatio annueretur. Hæc ex Ivone Carnotenſi in Epiſtola ad eundem Pontificem: *Convenimus Balgenciacum ad faciendam abſolutionem Regis, ſecundum tenorem literarum quas ſuper hac remiſerat moderatio veſtra. Convenit enim Rex, & Lateralis ſua, & ſecundum præceptum veſtrum ſacroſanctis Evangeliis tactis, parati fuerunt abjurare abſolute omnem carnalis copulæ conſuetudinem, inſuper & mutuam collocutionem, niſi ſub*

testimonio personarum minime suspectarum, usque ad vestram dispensationem.

Enim vero notandum sit: dispensationes prævias ad matrimonium contrahendum frequentiores fieri ab Alexandri III. & Innocentii III. tempore, qui viam iis ampliarunt. Ante Alexandrum, & Innocentium multæ fuerunt concessæ posteriores male contracti matrimonii toleratrices. Agathense ipsum Concilium postquam consanguineorum connubia prohibuit, subjunxit: *Quod ita præsenti tempore prohibemus, ut ea, quæ sunt hactenus constituta non dissolvamus.* Et de Guillelmo Normandiæ Duce, postea Anglorum Rege, qui cognatam suam Mathildem, Balduini Insulensis Flandrorum Comitis filiam duxerat, fertur in chronico Monasterii Beccensis: *Iratus Rex Guillelmus contra Lanfrancum* (Beccensis Monasterii Monachum) *eum alienavit à sua curia, cujus consiliarius extiterat, quia contradicebat nuptias filiæ Comitis Flandriæ, quam sibi ipse Dux copulaverat matrimonio, quia proximitate carnis, & consanguinitatis jungebantur. Unde auctoritate Romani Pontificis tota Neutria erat supposita interdicto. Quapropter Lanfrancus Romam adiit, quamvis iturus esset occasione cujusdam hæretici Berengarii, & tunc præsidebat Leo VIII. & etiam ut rogaret pro Duce Normannorum, & uxore ejus. Igitur loquutus est cum Papa Nicolao, & ostendit, quod ejus sententia, interdictum videlicet eos gravabat: qui eos nec conjunxerit, nec separare poterat. Nam Dux puellam, quam acceperat, nullo pacto dimittere volebat. Hoc audiens, & verum esse advertens Summus Pontifex, dispensatione habita conjugium concessit, eo tamen modo quatenus Dux, & uxor ejus duo Monasteria construerent, in quibus singulas congregationes virorum, ac mulierum, coadunarent, quæ ibi sub norma sanctæ Religionis die, noctuque Deo deservirent, & pro salute eorum supplicarent.* Ex quibus vides dispensationem posteriorem male contracti matrimonii à Leone denegatam à Nicolao II. concessam fuisse. Plura alia exempla videat,

qui velit, apud Christianum Lupum jam citatum.

Hujusmodi enim impedimenta cum sint ex jure positivo in gradibus consanguinitatis collateralibus nil mirum, quod aliquando dispensentur: de gradibus collateralibus dixi: in quolibet quippe gradu lineæ rectæ ascendentium, & descendentium jure naturali conjugium prohiberi, nec dispensari posse, tenent quamplurimi, & vix in dubium revocari permittit Auctor Collat. Andeg. tom. 2. pag. 270. quamvis alii negent, inter quos est Pontius lib. 7. cap. 31. & 32. Ivonis clarissimi Canonum compilatoris in Epistola 214. verba referam: *Dispensationis modus, qui nulli sapienti displicuit ad sedandas tantas perturbationes in aliquibus admittendus est ..... in dispensationibus Ecclesiasticis, ubi non periclitatur fidei veritas, & morum honestas, quædam instituta temperare debemus, ut tantis Ecclesiæ ruinis subvenire valeamus.* Et in Epistola 65. *Immobiles sunt, quæ Divina lex sanxit, quæ observatæ salutem conferunt, non observatæ eandem auferunt. Mobiles vero sunt, quas lex æterna non sanxit, sed posteriorum diligentia, ratione utilitatis invenit, non ad salutem principaliter obtinendam, sed ad eam tutius muniendam. In his, quibus observatis salus acquiritur, vel in quibus neglectis mors indubitata consequitur, nulla est admittenda dispensatio; sed ita sunt omnia mandata, vel interdicta servanda, sicut sunt æterna lege sancita. In his vero, quæ propter rigorem disciplinæ, vel muniendam salutem, posteriorum sanxit diligentia; si honesta, vel utilis sequatur compensatio, potest præcedere auctoritate Præsidentium diligenter deliberata dispensatio.* Dispensationum causas, & rationes ab consanguinitatis impedimentis, affinitatis-ve, ac formulas accurate, & fuse exposuit Pyrrhus Corradus in opere, cui titulus est: *Praxis dispensationum Apostolicarum* lib. 7. cap. 2. & 3. & istæ vulgo assignantur.

1. Propter angustiam loci, in quo mulier vix potest alios, quam consanguineos viros invenire: 2. propter dotem minus competentem: 3. ad conservandas in eadem familia,

& cognatione ampliſſimas divitias, quæ aliter dotis cauſa ad alium tranſirent; 4. propter conſervationem illuſtris familiæ in eodem ſanguine: 5. propter excellentia merita: 6. propter filios ex conſanguinea bona fide ſuſceptos: 7. propter indotatam uxorem: 8. ut graves inimicitiæ inter conſanguineos, vel affines componantur: 9. ut pax fiat, & confirmetur: 10. propter Oratricem excedentem vigeſimum quartum annnm, quæ hactenus viros paris conditionis, quibus nubere valeat, non reperit: 11. propter infamiam, & ſcandalum ſine copula: 12. propter copulam ſcienter inſana libidine, non vero ut facilius obtineatur diſpenſatio; quam clauſulam apponere ſolent Summi Pontifices in ſuis literis, aut mandatis ad diſpenſandum: unde caveant maxime Oratores, ne ad facilius diſpenſationem obtinendam, ſcelus illud committant.

Sciendum tandem non tantum circa matrimonia in gradibus prohibitis ad duodecimum uſque ſæculum raras, ac difficiles fuiſſe diſpenſationes, verum & circa alia, quæ à Sacris Canonibus prohibebantur. Sic Urbanus II. in Synodo Romana anno 1096. can. 11. cum iis, qui recens à ſchiſmaticis ordinati fuerant, diſpenſavit, ut ſuorum ordinum muniis fungerentur: *Miſericordiæ intuitu, magnæque neceſſitate cogente. Nullum tamen præjudicium Sacris Canonibus fieri volumus, ſed obtineant proprium robur: & ceſſante neceſſitate, illud quoque ceſſet, quod factum eſt pro neceſſitate.*

DISSERTATIO VI.

Quibus in locis oblata quondam: quibus modo offerri congruat Liturgiam?

DISſertationem iſtam, quam nuper in Academiæ Liturgicæ operum collectione in lucem dedi, in primo volumine Luſitanæ Eccleſiæ Hiſtoriæ, ad quod adtinebat, prætermiſi; ſed ne Hiſtoria quodam modo deficiat à ſuis partibus, hic non omittere exiſtimo.

PARS I.

Quibus in locis oblata quondam fuit Liturgia.

NUlla gens est, natio-ve, aut populus, qui sacris visibilibus in unam religionem colligati in locum destinatum non convenerint divina sua peracturi. Quot per universum fere orbem, qui falsum Mithicon profitebatur, fana auro, argentoque exornata, pretiosa supellectile variegata, lampadibus, cereisque coruscantia? Quot animorum vota! Quot delubra! Quot thura! Quot flamines, aut viri, aut fœminæ! Ritus, vestes, omnia, quæ sacris opus erant, magnificentia, sumptu, incredibili pretio parabantur. Quæ solemnia Ephesi Dianæ! Quæ Athenis, & Laodiceæ Minervæ! Troyæ Veneri! Carthagine Belo, sive Saturno! Romæ Vestæ, Jovi, omnibus Diis! Quæ Junoni in Brutiis ad Lacinium Promontorium! Quæ Delphis Apollini! Quæ in Tenedo Bacho Omadio, Lacedemone Marti! Olyssipone Lunæ, Soli, ac Theti! Numina colere omnibus insitum, & ingenitum. Deorum sacra, gentesque eos veneratum in unum confluentes locum perpauci habeamus: Hebræorum non pigeat recordari, quorum ritus, veluti Ecclesiæ futurorum umbra, & figura, dicente Apostolo, contingebant. Hierosolymis extructum est templum, quod affabre in libris sacris descriptum amplius non exscribam: sola illa civitas Sancti innumeram Judæorum gentem Deo vero hostias immolaturam, panesque sacros oblaturam ambitu suo concluserat: alibi non erat immolandum, & sacrandum. Taurorum sanguis ad carnis emundationem defecit, templi abscissum est velum, ab ortu Solis ad occasum usque secundum Malachiæ eloquium cap. 2. factum est magnum nomen Domini in gentibus, in omni loco sacrificatur, & offertur nomini ejus oblatio munda.

En Liturgiæ Sacræ conditionem, quam vetus Judæorum Propheta expressit. An quod in omni loco sacrificium

edixerit, nullus in posterum destinabitur, consecrabitur, aut parabitur? Designabitur profecto, construetur, exornabitur. Nec alio collimat Malachiæ sermo, quam ut prædicet, veteri lege abrogata novum institutum iri sacrum, quod non Hierosolymis tantum, verum & in universo orbe inter gentes foret clarificandum. A' primis Ecclesiæ incunabulis, vix ex Sion exiverat lex, loca Deo dicabantur, in quibus orabat populus, verbo Dei intererat, synaximque agebat. Cyrillus Hierosolymitanus Antistes Cathechesi 16. ait Apostolos Cœnaculum, in quo Spiritum Sanctum susceperunt, in Ecclesiam consecrasse. Equidem Lucas act. 2. v. 46. de Discipulis inquit: „ Erant circa „ domos frangentes panem „. Qualis nam hæc fractio panis? nisi hostiæ mundæ, & sanctæ, de qua ante dixerat „ Erant perseverantes in doctrina Apostolorum, & com„ municatione fractionis panis?„ Per domos frangi panem Eucharisticum, fidelibusque dividi solitum erat: frangi enim potius dicitur, quam scindi, quia Domini Discipulis eædem placentulæ in usu erant, ac Hebræis, quæ frangebantur potius, quam scindebantur.

Gentium Doctor Paulus Ecclesiæ meminit I. ad Corinth. cap. 11. auditas convenientium in Ecclesiam scissuras objurgat, Ecclesiam Dei contemnentes, veluti proprias domos ad bibendum, & manducandum non habentes increpat: in hoc eos non laudat, sed improbat, sed expellit. Ea erat prima nascentium fidelium ætate erga sacros conventus, aut Ecclesias veneratio. Quem locum Chrisostomus Homil. 36. exponit: „ Quod de pauperum con„ temptoribus Paulus, seorsimque edentibus, domos non ha„ betis, Ecclesias contemnitis, cæteros pudore afficitis, in„ quit: idem mihi cum his quoque, qui hic tumultuando, „ clamando, omnia complent, expostulare permittetis. Quid „ enim domos ad nugandum non habetis? Ecclesiam Dei „ contemnitis, siquis est, qui modestus, qui tacitus esse ve„ lit, corrumpitis.„

Ex Apostolis Paulo, aut Jacobo regionem hancce

peragrantibus suasum habeo Lusitaniam didicisse primo sæculo Ecclesias condere, revereri, ornare. Breviarium Bracarense Olyssipone editum anno 1498. in actis ad diem 26. Aprilis veluti ex traditione veteri in Ecclesia Bracarensi deposito custodita refert S. Petrum Ratensem ante ipsum Altare in Ecclesia oppidi Ratensis comprehensum pro Christi nomine hostiam factum martyrium subiisse. Breviarium istud an vanum? an inutile? an Flavii Dextri, Anastasii, Maximi, Juliani decipulis, & erroribus, quibus abundant Hispaniæ, infectum, despiciendum, contemnendum? Nondum Hieronymus Romanus de la Higuera astus suos protulerat, fabulas suas publici juris fecerat; sola provinciarum nostrarum traditio argumentum Theologo, & Historico viro dignum prætendebatur. Quid de S. Mariæ Sacello apud Vimaranum à Jacobo extructo ex inscriptione lapidea anno 1589. inventa in templo S. Mariæ de Oliveira, è cujus pariete inscriptus lapis temporum vicissitudine separabatur, ac conspicuus his verbis jamjam in lapsum imminebat.

IN HOC SIMULACRO CERERIS COLLOCAVIT JACOBUS FILIUS ZEBEDEI GERMANUS JOANNIS IMAGINEM S. MARIÆ III. S. S. S. X.

An lapis iste non aptum primo sæculo monumentum, quod decimo sexto adulto sæculo repertum, ac visum? Quot inscripti lapides ex imis ruderibus ætate nostra per Hispanias erepti, qui veterum sæculorum memoriam, & facta testantur? Romanos Consules, Prætores, Præsides, Cæsaresque his provinciis imperantes indicant? Quot columnæ incisæ triumphorum testimonia? Si isti veraces sunt lapides, quare non ille?

Sed Lusitaniæ limitibus non contentus ceteras Orbis plagas Christo mancipatas, in quas Apostolorum sonus exiverat, credo ab iisdem Ecclesiarum usum accepisse, fundasse, extruxisse, in quibus Liturgia ageretur. Non una erat Hierosolymis, Corinthi-ve consuetudo, & alia Romæ,

Romæ, Achaiæ, Ephesi, in Africa. Quapropter Tertullianus lib. de Præscriptionibus cap. 36. ut traditionum veritas tuto dignoscatur, ad Ecclesias Apostolicas provocat, apud quas ipsæ authenticæ eorum literæ recitantur, sonantes vocem, & repræsentantes faciem uniuscujusque. Ex Codice antiquissimo Bibliothecæ Reginæ Sueciæ, in quo aliquot fragmenta ex diversis Martyrologiis in unum collecta sunt, hæc dicuntur Kalendis Augusti: *Romæ dedicatio primæ Eccesiæ à Beato Petro constructæ, & consecratæ.* Quæ autem fuerit Ecclesia illa in Urbe ab Apostolorum Principe consecrata, an S. Eudoxiæ in Exquiliis, sive S. Petri ad vincula postea dicta; an Pastoris, nunc S. Pudentianæ in colle Viminali, an alia, à Luca Dacherio diligenter exquiritur Exercit. 2. ad diem 1. Augusti.

In lib. Recognitionum, qui ab Eusebio lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 33. Clementi Papæ abjudicatur, Auctoris tamen est antiqui, fertur Petrum Antiochiæ Theophili domum in Ecclesiam convertisse. Philo Hebræus, qui pro Judæis legationem susceperat ad Cajum Imperatorem, Tiberii successorem in libro de vita contemplativa, & supplicum virtutibus sacræ Christianorum ædis apud Alexandrinos in Ægypto mentionem fecit: *Est quoque agro fere ædes sacra, in qua illi ab aliis separati, sejunctique, vitæ piæ, & propter virtutem augusta mysteria obeunt.* In Galliis apud Biturigas urbem Leocadius Senator Christianus factus domum suam fecit Ecclesiam; ex Gregorio Turonensi lib. 1. Hist. Francorum cap. 31. Quid luculentum Lampridii testimonium prætermittam? Cum locum publicum Christiani occupassent ibidem Ecclesiam erecturi, & Popinarii vellent sibi vendicare, refert Lampridius Alexandrum Imperatorem rescriptum edidisse, melius fore Deo dedicari, quam à Popinariis possideri. Quapropter fertur eo loco Christianos Ecclesiam erexisse Sanctissimæ Virginis Partui, quam Eminentissimus Annalium Parens Baronius ad annum Christ. 224. fuisse Sanctæ Mariæ trans Tiberim à Callisto I. extructam,

quam refet antiquissimus liber de Romanis Pontificibus in vita Callisti I. qui Alexandri tempore vivebat.

Clarum etiam Ecclesiarum monumentum per Hispanias primis sæculis fuit Concilium Eliberitanum anno 305. convocatum can. 21. quo decretum est, ut siquis in civitate positus per tres Dominicas Ecclesiam non accesserit, pauco tempore abstineat, ut correptus esse videatur. Quid ad Ecclesias diebus Dominicis conflueret populus, nisi sacra cum civitatis Episcopo peractum? Jam diu lex illa, & consuetudo viguerat, de qua S. Justinus Apolog. 2. *Solis qui dicitur die omnium, qui in oppido, vel ruri degunt, in eundem locum conventus fit .... precibus peractis, panis offertur, & vinum, & aqua: & præpositus itidem quantum pro virili sua potest, preces, & gratiarum actiones fundit, & populus fauste acclamat dicens: Amen; & distributio, communicatioque fit eorum, in quibus gratiæ actæ sunt.*

Nec necessum existimo auctoritate ferri Clementis Papæ in Epistola ad Jacobum fratrem Domini, quam adfert Gratianus cap. Ecclesias 13. de Ecclesiar. consecrat. & Missarum celebrat. *Ecclesias per congrua, & utilia facite loca, quæ divinis precibus sacrare oportet; & in singulis Sacerdotes divinis orationibus Deo dicatos poni, quos ab omnibus venerari oportet, & non à quoquam gravari.* Egregium quidem pro universali Ecclesia de locis primo sæculo Deo consecratis testimonium, nisi eruditis omnibus esset suspectum, & merito; quippe quod inscriptum est anno 68. Eræ vulgaris post Sancti Petri obitum, qui anno 64. contigit, & ad Jacobum scribi non poterat, qui septem ante Petri martyrium annis Hierosolymis fuerat occisus. Suppositis etiam adscribitur Hygini Papæ decretum à Gratiano citatum in eadem dist. 1. de Consecrat. cap. omnes 3. *Omnes Basilicæ cum Missa debent consecrari.*

Ast hujuscemodi Ecclesiæ non sumptuosæ, non magnificæ: quamobrem confictis adnumeretur necesse est

templum à S. Celerina Eborensi in S. Torpetis honorem magnopere fæculo 1. extructum; cum mediis in persecutionibus, quæ statim à Christiani nominis ortu sub Ethnicis Imperatoribus per universum Romanum Imperium fuere excitatæ, privatæ domus Ecclesiæ dicerentur, non loca sublimia, non elata, non pretiosa supellectile exornata, quæ impiis dignoscerentur. Unde Origines lib. 8. contra Celsum Gentilibus opponit: *Sic enim templa, & statuas erigunt illis, quos recensuit. Nos autem* (Christiani) *a nostro erga divinitatem cultu res illas rejicimus, ut magis convenientes dæmoniis.* Et Lactantius lib. 6. Divinar. Instit. cap. 2. *Sit nobis Deus non in templis, sed in corde nostro consecratus.* Nihil Christianis iis magis erat observandnm, quam Ecclesias, & conventus suos occultare.

Unde enim erat, quod persecutione fervente fidelibus delendis religio feracius emergeret? quia scilicet Christianorum multitudo lateret. Unde quod deprehensi aliqui, ac super secta interrogati non defferrent, nisi quos martyrii socios viderant certatim ad agonem confluere? quia delatores severissimis pœnis puniebantur. Unde erat, quòd provinciarum Præsides sibi blandirentur Christianum penitus nomen eradicasse, nisi quia fideles ignorarentur? Qui autem ignorarentur, si publicæ iis temporibus essent Ecclesiæ, in quas credentium turba sese reciperet? Proferatur aliqua ex iis Basilicis solo æquata, & eversa, dum toties in Christianos sævitum est, nisi sæculo 3. jam exeunte anno Christi 294. Diocletiani decimo, qui mense Xanthico, quem Romani Aprilem vocabant, Flaviano provinciam Palæstinam regente, ubique edicta proposuit, quibus imperavit Ecclesias solo æquari, & sacros Codices flammis absumi juxta Eusebium de Martyribus Palæstinæ pag. 130. ex Henrici Valesii editione. Martyrologium quoque Romanum ad diem 25. Decembris commemorat Nicomediæ passionem multorum millium Martyrum, qui cum in Christi Natali ad Dominicum convenissent, Diocletianus Ecclesiæ januas claudi jussit, & ignem circum circa parari.

Enim vero ſævientibus perſecutionibus, præter Eccleſias, ubicumque poſſet conventus fidelium fieri, ibi Liturgia peragebatur, in carceribus, in cryptis, in diverſoriis. Theodoricus Ruinart in Act. Martyr. in S.Lucianum Presbyterum Antiochenum anno 312. refert Lucianum Theophaniorum die ſupra pectus ſuum, cum Altare deficeret, Sacra Myſteria celebraſſe paulo antequam pateretur, cum jam vulneribus ita eſſet attritus, ut vix poſſet moveri; quod fortaſſe imitatus eſt Theodoretus Cyri Epiſcopus, qui ut ipſe ait in Hiſtoria Religioſa cap. 20. in cella Marii Monachi ſpiritualis, myſticique ſacrificii deſiderio affecti Diaconorum manibus pro Altari uſus ſalutare ſacrum obtulit. Euſebius lib. 7. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 22. Dionyſium Alexandrinum ita ad populum adloquentem affert: *Cumque ſoli ab omnibus fugaremur, atque opprimeremur, nihilominus tunc quoque feſtos egimus dies. Quivis denique locus, in quo varias ærumnas ſigillatim pertulimus: ager, inquam, ſolitudo, navis, ſtabulum, carcer inſtar templi ad ſacros conventus peragendos fuit.* Ex Actis SS. Proceſſi, & Martiniani, Clementis Ancyrani, aliorumque Martyrum agnoſcimus in carceribus ſacrum peragi fuiſſe morem. Bollandus die 15. Februarii ex Mombritio inquit, Apollonium Brixienſem Antiſtitem in ſindone cœlitus demiſſa Miſſam in carcere celebraſſe. Adhuc Romæ extant cryptæ variis cuniculis, ac anfractibus effoiſſæ, quas merito demirantur quotquot ingrediuntur, & in quibus divina myſteria olim agebantur: de iis ingentia duo volumina Italicè ſcripſit Jacobus Boſſius; ſed his jam omiſſis ad ſecundam Diſſertationis partem revertamur.

PARS II.

Quibus locis modo congruat Liturgiam celebrari.

UBi feliciora illuxerunt tempora, & Ecclesiæ reddita est pax usque ad ætatem nostram ad fidelium conventus peragendos, sacraque obeunda mysteria erigi, & consecrari cœperunt templa. Magno Constantino Ecclesiasticæ pacis anno 312. auctore, rei Christianæ custode, & propagatore, qua amplitudine, quibus fastigiis, quo splendore sacræ non efferebantur ædes, in quibus Liturgia sacra offerretur? Ecclesiisque ex auro, argentoque quamplurima erant ornamenta, quæ teste Optato Milevitano de Schismate Donatistarum lib. 1. nec defodere terræ, nec secum portare quis posset: iis publice apponebantur nomina Basilicarum ob magnificam, regiamque structuram; Martyriorum ob Sanctorum memoriam, & monumentum; Dominicorum à Latinis, Kiriacorum à Græcis, quod in cultum supremi Regis, ac Domini conderentur; Catholicæ Conciliorum, quòd Christiani illuc confluerent. Aureæ quoque dicebantur propter ornatum, sacrorumque donariorum pretium, numerum, ac amplitudinem. Templi nomen Gentilium, & Christianorum commune erat. Hinc S. Hieronymus Ep. ad Riparium adversus Vigilantium: *Angeli, qui candidis vestibus utebantur mortuo cadaveri, atque polluto præbebant excubias, ut post multa sæcula Dormitantius somniaret, imo eructaret immundissimam crapulam, & cum Juliano persecutore Sanctorum Basilicas, aut destrueret, aut in templa converteret?*

Eusebius lib. 10. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 3. Ecclesiarum majestatem post redditam pacem sic descripsit: „Post „hæc votivum nobis, ac desideratum spectaculum præbebatur dedicationum scilicet festivitas per singulas urbes, & „oratoriorum recens extructorum consecrationes: ad hæc

„ Episcoporum conventus, peregrinorum ab externis, & „ procul dissitis regionibus concursus; populorum mutua in- „ ter se charitas, ac benevolentia cum membra corporis Chri- „ sti in unam compagem coalescerent... Jam vero Antisti- „ tum absolutissimæ cæremoniæ, & accuratæ, sacrificia Sa- „ cerdotum, & divini quidam, augustique Ecclesiæ ritus; „ hinc psalmos canentium, & reliquas nobis divinitus tra- „ ditas voces auscultantium; illinc divina, & arcana obe- „ untium mysteria„. Constantinus ipse quamplurimas condi Ecclesias præscripsit, qua structura, qua opulentia insignes. Beatissimum illum Dominicæ Resurrectionis locum, qui erat Hierosolymis, illustrem, ac venerabilem cunctis mortalibus efficere officii sui esse existimavit, & confestim oratorium ibidem extrui mandavit. Monumentum istud Sancti Sepulchri ea elegantia decorabatur, ut ex Eusebio lib. 3. Historiæ cap. 31. omnes quantumvis eximias singularum urbium fabricas unum facile superaret; ad solemnem ejus consecrationem Episcopos omnes, qui ad Tyri Synodum convenerant, Augustissimus Imperator invitavit.

Alia quoque ejusdem rationis loca duabus sacris speluncis nobilitata ambitioso cultu exornare aggressus est, & speluncam quidem illam, in qua Salvator noster in carne nasci sustinuit, convenienti honore affecit, & in altera Dominicæ Ascensionis, quæ in montis vertice olim contigerat, memoriam honoravit. In civitate nominis sui plurima oratoria erexit, amplissimaque Martyria, & splendidissimas ædes partim in suburbiis, partim in ipsa civitate constructas. Nicomediam urbem Bithiniæ primariam pulcherrimo Ecclesiæ monumento in honorem Servatoris, & totius Orientis Metropolim, quæ ab Antiocho nomen traxit, templo longissimi ambitus exornavit. Romæ Sardiniæ insulam, domum scilicet ita dictam, à ceteris avulsam, cujus angulos viæ, seu vici undequaque cingebant, sicut insulas maritimas undique pelagus ambit, Basilicæ SS. Martyrum Marcellini Presbyteri, & Petri Exorcistæ dono

dedit: eadem in Urbe Palatium Lateranense in magnificam Ecclesiam converti curavit, quæ ex ejus nomine Basilica Constantiniana nuncupata est. Ut munificentiam suam largissimus Imperator erga Ecclesias ostenderet, anno 321. Consulibus Crispo 2. & Const. 2. Cæs. ad populum legem dedit, quæ est 1. in Cod. Justinianeo de Sacrosanctis Ecclesiis, ut unusquisque haberet licentiam Sanctissimo Catholico, venerabilique Concilio (Ecclesiæ) decedens bonorum, quod optaverit, relinquere: & non essent cassa judicia ejus: Constantini pietatem imitata est Helena ejus Mater, deinde imitati sunt ceteri Cæsares, Reges, ac Principes, qui Christianam Religionem amplexabantur, & idolorum templa in Martyrum Basilicas convertebant, & aliorum Sanctorum. Romæ templum omnium Deorum in omnium Martyrum, & templum Castoris, & Pollucis in Sanctorum Cosmæ, & Damiani conversa sunt. Prope Pacem Juliam in Lusitania Jovis in Sanctorum Justi, & Pastoris: Bracaræ in Interamnensi Provincia Isidis fanum in Sanctæ Mariæ: alia plurima prætermitto.

Ceteris omissis Basilicarum partibus, Altare ad Liturgiæ celebrationem præcipuus locus erat. Apud Orientales unum in quolibet templo, & adhuc ex antiquissimo ritu usus servatur, cujus unitatis analogiam juxta Eminentissimum Bonam Rerum Liturgicarum lib. 1. cap. 4. accipiunt, quia unus est Christus, una Ecclesia, unum Sacrificium; sed plura juxta quodlibet templum, aut longe dissita, aut per ambitum erigebantur, & parœcias vocant quasi Ecclesiarum appendices. Apud Occidentales privata Altaria plura intra Ecclesiam; & hujus ritus vestigia extant apud Ambrosium in Epistola ad Sororem 20. alias 33. *Nec Altaria teneo vitam obsecrans. sed pro Altaribus gratius immolor.* Gregorius Magnus lib. 6. Epist. 49. ad Palladium Episcopum Santonensem meminit tredecim Altarium ab eo Episcopo in novo templo erectorum: „Veniens lator præsentium Lupanarius Presbyter vester „insinuavit nobis fraternitatem vestram Ecclesiam in ho-

„ norem Sanctorum Petri, & Pauli Apostolorum, necnon „ Laurentii, atque Pancratii Martyrum construxisse, at- „ que illic tredecim Altaria collocasse, ex quibus quatuor „ nec dum dedicata comperimus remansisse, ad hoc quod „ supra dictorum Sanctorum reliquias illic collocare Deo an- „ nuente disponitis„. Quapropter non audiendus est Calvinianus homo Carolus Molinæus lib. 2. Controv. cap. 17. qui certat unicum Altare in singulis Ecclesiis permittendum ex Apostolica consuetudine; & Hieronymi auctoritate innititur in cap. Oseæ 2. v. 13 scribentis Ecclesiam habere unum Altare, Hæreticos autem plurima. Verum quis Hieronymum non intelligat Altaris nomine de fide loqui, atque Ecclesiæ communione? unde eo loci de Hæreticis ait: *Habent tot Altaria, quot schismata.* Qua phrasi usi sunt Cyprianus, Optatus, & Magnus Augustinus erga eos, qui ab Ecclesiæ unione secedentes *erigunt Altare contra Altare.* Cardinalis Bona lib. 2. Rer. Liturg. cap. 14. non invitus ad eorum judicium accedit crevisse numerum Altarium, & Sacerdotum, postquam populus, qui Missæ aderat (aderant autem omnes) desiit communicare: nam cum omnes uni missæ præsentes essent, & communicarent, pluries celebrare necessum non erat. Equidem in Ecclesia Antisiodorensi, ut ejusdem Concilium decrevit anno 578. can. 10. non licebat super uno Altari una die duas Missas dicere, quare plura erigi Altaria oportebat.

Circa Altarium materiam nihil fuit prioribus quatuor Ecclesiæ sæculis definitum. Quarto sæculo, aut in Altari ligneo, aut lapideo Liturgia offerebatur. De lapideo scripsit Gregorius Nyssenus Orat. in S. Christi Baptisma: *Altare hoc sanctum, cui adsistimus, lapis est natura communis, nihil differens ab aliis crustis lapideis, ex quibus parietes nostri extruuntur, & pavimenta exornantur.* De ligneo Athanasius in Historia Arianorum ad Solitarios: *Cum rapuissent subsellia, & Cathedram, & mensam, erat enim lignea, & vela Ecclesiæ.* Augustinus quoque lib. 3.

lib. 3. contra Cresconium Donatistam cap. 43. ait Maximianum Episcopum Catholicum Bagajensem, dicta inter partes judiciaria sententia, Basilicam fundi Calvianensis evicisse, quam Donatistæ illicite usurpaverant, & cum hanc jure perspicuo retineret, in ea ipsa sub Altari, quo confugerat, eodem supra se fracto, ejusque lignis, atque fustibus, ferro etiam fuisse cæsum. In Titulo S. Pudentianæ Romæ servatur Altare ligneum, in quo Apostolorum Princeps fertur consecrasse, & Cæremoniale Parisiense pag. 9. continet: „Altaria olim aliquando lignea, ut Romæ „ Altare Basilicæ Lateranensis, in quo nunc solus Pontifex, „ aut Cardinalis, rem sacram facit: & in Galliis apud „ Compendium Altare maius Abbatialis Ecclesiæ S. Cornelii à Joanne VIII. Papa consecratum anno 877. die 5. „ Martii„. Erant & Altaria argentea; nam in libro Pontificali legitur Magnum Constantinum in Basilica Constantiniana collocasse altaria septem ex argento purissimo pensans singulum libras 260. & Sixtus III. donasse fertur Basilicæ S. Mariæ Altare argenteum pensans libras 300.

Postea Ecclesia sancivit, ut nemine liceret Liturgiam agere, nisi in Altari lapideo consecrato. Decretum istud alii S. Sylvestro, qui Constantini tempore Ecclesiam universam moderabatur, Auctori tribuunt; sed nulla illius apud veteres memoria. Quis id primus certa lege firmaverit, adhuc incertum. Primum de hoc scriptum est ex Concilio Epaonensi in Gallis anno 517. & collegit Gratianus cap. Altaria 31. de Ecclesiarum consecrat. *Altaria si non fuerint lapidea, Chrismatis Unctione non consecrentur.* Adeoque lex illa in Ecclesia viguit, ut Alexander III. anno 1170. cap. 1. de Consecratione Ecclesiæ, vel Altaris statuerit, ut si *Altare motum fuerit, aut lapis ille solummodo supra positus, qui sigillum continet, confractus, aut etiam diminutus, debeat denuo consecrari.* Quid dignius, quam ut non solum remotus sacrificii locus consecretur, verum & proximus, in quo sacrum ipsum celebratur? Et sicut non alii, quam sacrati Domino Sacer-

dotes debent Sacrificia offerre, sic nec in aliis, quam Domino sacratis locis licet offerre.

Non abs re esset si hîc de Ecclesiarum cõsecratione quid attingerem, sed de sola cõsecratione Altarium, quæ Sacrificii loca proxima nominavit Romanus Pontifex Alexander, pauca exsolvam. Non aliter consecrantur, nisi Sanctorum Martyrum Reliquiæ adhibeantur. Hieronymus adversus Vigilantium, Martyrum cultum impiis scriptis convellere conantem inquit: „ Male ergo facit Romanus Episcopus, qui „ super mortuorum hominum Petri, & Pauli secundum nos „ ossa veneranda, secundum te vilem pulvisculum offert Do- „ mino Sacrificia, & tumulos eorum Christi arbitratur „ Altaria„. M. P. Augustinus lib. 20. contra Faustum Manichæum cap. 21. ait: „Populus Christianus memorias Mar- „ tyrum religiosa solemnitate concelebrat, & ad excitan- „ dam imitationem, & ut meritis eorum consocietur, atque „ orationibus adjuvetur; ita tamen, ut nulli Martyrum, „ sed ipsi Deo Martyrum sacrificemus, quamvis in memo- „ riis Martyrum constituamus Altaria„. Gregorius Magnus jam supra citatus ad Episcopum Santonensem Martyrum Reliquias misit Altaria consecraturum. Concilium Carthaginense 5. can. 4. statuit, ut Altaria, quæ passim per agros, & per villas tamquam memoriæ Martyrum construebantur, in quibus nullum corpus, aut Reliquiæ Martyrum conditæ probarentur ab Episcopis loci, si fieri posset, everterentur. Si autem hoc propter tumultus populares non sineretur, plebes tamen admonerentur, ne illa loca frequentarent, ut qui recte saperent, nulla superstitione tenerentur.

Antiquissima hæc consuetudo ubique Ecclesiæ recepta fert, ut Martyrum Reliquiæ in Altarium consecratione apponantur, quorum animas sub Altari Dei Joannes vidit cap. 6. Apocalypseos: & ex eo fidei dogmate oritur, qua Sanctorum communionem credimus, & profitemur. Catholici enim ut id factis ostenderent, iis in locis ad orationes, & Divina Mysteria communicanda accedebant,

in quibus Sanctorum erant Reliquiæ, ut eo modo, qui juxta defunctorum statum liceret, cum illis communicarent.

Licet pro Sacrificii celebratione Ecclesiæ publicæ erigerentur, in privatis etiam quandoque cubiculis ob speciales rationes Missas peragi a veteribus constat. Marcellum Papam sacrificasse in domo Lucinæ commemorant ejus acta. Gregorius Nazianzenus Orat. 19. in laudem Patris sui scripsit illum in cubiculo privatim egisse sacrum: Ambrosius Romæ in quadam domo Trans Tyberim, teste Paulino in ejus vita, Sacrificium obtulit. Magnus Parens Aug. lib. 22. de Civitate Dei cap. 8. inquit, virum Tribunitium Hesperium habentem in territorio Fussalensi fundum Zubedi appellatum, ubi cum afflictione animalium, & servorum suorum domum suam spirituum malignorum vim noxiam perpeti comperisset, rogasse Presbyteros Hipponenses, ut aliquis eorum illo pergeret, cujus orationibus cederent: quorum unus perrexit, & obtulit ibi Sacrificium Corporis Christi, orans quantum potuit, ut cessaret illa vexatio, & Deo protinus miserante, cessavit: sed hujusmodi facta, aut propter infirmos sacro Domini Corpore reficiendos, aut ex alia æquissima causa, Sacris Canonibus profectò non adversantur; alioquin interdictum fuerat privatis in domibus celebrare.

Concilium Parisiense 6 ex quatuor provinciis Remensi scilicet, Senonensi, Turonensi, & Rothomagensi sub Ludovico Pio Francorum Rege anno 829. congregatum cap. 47. Missam in domibus privatis, aut ædiculis, aut oratoriis peragi prohibuit, nisi necessitas compelleret. Apud Gratianum dist. 1. de Consecratione, legitur Canon, *Unicuique* 3. Concilii Aurelianensis, ut unicuique fidelium in domo sua oratorium liceret habere, & ibi orare, Missas autem non celebrare: quod etiam Tridentinæ Synodo placuit, quæ in Sess. 22. in Decreto de observandis, & evitandis in celebratione Missæ decrevit, ne Ordinarii locorum paterentur privatis in domibus, atque omnino extra

Ecclesiam, & ad divinum cultum dedicata oratoria ab eisdem Ordinariis designanda, & visitanda, Sanctum hoc Sacrificium à Sæcularibus, aut à Regularibus quibuscumque peragi. Ex hoc decreto juxta ea, quæ per Encyclicas literas Episcopis significavit sacra Congregatio ejusdem Concilii interpres die 25. Octobris anno 1615. jussu Pauli V. facultas hujusmodi licentias dandi in oratoriis privatis soli Romano Pontifici est reservata; de quo etiam diffuso, ac erudito calamo egit desideratissimus Academiæ nostræ Fundator, & Parens Sanctissius D. Benedictus XIV. de Sacrosancto Missæ Sacrificio lib. 1. cap. 1.

Dissertationi tamen finem jam impositurus notandum existimo, legem prohibentem nequis Missam alibi celebret, quam in Ecclesiis, aut oratoriis publicis, privatisve ita restringi; si Missa in ejusmodi locis nequeat celebrari, nisi necessitas urgeat, modo locus, in quo fit, nihil indecori habeat: juxta Can. *Concedimus* dist. 1. de Consecratione: *In itinere positis, si Ecclesia defuerit sub dio, in tentoriis, si tabula Altaris consecrata, ceteraque sacra ministeria ad id officium pertinentia ibi affuerint, Missarum solemnia celebrari concedimus, aliter omnino interdicimus*. Canon iste licet neque ex Romanorum Pontificum, neque Generalium Conciliorum decretis desumptus sit, communi consuetudine recipitur, & æquum est Missam, si causa interveniat, extra Templa, & capellas celebrari; exemplum sit Capellanorum Exercitibus Sacramenta administrantium, quibus licet sacrum agere in castris: eorum quoque, qui perfidelium regiones iter faciunt, in quibus Catholicæ Religionis usus prohibetur, & iis licet in quovis loco honesto Missam celebrare, semper verò super petra.

Denique navigantium sit, qui olim diu Missa caruerunt: & quamvis ii suos passi fuerint adversarios, & impugnatores, propter continuam navium vacillationem, & effusionis sanguinis periculum; suos etiam habuere approbatores, & patronos. Nullo quippe jure prohibetur

peragi Missam super aquas, nec navis locus est tanto sacrificio indignus; plura enim quis neget antiquitatis exempla, ex quibus non tantum pluries Missæ in mari celebrabantur, sed continuo super naves Eucharistiam deferri mos erat. Magnus Gregorius lib. 3. Dialogorum cap. 36. refert de Maximiniano Syracusanæ Civitatis Episcopo, qui cum Constantinopoli Romam rediret, in mari Adriatico nimia tempestate est comprehensus. Cum elevati fluctus sævirent, ex navi clavis perditis, arbor abcissa est, vela in undis projecta, totumque vas navis quassatum nimiis fluctibus ab omni fuerat sua compage dissolutum: tunc in eadem navi residentes non jam ex morte vicina, sed ex ipsa ejus præsentia, ac visione turbati omnes, sibimet pacem dederunt, Corpus, & Sanguinem Redemptoris acceperunt, Deo se singuli commendantes; ut eorum animas benigne susciperet, quorum corpora in tam pavenda morte tradiderat. Sed Omnipotens Deus, qui eorum mentes mirabiliter terruit, eorum quoque vitam mirabiliter servavit.

Inter approbatores quoque fuit S. Wulfrānus Archiepiscopus Senonensis, teste Jona Monacho Fontanellensi in ejus vita apud Bollandum die 20. Martii: qui dum in Phrisiam navigaret, & esset in medio mari, quod adjacet regioni Morinorum, adfuit hora, qua Missam cantaret, mari manente immobili: denique dum ventum esset ad locum, quo minister offerret patenam, Wulfrannus manu extensa eam expectabat, sed dum Minister eam abluere vellet, in mare cecidit, prostratusque pedibus Sancti, veniam precabatur, qui mittens eum ad locum unde ceciderat, effecit ut patena ab imo maris evecta, manui Ministri cohæreret. Sanctus Ludovicus Galliarum Rex à partibus transmarinis in Gallias rediens quotidie in mari sacrum celebrari faciebat. *Ex quibus* (scribit Eminentissimus Baronius ad annum 800.) *intelligis, lector, non destitisse Sanctos viros in mari etiam cum tranquillitas esset, religata anchoris navi, celebrare ibi sacrosanctum Sacri-*

ficium Missæ Deo maxime gratum, quod ipse tanti editione miraculi patefecit. Clemens VIII. ac Paulus V. Romani Pontifices celebrari concesserunt in navibus ad Indiam navigantibus: consimile indultum fuit anno 1706. à Clemente XI. pro navibus Hispaniarum, & anno 1716. pro Triremibus classis Pontificiæ. Et praxis ista jam in more est apud omnes, quorum naves aptæ, & commodæ, in mari tranquillo, sereno cœlo, & nullo extante periculo, quo effundatur Sanguis, aut Hostia vento moveatur. Nec ultra progredi juvat, sed relata sufficiunt, quæ Sapientissimorum Lectorum judicio sisto, & quiesco.

EPISCOPI
ECCLESIÆ LUSITANÆ.
Sæculi 12.

EPISCOPI BRACARENSES.

1. Mauricius.
2. Pelagius.
3. Joannes.
4. Godinus.
5. Martinus.

EPISCOPI COLIMBRIENSES.

1. Mauricius.
2. Gondisalvus II.
3. Bernardus.
4. Joannes.
5. Michael.
6. Bermudus.
7. Martinus II.
8. Petrus II.

EPISCOPI OLISYPONENSES.

1. Gilbertus.
2. Antonius.
3. Alvarus.
4. Suarius.

EPISCOPI ALGARBIENSES.

Nicolaus.

EPISCOPI EBORENSES.

1. Suarius.
2. Pelagius.

EPISCOPI PORTUGALENSES.

1. Hugo.
2. Joannes.
3. Petrus I.
4. Petrus II.
5. Petrus III.
6. Ferdinandus.
7. Martinus I.
8. Martinus II.

EPISCOPI LAMECENSES.

1. Menendus.
2. Godinus.
3. Joannes.
4. Petrus.

EPISCOPI VISENSES.

1. Odorius.
2. Gondisalvus.
3. Marcus.
4. Godinus.
5. Joannes.
6. Nicolaus.

CONCILIA ECCLESIÆ LUSITANÆ
Sæculi 12.

Concilium Fusselense	anno 1105.	Era 1143.
Concilium Palentinum	anno 1114.	Era 1152.
Concilium Ovetense	anno 1115.	Era 1153.
Concilium Compostellanum	anno 1115.	Era 1153.
Concilium Bracarense 5.	anno 1148.	Era 1186.
Concilium Vallisoletanum	anno 1140.	Era 1178.
Synodus Colimbriensis	anno 1144.	Era 1182.
Concilium Burgense	anno 1193.	Era 1231.
Concilium Salmanticense	anno 1195.	Era 1233.

LUSITANIÆ REGES.
Sæculi 12.

Alfonsus Henricus regnavit 57. annos, & vixit 78.

Sanctius I. regnavit 26. annos, & vixit 57.

ERRATA.

Pag.	*Lin.*	*Errata.*	*Corrige.*
40.	29.	Constituttonum	Constitutionum.
47.	3.	Eram 1200.	Eram 1210.
86.	17.	iu eo	in eo.
78.	25.	Anno Domini 1152.	Anno Domini 1154.
107.	8.	Habitis	Habetis.
119.	26.	Sanctis Patris	Sancti Patris.
119.	28.	Traxerit	Traxerint.
123.	5.	Mauus	Manus.
122.	35.	Possentt	Possent.
127.	21.	redire	rediret.
179.	16.	hahuere	habuisse.
192.	2.	Reginæ	Regina.
241.	26.	Miserebatur insaniam	Miserebatur insaniæ.
328.	ult.	forasse	fortasse.
334.	20.	abjudicatas	adjudicatas.
338.	14.	Othonicum	Othoni cum.

IN-

INDEX RERUM NOTABILIUM.

A

B

C

E

F

G

H

I

L

M

S. Mar-

N

O

V

